BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI
MINORES

RUTILII NUMATIANI ITINERARIUM,

PRISCIANI PERIEGESIS

ET ALIA OPERA,

AUSONII ET VARIORUM AUCTORUM

CARMINA GEOGRAPHICA,

VARRONIS ATACINI FRAGMENTA,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN QUARTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

NOMINA AUCTORUM

QUI IN QUARTO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Rutilius Numatianus.
Hildebertus Cenomanensis Episcopus.
Priscianus.
Incertus, fortasse Sedulius Presbyterus.
Ausonius.
L. Annæus Seneca.
Laurea Tullius.
Q. Aurelius Symmachus.
P. Ter. Varro Atacinus.
Et incerti multi.

PRAEFATIO
WERNSDORFII
AD TOMUM QUINTUM *.

Quod in superioris tomi præfatione alios poetas proxime edendos promiserim, alios nunc reapse emittam, id tanti vix esse arbitror, ut longa oratione excusare debeam. Copiam ostendi poematum, quæ meo opere explicanda et illustranda restat, in qua si cæteris, quos tomo V prius destinaveram, poetis pro tempore omissis, solum Rutilii Itinerarium nunc proponendum, et cum aliis geographiæ scriptoribus conjungendum censui, feci id haud dubie meliore ordinis et argumenti ratione habita. Ipsi hi scriptores quum

* Hunc tomum, qui apud Wernsdorfium in tres partes dividitur, nos in duas tantum distribuimus, quarum prima quidem quartus nostræ editionis tomus, secunda vero quintus conflatur. His vero duobus omnia a Wernsdorfio edita carmina geographica complectimur. Immo ad nostræ editionis tomum quintum carmina de Re Hortensi et Villatica adjecimus, quæ Wernsdorfius non satis apte in sexto volumine cum Ludicris et Amatoriis comprehenderat. Qua ratione sextus noster tomus Ludicra tantum et Amatoria continebit, totiusque operis generali Indice, ut præmonuimus, coronabitur. Ed.

partim rarius editi sunt, partim etiam cultu eruditorum fere omni caruerunt, tum præstantia argumenti et utilitate, quam offerre legentibus possunt, singulari sunt conspicui, atque adeo ornari præ aliis et maturius edi meruerunt: quos tamen, quia uno volumine vix comprehendi poterant, divisis partibus exhibere visum est.

Equidem haud sinistre me judicare arbitror, qui dicam, indigne hos poetas geographos adhuc jacuisse, dignosque eos fuisse, qui studiis juventutis commendarentur magis, et in scholis diligentius legendi proponerentur. Suo quidem merito in scholis regnant nobiliores poetæ, et eorum arte et suavitate ingenia juvenum ad sensum pulchri et doctrinæ elegantiam formantur; sed qui ex altero genere poetæ docere magis, quam delectare volunt, non satis æquo in pretio et honore esse videntur. Veteres Græci Romanique rebus nonnullis utiliter docendis haud vano consilio poesim adhibuerunt, doctrinam arbitrantes carminum venustate haud mediocriter adjuvari, faciliusque influere in animos, quæ dictionis poeticæ dulcedine et numerorum suavitate condita propinarentur. Exstant ejus generis complura carmina, e Græcis Hesiodi, Theognidis, Arati, Nicandri, Dionysii, Oppiani; e Romanis Lucretii, Manilii, Gratii, Terentiani Mauri, Sereni Sammonici, Nemesiani, Avieni, aliorum, qui partem aliquam severioris doctrinæ, aut artis in vita utilis, sermone ligato exposuerunt. Etsi

infelicius hanc rationem usurparunt nonnulli, præsertim grammatici, qui capita quædam doctrinæ, quæ vellent juventuti facilius ediscenda proponere, versibus jejunis et aridis, sine venere et arte, complexi sunt, quorum carminum exempla ipsum, quod nunc edimus, volumen poetarum offert, hac ipsa tamen opera professi sunt, metricæ orationi inesse aliquod docilitatis et memoriæ subsidium, quod rebus facilius percipiendis et retinendis inserviat. In geographica doctrina præcipue hoc docendi compendium Græcos et Romanos amasse, plures ostendunt eorum libelli hodie superstites, qui orbis terrarum notitiam carmine complexi tradunt. Præter Dionysium Alexandrinum, cujus duo interpretes Latinos, Avienum et Priscianum, hoc volumine poetarum proponimus, Scymni Chii, illo antiquioris, περιήγησις exstat, quam ipse auctor profitetur metro iambico se exarasse propterea, ut descriptionis aliquod compendium ad memoriam facilius et jucundius concinnaret. Exstant reliquiæ metrici operis, a Dicæarcho scripti, de statu Græciæ, cujus hoc consilium fuisse Dodwellus observavit (1), ut insigniores urbes et insulas Græciæ in tabula geographica descriptas versibus traderet memoriam juvantibus. Quod ipsum spectasse videtur Alypius, qui olim tabulam geographicam Juliano imperatori mittebat, atque additis exornabat iambis,

(1) Dissert. de Dicæarcho ejusque fragmentis, § VI, vol. II Geogr. Græc. min. Huds.

quibus usum tabulæ juvaret (1). Neque aliam rationem sequuti sunt duo interpretes Dionysii, Periegesi Latino carmine reddenda, quam ut copiam facerent suis hominibus geographiæ facilius addiscendæ. Et Prisciani Latinam metaphrasim mature huic usui adhibitam in scholis, Cassiodorus tradit, qui quum pinacem Dionysii breviter comprehensum inter Cosmographos nominat, atque discendum commendat, haud alium Dionysium, quam Latinum Prisciani intelligit, atque adeo significat, fuisse olim tabulam terrarum secundum Priscianum confectam, atque una cum libro ejus in scholis propositam, ut oculis intuentibus videre possent discentes, quod auribus e libro percepissent (2). Circa ejusdem Prisciani tempora inter Græcos Joannes Grammaticus Gazæus tabulam universi in publico propositam versibus heroicis explicavit, atque Ἔκφρασιν τοῦ κοσμικοῦ πίνακος inscripsit (3): alius recentior, Perdiccas, situs locorum et memorabilia terræ sanctæ et Hierosolymæ descripsit versibus politicis (4): et fortasse plures reperiuntur, minus vulgo

(1) Julianus, Episl. xxx, ad Alypium.

(2) Verba sunt Cassiodori, Divin. Lect. cap. 25: « Deinde pinacem Dionysii discile breviler comprehensum: nt quod auribus in supra dicto libro percipitur, pæue oculis intuentibus videre possitis ».

(3) Græce vnlgavit Jauus Rutgersius, Var. Lect. quæ Lugdun. Balav. 1618, in-4, prodierunt, lib. II, cap. 7, pag. 98: latine reddidit, emendavit notisque illustravit Fed. Morellus, Paris. 1619, in-4.

(4) Inscribitur Ἔκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις Κυριακῶν θεμάτων. Cum Nicephori Xanthopuli *Excidio Hierosolymitano* versibus iambicis

noti, qui eamdem rationem geographiæ carmine explicandæ usurparunt. Nec ignorarunt talium librorum commoditatem docti viri, qui ante hæc duo vel tria sæcula, propulsata priorum temporum barbarie, bonas literas e priscis auctoribus restituerunt, et inprimis poetas geographos magno studio amplexi, tamquam enchiridia veteris geographiæ proposuerunt. Nam Dionysium pluribus editionibus frequentatum, et a multis versum illustratumque novimus, et alter veterum interpretum, Priscianus, dici vix potest, quam cupide a doctoribus geographiæ expetitus, commendatus explicatusque sit. Quem inprimis Jo. Camers, studiorum humanitatis e præcipuis vindex, sub ipsum renascentium literarum tempus, commentario tam copioso explanavit, ut, geographorum aliorum locis cumulate in eum collatis, quoddam instrumentum eruditionis geographicæ adparare videretur. Id quidem munus alteri Dionysii interpreti, Avieno, non contigit, quod Prisciano abunde præstitum videbatur; et universe geographorum veterum studium sequentibus temporibus refrixit, postquam a Græcis Latinisque fontibus discedi magis, et geographiæ plenior institutio singularibus libellis adornari cœpit (1). Sed

scripto, et Epiphanii monachi *Periegesi terræ sanctæ*, edidit Fed. Morellus, Paris. 1620; post Leo Allatius in Συμμίκτοις. Col. Agripp. 1653.

(1) Sunt tamen recentioribus etiam sæculis reperti, qui morem et exemplum veterum poetarum, geographiæ scriptorum, imitati, carminibus eam doctrinam explicare et commendare studerent. Non alienum ab hoc loco erit commemorare nonnullos eorum, quos cognoverim post

Christophorus Cellarius, de disciplina scholastica per omnia excellenter meritus, quum ob multas res in

renatas literas Geographiam universam carmine latino exposuisse. Rarissimus liber est *Geographia Francisci Berlinghieri, Florentini*, latino carmine scripta, et anno 1481 vel 1482 impressa, cujus notitiam nuper singulari libello dedit vir generosiss. Christoph. *Gottlieb de Murr*, Norimb. 1790, in-8, cujusque exemplar in bibliotheca Academiæ Georgiæ Augustæ servatur, ut testatur Ephemerid. Lit. Goetting. 1790, pag. 1573. Videtur hæc Geographia non e Dionysio, sed e Ptolemæo expressa. Exstant *Joan. Honteri, Coronensis, Rudimentorum Cosmographicorum libri III*, cum tabellis geographicis, et adjecto libro I de variarum rerum nomenclaturis per classes. Impressus est libellus, carmine hexametro scriptus, anno 1573, in-8, nulla loci notatione adjecta. — Hoc opusculum Honteri ante editum est cum Procli Sphæra, Cleomede de Mundo, Arati Phænomenis, et Dionysii Afri Descript. orbis, græce et latine, Basileæ, per Henricum Petrum, anno 1561. Ed. — Memorabile inprimis opus est *Lamberti Danæi: Geographiæ poeticæ, id est, universæ terræ descriptionis ex optimis ac vetustissimis quibusque Latinis poetis, libri quatuor. Apud Jacobum Stoer, MDLXXX*, in-8, in Anglia excusum, urbis nomine non adposito. Ex meris veterum poetarum locis et integris versibus consarcinatum hoc opus est; tantum, ubi necesse fuit ad pleniorem accuratioremque terræ alicujus vel maris descriptionem locos quosdam Dionysii interponere, prosaicam eorum versionem auctor, non versus exhibet. Qua in re mirandum summopere est, tot in aliis poetis Latinis, descriptioni orbis accommodatis, ignotos auctori fuisse poetas, Dionysii Latinos interpretes. His addo denique juvenile opus *Sylvestri Tappen*, Hildesiensis, quod inscribitur *Poeta Geographus, id est, Orbis terræ descriptio latino carmine comprehensa*, etc. Hildesiæ, anno 1686, in-4. Hic etiam auctor, ubi capite 3 originem et historiam Geographiæ, ejusque auctores Græcos et Romanos enarrat, Afrum quidem Dionysium et Eustathium, post Melam, Plinium et Solinum, nominat, non Dionysii interpretes, Avienum et Priscianum, nec in ejus carmine apparent indicia, lectos ab eo hos poetas esse.

scholis addiscendas compendiosiorem disciplinæ modum existimaret, si cum linguis res discerentur, neutræ traderentur solæ aut separatim, eamque in rem poetas inprimis legendos commendaret, qui et brevitate sua expediri facile, et ubertate rerum prodesse multum possent, in his Dionysium Periegetam cum interpretibus suis præcipue laudavit, et in usum scholarum revocare studuit (1). Equidem probe scio, non eam esse horum poetarum doctrinam et ubertatem, ut inde plena et perfecta orbis antiqui notitia peti possit, et ipse Cellarius in magno et immortali opere geographico permulta docuit, quæ ex istis poetis deduci et probari non potuerunt. Etenim quum Dionysius nihil aliud fere in carmine suo, quam vetustiorum Græcorum opiniones reddit, tum interpretes ejus Latini, Dionysium reddidisse contenti, nullas terrarum mutationes a tanto inde tempore factas attigerunt, sæculi sui morem dicam, an vitium sequuti, quo quidem nonnulli haud indocti viri labentem eruditionem fulcire repetendis et in memoriam revocandis scriptoribus antiquis conabantur, sed quum in conatu isto auctores veteres vel verterent tantum, vel in breviaria contraherent, neque traditam ab iis doctrinam suis studiis amplificare, aut suis accommodare temporibus cogitarent, hinc amplitudinem illam doctrinæ

(1) Dissert. de Poetis scholæ publicæ utilioribus, § XIV, quæ est XII, partis II, Dissert. Acad. Cellar. a Walchio edit.

veteris in quasdam quasi angustias et ad eam exilitatem compulerunt, quæ proxima interitioni esset. Sed quamquam hoc nomine culpandi sunt Dionysii interpretes, recte tamen et salubriter Cellarius consuluisse videtur, qui eos scholasticæ disciplinæ aptos censuit. Tironibus enim veteris geographiæ notitia imbuendis haud alia, quam brevi descriptione opus est, ut formam aliquam prisci orbis conceptam animo habeant, quæ sufficiat ad veterum historicorum locos, et notata in iis terrarum populorumque nomina intelligenda. Quæ descriptio si, præter concinnam brevitatem, lectis verborum luminibus, et figuris imaginibusque poeticis exornata sit, vim mirificam ad formam illam orbis antiqui animis imprimendam habet, ut tamquam picturam ejus in tabula propositam sibi intueri videantur. Si quæ occurrant in narratione poetica obscuriora, aut doctius exquisitiusque dicta, quæ morentur et explicatione diligentiore indigeant, tum hæc ipsa mora, et doctrina, quæ explicandis iis adhibebitur, magistri, voluptatem cognoscendi alet, suaviusque singula tironum animis insinuabit, ut diligenter versando rem omnem percipiant rectius, et tenacius servent. Hunc doctrinæ fructum quum olim recte a Dionysii interpretatione, aut Prisciano, ejus metaphraste, exspectarunt, tum multo magis ab Avieno, quamvis adhuc fere neglecto, exspectandum esse puto. Nam quum Priscianus simplici fere et grammatica Dionysii interpretatione fungatur, Avienus

contra, ingenio et eruditione multa usus, orationem Græci scriptoris non dilatavit modo, et sensum explicatiorem reddidit, sed etiam floribus et ornamentis verborum plurimis exornavit, ut propemodum suavior ipso Dionysio videatur. Enimvero dolebat Cellarius, quod translatio ea Periegeseos non castigatior exstaret hodie, atque alios, quibus vetustos codices inspiciendi facultas esset, excitabat, ut ea, quæ prava et corrupta jam leguntur, emendandi curam susciperent. Quo cupidius ad novam ejus poetæ recensionem accessi, et magnum mihi operæ pretium fecisse videor, qui Avieni geographica carmina, parce adhuc edita et tractata, quoad potui, diligenter castigata, et perpetua adnotatione explicata edere studuerim. A codicibus quidem manu exaratis, qui nescio an uspiam reperiantur, nihil opis ad emendandum Avienum exspectare potui, parum a priscis editionibus, quarum mihi parca admodum copia fuit; sed quod efficere diligentia, quod meditatione et conjectura adsequi, et impetrare a doctorum hominum observationibus potui, id, perpetuo dedi operam, ut ad illustrandum Avienum conferrem. Quo magis lætatus sum beneficio, quo vir clarissimus, Everwinus Wassenberghius, humanitatis in Academia Franequerana Professor juxta ac verum exemplum, conciliante Laur. Santenio V. C. mihique amicissimo, me meumque institutum ornavit, quum eruditissimas, sed ineditas, Joannis Schraderi, sui quondam collegæ, commenta-

tiones in Avieni Descriptionem Orbis liberalissime mecum communicavit, et tamquam subsidio meis commentationibus misit. Hoc adjumento suffultus facilius in explicando Avieno perrexi, nec in altero ejus poemate de Ora màritima, eruditorum observationes in subsidium vocare neglexi, omnino autem id meis adnotationibus egi, ut Avieni carmina plana ad intellectum essent, et cum fructu legerentur.

Etsi Rutilii Itinerarium, quod primo loco posui, non universam geographiam, sed partem Italiæ, complectitur, tam præclara tamen et egregia de Italia et urbe Roma, quæ patria victoris terrarum populi, et Romanis scriptoribus ubique celebrata terra est, de ritibus nonnullis Romanorum, de viris illustribus et rebus gestis, antiquæ et recentioris memoriæ, prorsus jucunde et eleganter memorat, ut minime dubitem, quin si junioribus proponatur ad legendum, et justa eorum, quæ breviter attinguntur, interpretatio accedat, magnum ea lectio sit usum habitura ad gustum aliquem rerum Romanarum capiendum, et plures veteris historiæ, geographiæ, mythologiæ partes cognoscendas.

In ordine poetarum geographorum duo Dionysii interpretes ita collocavi, ut Priscianum, quamvis ætate recentiorem, præponerem Avieno, eique integros Jos. Camertis et Andr. Papii commentarios subjungerem. Id quibus caussis permotus fecerim, paucis mihi videtur exponendum. Videbam Priscianum, ut planum

scriptorem et nullius fere interpretationis egentem, ita rerum geographicarum caussa maxime tractatum et expositum; Avienum contra, multis adhuc corruptelis laborantem, præcipuam emendandi curam poscere. Priscianum igitur censebam præmittendum, ut, adnotationibus geographiam spectantibus satis in eum collatis, ad Avienum deveniens, locum facere observationibus criticis, geographicis supersedere, aut ubi his opus esset, adlegare ante notata ad Priscianum possem. Joannis Camertis commentarius, subitarius is quidem et parum elaboratus est, et subinde trita admodum et vulgaria continet; verumtamen, quod plenam geographiæ veteris doctrinam ex aliis auctoribus collectam tradit, atque exemplaria ejus rarissima hodie inventu sunt, repetendum typis cum Papii animadversionibus curavi, recisis tantum nonnullis, quæ digredi in aliena videbantur. Movebat ad hæc alia me et tantum non cogebat ratio, quod Camertem videbam innumera fere loca Avieni corrupta in commentario suo sanasse, quorum emendatio quoniam memoranda mihi ad ipsum Avienum erat, adesse lectoribus meis Camertis commentarius, alias non inveniendus, debebat, ut recurrere ad ipsum fontem emendationum possent. Duobus his geographis poetis alia nonnulla, quæ eis adscribi solent, quamvis non ejusdem argumenti, carmina subjeci, morem atque institutum meum secutus, quo poetam in sua quemque classe integrum, quoad possum, sistere, carmini-

bus, quæ uni auctori tribuuntur, conjunctis, soleo.

Ausonii opusculum de Claris Urbibus cur in seriem carminum geographicorum retulerim, ejus rei caussas facile, ut spero, et perspiciet quisque, et æquo animo probabit. Qui integrum et plenum corpus poetarum geographorum volebam conficere, non poteram illud Ausonii de Urbibus, ex operibus quidem ejus conjunctis repetitum, singulare tamen, opusculum omittere, quum idem alii Itinerariorum editores suæ collectioni inserendum putassent. Opportunum præterea hoc videbatur, quocum alia urbium, insularum, regionum elogia, quæ varios apud auctores exstant, et partim in Anthologia Latina leguntur, conjungerem, atque ita classem hanc poetarum locupletarem. Addidi denique extremo loco, tamquam ἐπίμετρον, Varronis Atacini fragmenta. Quem poetam quia præcipuum et antiquissimum inter Romanos geographiæ scriptorem esse puto, ita quidem, ut carmina ejus, quæ ab aliis scriptoribus laudantur, si non omnia, certe pleraque, orbis terræ, aut itineris per varias ejus partes facti descriptionem tenuisse arbitrer, idcirco ponendum in ordine poetarum geographorum censui, et fragmentis carminum ejus in hunc locum diligenter congestis, memoriam poetæ, quondam valde illustris, excitare denuo et conspicuam reddere studui.

Quem in omni explanatione Poetarum Minorum, et singulis eorum classibus, habui respectum illu-

strandæ et amplificandæ historiæ auctorum veterum, hujus persequendi occasio satis larga in præsenti poetarum volumine oblata est. De Rutilio, Avieno, Prisciano, Rhemnio Fannio, cæterisque carminum, quæ propono, auctoribus quum copiose in procemiis egi, tum quæ adhuc de eorum nominibus, officiis, scriptis horumque editionibus ferebantur, pleraque rectius constitui, nonnulla falso adserta expunxi, alia incerta vel obscura meliore luce collustrare studui. Obiter, de auctoribus agens, attigi homonymos celebriores, eorumque notabiliora merita enarravi, tum præcipue in procemio ad Rutilium notavi et recensui antiqui sequiorisque ævi poetas qui, simile argumentum persequuti, itineris vel regionis descriptionem dederunt carmine, quod hodie vel insertum aliis eorum operibus legitur, vel totum periit, allatis simul, ubi exstabant, quorumdam fragmentis.

Quænam sequenti operis mei, eoque sexto, tomo abs me prodenda sint poemata, id, puto, e superioris voluminis præfatione jam constabit lectoribus meis. Restant nempe Columellæ, Palladii et aliorum de Re Hortensi et Villatica poemata: restant Maximiani Etrusci Elegiæ cum aliis nonnullis, amatorii et ludicri argumenti, quas Goldastus in Ovidii Eroticis vulgavit: et accedent his duo dramata, incerti auctoris Querolus comœdia, et Hosidii Getæ Medea. Hæc si mihi contigerit absoluta edere, quod quidem curabo diligenter, nisi caussariam missionem ætas et valetudo indixerit,

tum equidem valde gaudebo, et instituto descriptoque operi Poetarum Minorum utcumque me satis fecisse arbitrabor. Sed sunt præterea, quæ ad consummandum et ex antiquitatis Romanæ reliquiis construendum corpus poetarum minorum adhuc requiri, et septimo prodenda tomo, videantur, poemata Didascalica, ut Aratea Ciceronis, Cæsaris Germanici et Avieni, cum aliis astronomicis a Scaligero collectis, Sereni Samonici et Marcelli carmina de Medicina, Bedæ de compositione horologii, et nonnulla alia. De his autem edendis quid aliquando, quid de me futurum sit, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται (1). Etenim si laboris exhauriendi summam, si temporis in eo consumendi spatium cum ætatis meæ rationibus confero, improbum fere votum videatur, si sperem me editurum: neque vero, id si mihi negatum fuerit, despero exstiturum alium virum eruditum, cui vel ipse lampada in decursu operis tradam, vel opportunitas bene de literis merendi eam mentem injiciat, ut poetis, quos superesse dixi, recensendis denuo et illustrandis operi meo supplementum, aut potius colophonem addat. Scripsi Helmstadii in Academia Julia Carolina, a. d. XXV Aug. MDCCLXXXVIII.

(1) Quod animo destinaverat Wernsdorfius, perficere mors prohibuit. Et nos Pseudo-Planti Querolum, et Hosidii Getæ tragœdiam, Medeam, et, quæ nominat, Didascalica, quia priorum voluminum non implent mensuram, neque commode Astronomicorum collectio cætera complecti poterat, seponenda duximus, donec singula, si vacat, seorsim edere possimus. Ed.

CARMINUM GEOGRAPHICORUM

PARS PRIOR.

(1) Sic ordinem Wernsdorfianæ editionis mutavimus, quum hæc poemata secundæ parti ab illo inserta sint. Ed.

I.

CLAUDII RUTILII NUMATIANI

V. C.

DE REDITU SUO

ITINERARIUM.

PROŒMIUM

DE RUTILIO NUMATIANO, EJUSQUE ITINERARIO, TUM DE ALIIS POETIS ITINERARIORUM SCRIPTORIBUS.

De persona et vita Rutilii Numatiani acturis præcipuam dicendi materiam, immo et viam monstrare videntur inscriptiones et tituli, quibus initium Itinerarii antiquis in exemplaribus insignitum reperitur. Qui quoniam nomina Rutilii et gestos ab eo varios honores indicant, quos librarii videntur ex ipso carmine, nec tamen omnes pari ratione atque fide, ductos posuisse, nos, si excussis his titulis, quæ vera ejus nomina, qui certi honores fuerint, exploraverimus, majorem nobis vitæ Rutilii partem absolvisse, nec exiguam ei lucem intulisse videbimur. In antiquissima edit. Bononiensi inscriptio libri I hæc est: *Ad Venerium Rufium*

Rutilii Claudii Numatiani, Galli Viri, Consularis, præfectorii Urbis, tribuni militum, Præfecti prætorio, liber primus, cui titulus Itinerarium. Sic plane Onuphrius Panvinius, qui tantum verba *Ad Venerium Rufium* reliquo titulo postponit, et *Rufum* scribit pro *Rufium*. Simlerus sic: *Itinerarii Rutilii Claudii* (cætera ut superiores) *liber primus ad Venerium Rufium.* Pithœus ut Simlerus, tantum Itinerarii vocem postponit titulis. Castalio repetere videtur inscriptionem Bononiensis antiquæ, sed correctam et mutatam. Nam omittit verba *Ad Venerium Rufium*: Claudii nomen præponit Rutilio: non eum Virum Consularem dicit, sed notas V. C. adhibet, nec *Præfectorium* nominat, sed *Præfectum*. Sitzmannus sequitur Castalionem; in hoc tantum differt, quod verba *cui titulus Itinerarium* abjicit, contra rursus cum superioribus subjungit *Ad Venerium Rufium.* Reusnerus plane arbitraria et singulari ratione librum I inscripsit: *Rutilii Claudii Numatiani Iter Pisanum, ad Ven. Ruf.* Burmannus nomina et titulos plane ut Sitzmannus ponit, sed subjicit *Iter ad Venerium Rufium, liber primus.* In singulis fere inscriptionis antiquitus usurpatæ vocabulis variatio aliqua, aut error notari potest; et in honorum titulis sunt, qui falso tribuantur Rutilio, et manifeste appareant ex erronea interpretatione quorumdam carminis locorum profecti. Unde palam est, non esse hanc inscriptionem ab ipso auctore præpositam libro, fortasse nec in primo vel unico Rutilii codice, e quo nostra fluxerunt exemplaria, lectam, sed demum ingenio descriptorum vel editorum repertam. Quapropter Jos. Castalio, qui primus Rutilium critica diligentia pertractavit, in principio commentarii sui profitetur, cognovisse se, *titulum in plerisque vulgatis partim excrevisse, partim etiam mendum admisisse.* Proinde se *luxuriantia quædam in eo amputanda, reliqua corrigenda censuisse.* Nos igitur exemplum Castalionis sequuti, singula inscriptionis verba vel titulos, comparatis editionibus variis, et rationibus cujusque examinatis, ita excutiemus, ut, quæ vera et

certa sunt, tribuamus Rutilio, cætera resecemus, quemadmodum jam factum a Christ. Tob. Dammio, in recentissima Rutilii editione, videmus.

Rutilii nomen Claudio præponunt antiquiores editores, recentiores inde a Castalione postponunt. Cujus rei etsi ipse in veteribus monumentis nullum vel exemplum vel argumentum reperire possum, puto tamen eos, qui mutando nominum ordine a priorum editorum consuetudine recesserunt, id ratione aliqua vel auctoritate permotos fecisse, quos igitur sequi non recuso, et *Claudium Rutilium* voco. *Numatiani* cognomen, quod omnino rarius insolentiusque est, varie acceptum mutatumque a nonnullis scriptoribus est. Raph. Volaterranus (1) *Naumatianum* vocat; *Namatianum* P. Summontius in præfat. ad Joviani Pontani dialogum, qui Actius inscribitur (2): *Munatianum* a celebriore nomine Munatiorum appellari maluit Ger. Jo. Vossius (3): *Numantinum* denique, nescio an per errorem, nominavit Gisb. Cuperus (4). Mendosum omnino videtur *Numantianus*, quod Gesnerus in Bibliotheca, et J. N. Funccius (5) usurparunt, rectum *Numatianus*. Etsi enim derivatum hoc vix occurrit apud scriptorem aliquem, ipsum tamen gentile *Numatius* haud insolens. In Gruteri Inscriptionum indice leguntur *A. Numatius Hermes*, *L. Numatius Augustalis*, *P. Numatius Cerealis* (6). *Galli* cognomen cæteris adjunctum exstat in antiquis editionibus, quod alii subinde sic usurpant, tam-

(1) Comment. Urban. lib. IV, fol. 45, ed. Basil. 1530, et column. 140 edit. 1603.

(2) Tomo II Op. Pontani, p. 188, edit. Basil. 1538.

(3) De Histor. Lat. libri III, parte IV, quæ est de historicis prætermissis, cap. 2, p. 745.

(4) Observ. lib. II, cap. 6, p. 195.

(5) De Lect. Auct. class. cap. 3, § 8, p. 36.

(6) Gregorius Turon. lib. II, cap. 16, *Namatium*, Arvernorum post obitum Rustici episcopum, memorat. Cujus nomen si in Galliis frequens fuit, potuit et Rutilius Namatiani nomen habere.

quam ipsum hoc ad nomina Rutilii pertineret; sed editores primi id, credo, non alia, quam nationis et gentis indicandæ caussa adposuerunt, ex ipso carmine repetitum, quo auctor Galliam sibi patriam fuisse indicat, lib. I, v. 19:

> At mea dilectis fortuna revellitur oris,
> Indigenamque suum Gallica rura vocant.

Neque ab illis, qui primi Rutilii mentionem fecerunt, et unicum illum codicem Itinerarii noverunt, Galli nomen aliter, nisi nationis caussa adhibetur. Volaterrano dicitur *Rutilius, Gallus poeta.* Qua provincia vel urbe Galliæ oriundus fuerit Rutilius, de eo ambigitur. Alii Tolosam, alii Pictavium ei patriam assignant. Præferendam alteri sententiam videri eam, quæ Pictavium nominet, adfirmant monachi Benedictini Mauriani in Historia Liter. Galliæ, t. II, p. 70, probantque ex lib. I, v. 208, ubi Palladium, qui Pictaviensis fuit, *spem et decus generis sui* vocat. Patris sui memoriam ipse Rutilius in carmine suo celebrat, eumque Proconsulari potestate Tusciæ præfuisse, et statuam honoris et bene meritorum caussa ei a Pisanis positam memorat, lib. I, v. 575:

> Hic (Pisis) oblata mihi sancti genitoris imago,
> Pisani proprio quam posuere foro.
> Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
> Fascibus et senis credita jura dedit.

Narrat ibidem, plures ab eo honores gestos: Comitem sacrarum largitionum, Quæstorem Palatii fuisse, v. 583 seq. Præfectura etiam functum esse sive Urbis, sive Prætorii, v. 585. Hunc patrem Rutilii *Claudium* esse, qui sub Valentiniano Juniore an. 389 Consularis Tusciæ, Cod. Theod. leg. 5, tit. de Denuntiatione, et Præfectus Urbi Contantinopolitanæ sub Arcadio Imp. a. 396 in l. 8 de Proximis, et l. 1 de Usu sellarum, tit. 13, lib. XV, memoretur, adfirmat Gothofredus in Prosopogr. Cod. Theodos. Idem amplius

confirmatum a Dominico Georgio in Exercit. Historica de antiquis Italiæ metropolibus, cap. VI et VIII, ut refert Burmannus in adnot. ad vers. 580 Rutilii. Post laudatam patris sui memoriam Rutilius versu 595 *Lachanium* aliquem nominat, et Tuscos eum dicit numinis instar venerari:

> Famam Lachanii veneratur numinis instar
> Inter terrigenas Lydia tota suos.

Hac connexione sermonis inductus Jos. Castalio existimat, Rutilii poetæ patri *Lachanio* nomen fuisse, et Dammius huic sententiæ adstipulans, et *Tyrrigenas* legens, pro *terrigenas*, ductu veterum editionum, ita verba Rutilii explicat, ut Etruscos dicat Lachanium instar numinis venerari propterea, quod eum quasi inter claros illos rei publicæ suæ conditores referant, qui a Tyrro vel Tyrrho principe suo, olim coloniam Lydorum in Etruriam ducente, orti fuerint. Et videtur omnino ea orationis Rutilii series esse, quæ suadeat, Lachanium de patre Rutilii intelligendum. Nam quum ante dixisset, non solum Pisis, ubi sedes magistratus Tusciæ erat, sed et ea regione, qua via Flaminia ducitur, documenta honoris, patri suo habiti, ab se reperta esse, jam subjicit, famam Lachanii Lydiam, i. e. Etruriam totam venerari. Quo pacto videtur sermo Rutilii in una persona continuari, ut integrum igitur patris nomen fuerit Claudius Lachanius (1). Cæterum nomen hoc incognitum nec repertum alibi Burmanno est, qui proptera *Læcanii* nomen substituendum putat, quod in lapidibus vetustis occurrit. Nam ut alios a Grutero descriptos prætercam, Reinesius, Class. X, inscr. I, antiquum Corporatorum Ostiensium laterculum, imperante Pertinace positum, profert, in quo n. 124 et 217 occurrunt C. Læcanius Victorinus, et C. Læcanius Felicissimus. Et feminæ nomen Lecaniæ Martialis habet, lib. V, 44, et VII, 34.

(1) Pariter Lachanium pro patre Rutilii acceperunt auctores Historiæ Liter. Galliæ, de eoque singulari capite agunt tomo II, p. 67.

Virum Consularem appellat Rutilium inscriptio Itinerarii primarum editionum, quo indicio adducti quidam interpretes et alii docti viri, ut Gyraldus, Panvinius, Vossius, Fabricius, Funccius, Consulatum Rom. a Rutilio gestum existimant. Ad probandum hi versus auctoris solent produci, lib. I, 157:

> Si non displicui, regerem quum jura Quirini,
> Si colui sanctos consuluique Patres.

At *jura Quirini regere*, propius vero est, Præfecturam Urbanam, significare, quam et hujus loci interpretes, Castalio, Barthius, Sitzmannus, intelligunt. Nam jura Quirini sunt jura Romanæ civitatis vel Quiritium, quæ potissimum regebat Præfectus Urbi, conflatam e Prætoria et Ædilitia potestatem habens, et de caussis civilibus familiarum, hereditatum, adoptionum, dominorum servorumque, rerum venalium, et id genus aliis, cognoscens. Confirmat hoc Sidon. Apollinaris, eadem phrasi usus, Carm. VII, 297:

> Intemerata mihi Præfectus jura regebat.

Eamdem Præfecturam Urbis *jura togæ* vocare Rutilius videtur, quamquam ex his verbis etiam alii Consulatum extorquere volunt, v. 467:

> Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
> Per quem jura meæ continuata togæ.

Præfecturæ sane potestas magis togata, quam Consulatus est, quippe quæ soli Urbis custodiæ addicta est, nihil agit foris. Ineptissimum vero est, si qui volunt e verbis *si colui sanctos consuluique Patres* Consulatum exprimere. Nam et hoc *consulere Patres* valebat, certe Rutilii ætate, de Præfecto Urbis, qui Senatus princeps erat, Patres consulebat, de illis judicabat, et illorum æque ac civium jura tuebatur, ut observat Sirmondus ad Sidon. Epist. I, 9, p. 20, ubi Sido-

nius Præfectum senatus vocat Præfectum Urbis, qui et ipse suam Præfecturam in Sapphico, lib. IX, epist. ult. sic describit:

............capiens honorem,
Qui patrum ac plebis simul unus olim
Jura gubernat.

Itaque non videtur Castalio satis recte *si consului Patres* de rogandis sententiis in Senatu, quod Consulis est, exponere. Nam potest hoc tantum significare, si consilia mea de rebus gerendis plerumque cum Patribus communicavi, eosque auctores habere volui. Sed de Præfectura hic loqui Rutilium, prorsus confirmant ea quæ statim subjicit versu 159:

Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit Præfecti gloria, sed populi.

Præterea Castalio (1) et Barthius (2) jam observarunt, nusquam legi Consulatum aliquem gessisse Rutilium, neque per eos annos, in quibus scriptum Itinerarium existimatur, in fastis Consulum Rutilium inveniri. Nihil juvat, quod quidam Consulem suffectum fuisse putant. Nam et hoc nullo idoneo argumento firmari potest, licet ita conjicere audeat Panvinius in præf. et Funccius de vegeta Ling. Lat. senect. p. 260. Probabilius existimant docti viri in codice Mspto Rutilii nomini adjunctas fuisse literas singulares V. C. quæ *Viri Clarissimi* significationem habent, non Viri Consularis. Certe in monumentis antiquis, quibus honores et magistratus illustrium virorum recensentur, notæ illæ V. C. reliquis titulis frequenter reperiuntur præmissæ, ut appareat Clarissimi titulo omnes insigniri solitos, qui summis in re publica honoribus gestis inclaruissent. Vidit hoc Chr. Tob. Dammius, et in Itinerarii Rutiliani inscriptione, omissis reliquis Rutilii titulis, solum Viri Clarissimi posuit.

(1) In prima adnot. ad Rutilium.

(2) Ad vers. 137 et 157.

Quod porro *Præfectorium Urbis* vocant tituli vetustiorum editionum, id pariter vitiosum, certe in forma vocabuli, et contra usum veterum inscriptionum est, quæ viros Præfectura functos, non Præfectorios, sed *ex Præfecto* vocare solent. Recte igitur Castalio, et qui ejus sequaces sunt, *Præfectum Urbis* ponere in titulis Rutilii maluerunt. Cæterum de honore eo ab se gesto satis clare loquutus est Rutilius diversis locis, ut vs. 157 et 160, 423 seq. 467. Vossius quidem (1) existimat, Præfectum Urbis fuisse Rutilium A. U. 1169, Christi 417, imperante Honorio, idque ipsum Rutilium indicare versu 135, quo Romam adloquitur:

> Quamvis sedecies denis et mille peractis,
> Annus præterea jam tibi nonus eat.

Hoc autem anno Rutilius quidem significat suum se Itinerarium scripsisse, non autem, gessisse Præfecturam Urbis. Rectius hæc collocatur in A. C. 414 vel 413. Nam Albinum sibi in Præfectura successisse ait versu 467, qui Præfectus Urbi memoratur Cod. Theod. lib. XIII, tit. 5, l. 38, quæ lex data est Constantio et Constante Coss. h. e. A. C. 414. Sunt quidem, qui Rufium Volusianum Rutilio in Præfectura successisse existiment ex versu 417 seq. inprimisque Dammius hanc sententiam probavit in paraphr. ad v. 467, duo successores in Præfectura a Rutilio memorari existimans, Rufium et Albinum, et horum quidem priorem esse Rufium. Sed ex verbis Rutilii quidem liquet, Rufium eo anno Præfectum creatum, quo Rutilius iter faciebat, non autem proxime a Rutilio factum, qui duobus minimum annis post gestam Præfecturam in Galliam rediit. Quin se multo ante, quam Rufius succederet, Præfectura functum, versu 423 indicare videtur:

> Festa dies, PRIDEMQUE meos dignata penates,
> Poste coronato vota secunda colat.

(1) De Histor. Lat. lib. III, parte IV, cap. 2. Quocum sentit Funccius, de vegeta Ling. Lat. senectute, cap. 3, § 79, p. 260.

Præter hæc Rutilii Præfecturam probat Plauti hypobolimæi Querolus s.ᵉ Aulularia, Comœdia, cujus auctor in præfatione, qua eam dedicat Rutilio, Illustrem eum vocat, h. e. Præfectum Urbi. Nam Illustris titulo designabat ea ætas Præfectum Urbis, Magistrum militum, Magistrum Officiorum, ut docet Jac. Gutherius, de Offic. dom. Aug. lib. I, cap. 4, p. 16. Et ad curam Præfecti Urbis inprimis pertinebant spectacula theatrorum. Quamobrem auctor Queroli, patrocinio Rutilii fultus, et consilio ejus ad docendam hanc comœdiam excitatus, ipsi etiam dedicandam censuit.

Tribuni militum officio ut Rutilium impertiret, nescio unde potius habere potuerit librarius, quam e versu 561:

> Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus,
> Ex commilitio carus et ipse mihi,
> Officiis regerem quum regia tecta magister.

Sed inde inscitia librarii apparet non levis, qui, quod Rutilius Tribunum militum dicit sibi ex commilitio carum, inde ipsum Rutilium Tribunum fuisse conjecit. Nam commilitium non paritatem officii, sed cujusvis ordinis aut ministerii societatem notat. Et quodnam commilitium sibi cum Tribuno isto fuerit, ipse mox explicat Rutilius, nempe quum ipse Magistri Officiorum munere functus sit. Ad Magisterium istud pertinebat Palatii disciplina, et scholarum militarium dispositio. Et Tribunus igitur ille, qui tum stationem habebat Triturritæ apud Pisas, olim sub Rutilio Magistro Officiorum in militia Palatina fuerat.

Idem judicandum de adjecto titulo *Præfecti Prætorio*. Nullum in toto Itinerario locum occurrere memini, unde hæc dignitas Rutilio possit adseri; sed nimirum ex falsa interpretatione illius carminis, quod modo adduximus, profectum esse suspicor:

> Officiis regerem quum regia tecta magister,
> Armigerasque Pii Principis excubias.

Qui excubias Principis rexisset, hunc existimabat librarius esse Præfectum Prætorio. Sed quæ descriptio forte apta fuisset antiquo Præfecto Prætorii Cæsarum, non ea convenit Præfecto Pr. qui sub Imperatoribus post Constantinum M. fuit; et *excubiæ armigeræ* Rutilio sunt tantum milites Palatini, satellites Imperatoris, qui protectores et armigeri vocabantur. Contra, quæ eo carmine manifeste significatur, Magistri Officiorum dignitatem ignoravit librarius, et reliquis Rutilii titulis accensere neglexit. Nempe *Magister Officiis* sc. datus vel præpositus, qui *regia tecta*, i. e. Palatium *regit*, quem alium indicet clarius, quam eum, qui parum diversa appellatione Magister Offic. vel Magister Pal. dicebatur, et Palatina officia omnia, ordines et scholas in Palatio militantium regebat? Hujus igitur officii titulum Rutilio tribuendum, dubio caret. Cæterum ex hactenus dictis licet colligere, contextum illum titulorum et honorum Rutilii, qui præfixus ejus Itinerario est, plane mendosum esse, et ab editore vel librario parum perito, nec satis attento profectum, et partim falsos vel dubios ponere, quos Rutilio vix tribuere liceat, partim alios, quos vere gesserit, omittere. Ex omnibus, quibus Rutilius oneratur, honoribus non alii ei certa fide adsignari possunt, quam Præfecti Urbis et Magistri Officiorum (1).

In verbis, quæ inscriptioni Itinerarii subjiciuntur, *ad Venerium Rufium*, quasi Rufio dedicatus sit libellus, error et temeritas librarii, qui carmini præposuit, manifestius apparet. Nam alienam esse hanc dedicationem et male additam, statim ipsius libelli initium prodit: tum Venerius Rufius nullus uspiam legitur eo nomine fuisse: Venerii autem

(1) Hos etiam solos ei tribuere video Hambergerum, in *zuverl. Nachr. von den vornehmst. Schriftst.* parte III, p. 54, edoctum fortasse a Tillemontio in Hist. Imper. Rom. quem consulere, quum hæc scriberem, non potui. Certe docent monachi Benedict. Mauriani in Hist. liter. Galliæ, t. II, p. 75, titulum Tribuni militum et Præfecti prætorio fundamento solido destitui.

nomen a librario vel editore Rutilii ex versu ejus corrupto et male intellecto confictum est. Singula luculentius demonstrabimus. Ipsum aio Itinerarii initium satis declarare, noluisse id auctorem homini cuiquam nominatim dedicare. Hoc si volebat, debebat statim sub ingressu carminis amicum suum adloqui, ut fecerunt Virgilius, Ovidius in Fastis, Lucanus, Statius, Valer. Flaccus, qui Cæsaribus suum opus dedicarunt. Contra Rutilius nullum hominem in introitu nominat, sed primo versu lectorem quemvis adloquitur, et sic orditur:

Velocem potius reditum mirabere, lector.

Videtur quidem, qui Venerium Rufium primum præfixit, hoc ea caussa fecisse, quod videret, bis mentionem Rufii facere auctorem, semel etiam versu 417 eum adloqui, tamquam singularem amicum. Sed hæc, ut judicat Castalio, non magis probant, hoc Itinerarium ad Rufium pertinere, quam Virgilii Æneida ad Turnum atque alios, quibuscum absentibus aut ipse, aut alii absentes sermonem instituunt. Nullum e nobilioribus gentibus Romanis Venerium ea ætate exstitisse arbitror, nullum honoratiorem, cui Rutilius libellum dedicaret. Quamquam non plane adsentior Dammio (in Paraphr. ad v. 421), qui Venerium nomen servile esse, idque ex Ciceronis Verrinis patere ait; nam Venerii servi apud Ciceronem non proprium, sed officii nomen habent, quasi servorum Veneris; id tamen verisimile videtur, Venerium primum e nominibus istis blandis et festivis fuisse, quibus vernas suas insignire solebant Romani, quale est Aphrodisii, Erotis, Gratii, Philumenæ, et alia in antiquis marmoribus occurrentia; tum a libertis retentum et propagatum pervenisse in familias liberas, ita tamen ut gentium antiquarum nulla reperiatur Veneria. Legitur sane in Gruteri Corp. Inscript. p. 853, 6, *Q. Venerius Festus*, et *Q. Venerius Manlius*, et pag. 772 *Claudia Veneria*. Nota est amita Ausonii *Julia Veneria*, in ejus Parental. c. XXVII celebrata, et ad *Venerium*

Diaconum exstat epistola Fulgentii, Ruspensis episcopi, quæ est XV editionis Oper. Paris. 1684. Sed quis mihi ex Rutilii ætate et Romanis illustrioribus Venerium aliquem ostendat, cui ille Præfectus Urbis libellum suum inscribere dignetur? Rufium quidem, quem adloquitur Rutilius, idem ostendit Albino, patre nobilissimo, ortum, ex antiquo Volusii stemmate derivare nomen, versu 168, ut *Rufium Volusianum* dictum esse, dubio careat, quo nomine multi in antiquis monumentis occurrunt. Sed Th. Reinesius, qui ad inscript. XXII Appendicis omiss. superstitem Volusianorum memoriam excutiens, septem Rufios Volusianos, omnes ex ipsa Rutilii, aut proxima ætate, recenset, in quibus sunt, qui conjuncta alia nomina Ceionii, Sabini, Antonii, Agrypnii, gesserunt, neminem tamen eorum adduxit, qui Venerii haberet. Quando igitur Jac. Sirmondus in notis ad Sidon. Epist. IX, 16, p. 103, agnoscens Rufium, amicum Rutilii, ad Volusianos pertinere, redintegrandum e sua conjectura titulum Itinerarii censet *Ad Rufium Venerium Volusianum*, sane mirari oportet, virum doctissimum, nulla suspicione mendosæ inscriptionis tactum, sic decipi potuisse, ut Rufii Volusiani nomen, apposito Venerii, nusquam reperto et nulla auctoritate adstructo, interpolaret potius, quam redintegraret. Nam etiam quum Volusianum Rutilii eum esse dicit Præfectum Urbis, cujus edictum adversus Cælestium hæreticum exstet (apud Baron. sub A. C. 420), non animadvertit, eum tamen Volusianum, non Venerium dici (1). Sed librarius, aut quisquis Venerii Rufii nomen præfixit, perperam illud e versu Rutilii 421 libri I traxit, qui antiquis in editionibus sic legitur:

> Cognomen versu Veneris (vel Veneri), carissime Rufi,
> Illo te dudum pagina nostra canit.

(1) Auctores Histor. liter. Galliæ, tomo II, p. 71, conjiciunt, esse eum Volusianum, qui epistolis S. Augustini celebretur, avunculum S. Melaniæ, quæ morti proxima paganismo renuntiavit, versus annum 436. An recte sic conjiciant, nunc non licet accuratius disquirere.

Quem versum si manifeste corruptum, et necessario emendandum aliterque legendum viderimus, omnis sapientia librarii, qua tam pulchra dedicatio Itinerario adficta est, evanescet, et fundamentum, quo Venerii nomen nititur, plane corruet. Grande mendum versui inesse, quum ipsa ejus verba indicant, quæ et justa constructione et idoneo sensu carent, tum omnes fatentur interpretes, qui tamquam concursu facto emendare conati sunt, et varios corrigendi modos repererunt. Quos quidem omnes, mirum est, auctoritate inscriptionis et Venerii nominis in libri fronte reperti, ita captos esse, ut sedem mendi non in vitiosa voce *Veneris*, sed in aliis versus verbis quærant (1), solo Heinsio et Dammio exceptis, qui quomodo emendare conentur, in varietate lectionis, loco illi Rutilii subjecta, indicabimus. Nos postquam totam inscriptionem Itinerarii erroneam, et e versibus male intellectis procusam esse vidimus, idem quærendum de adposito nomine Venerii putavimus, et hoc quasi introitu suspicionis patefacto facile adducti sumus, ut ad versum hunc corruptum, et vitiosam, quæ in eo videtur esse, dictionem *Veneris* præcipue attenderemus; qua emendata quum versum suo sensui restituimus, tum simul fontem, e quo *Venerii* falsum nomen manasset, obturavimus. Ita vero emendandum duximus, ut mendosæ lectioni *Veneris* similem plane vocem, et sensui explanando aptissimam, subjiceremus:

Cognomen versu veniat, carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit;

h. e. solum cognomen Rufii, quoniam Volusiani non potest,

(1) Ipse Castalio dudum ad vers. 419 notavit, suspectum sibi eo loco Venerii nomen esse, neque se in monumentis Urbis de Rufiis et Volusianis Venerios invenire potuisse. Agnoscit, titulum *ad Venerium Rufium* ex vitiosa lectione conflatum, neque tamen ipse de mendoso vocabulo *Veneris* emendando cogitat, sed alienum et incorruptum corrigit, scribens: *Cognomen versans, Veneri carissime Rufi*, etc.

versu meo proferatur; atque illo jam supra te nominavimus. Rationes alias factæ emendationis, videbis in adnotatione mea.

Itinerarium, quod titulo vetustarum editionum additur, et quomodo vulgo appellatur hoc opus, an ipse Rutilius inscripserit, de eo dubitant Casp. Barthius, Advers. lib. XVI, cap. 6, et Vossius, de Hist. Lat. lib. III, parte 4, c. 2, qui *de reditu* potius auctorem inscripsisse existimant. Caussa dubitandi non levis est, quod, qui primi carmen Rutilii inventum et lectum memorant, Raph. Volaterranus, Pontanus (verba eorum vide inter testimonia), non illud suo titulo inscripto designant, sed Rutilii elegiam, elegos, versiculos nominant. Ego vero, nisi auctor ipse *Itinerarium* inscripsit, certe librarium, qui codicem unicum, e quo primum descriptum et editum illud opusculum est, exaraverat, sic appellasse arbitror. Nam sic inventum in ipso codice esse, significare Pius in primæ editionis exemplari videtur, quando inscribit *liber primus, cui titulus Itinerarium.* Eumdem tamen servasse et indicasse genuinam auctoris inscriptionem puto in fronte libri II, ubi inscribit *Rutilii de reditu suo Itinerarii liber secundus.* Nos propterea optimum factu existimamus, utraque verba in formanda inscriptione retinere, ut ponamus *Cl. Rutilii de reditu suo Itinerarium.* Nam Itinerarium dixisse auctorem credibile est, ut uno vocabulo materiam libri exprimeret, qui re ipsa itineris ab auctore facti, et locorum, quæ transiit, descriptionem continet (1).

(1) Barthius quidem in not. ad vers. 1 monet, minime scopum fuisse Rutilio Itinerarium scribere, quod aliter longe instituisset, et librariorum igitur, non auctoris, esse vulgatum titulum. Sed me fateor non intelligere, cur Itinerarii vocabulum libro convenire neget. Tale quidem non est, quale fertur illud Antonini, merus index urbium et locorum, per quæ ducunt viæ publicæ, sed tamen descriptio itineris singularis, certa per loca facti, cum commemoratione rerum, quæ ei quoque loco evenerunt. Quod idem Itinerarium recte vocari nemo neget. Præterea Burmannus, ut ipse indicat in præf. ad Poet. min. de vulgato Itinerarii vocabulo

Adjicere vero voluit *de reditu suo*, ut significaret, differre hoc Itinerarium ab aliis, quod non auctoris profectionem e solo patriæ vel habitationis suæ in terras peregrinas institutam describeret, sed reversionem ejus e Roma, ubi peregre abfuerat, in patriam. Cæterum, quod antiquæ editiones libri secundi principio verba *de reditu suo* adscripta habent, hæc sine dubio caussa fuit, quæ Onuphrium Panvinium induxit, ut duo Itineraria a Rutilio composita existimaret, alterum primi libri de itu ex Urbe in Galliam, alterum de reditu ex Gallia Romam. (Locum Panvinii vide inter Testimonia.) Sed unum idemque iter redeuntis ex Urbe in Galliam per utrumque librum continuari, accuratior ipsius operis lectio facile docet. Nam primo libro iter ab urbe Roma Pisas usque procedit, secundo Pisis incipit, nec ulla reversionis mentio.

Quod ad tempus profectionis scriptique Itinerarii attinet, dedit se quidem itineri Rutilius haud multo post, quam gestos Romæ honores absolverat, et fortasse altero anno post depositam Præfecturam Urbis; quod tempus diu multumque præstolatus videtur, ut, quod ipse fatetur versu 20 seq. revocantem se patriam, calamitate belli devastatam, et prædia villasque suas incendio absumptas, præsens ipse inspiceret et instauraret. Ipsum vero Itinerarium, sive descriptionem reditus sui serius videtur composuisse post confectum iter; placetque conjectura Dammii, qui in Paraphr. pag. 47, monet, Rutilium non in itinere suo scripsisse hos libros, sed in Gallia, quum in prædiis suis ageret otiosus. Accuratius annum, quo confecerit librum suum, Rutilius ipse indicat versu 133 libri I, nempe Urbis coud. MCLXIX,

dubitavit, maluitque *Iter* inscribere, quod Rutilium crederet ad exemplum aliorum se composuisse, ut Julii Cæsaris, quem Suetonius, cap. 56, narrat *poema reliquisse, quod inscribitur Iter*. Ego vero Rutilium existimo morem et usum sui sæculi sequutum esse, quod Itinerarii magis, quam Itineris vocem de ejusmodi libris frequentasse videtur.

qui est Christi CCCCXVII, imperante Honorio (1); et libro secundo potiora imperii fata, quæ eo Romæ vivente evenerunt, commemorat, combustos Romæ libros Sibyllinos, Stilichonis interitum, et captam ab Alarico Gothisque Romam, quod factum est A. C. CCCCX. Post confectum Itinerarium mansisse in Gallia, et in prædiis avitis consenuisse, nec ad Italiam revisendam honoresque continuandos adspirasse videtur. Neque enim ullum honorum post abitum ex Italia gestorum vestigium exstat, et consequuta sunt ea tempora, tristia et turbulenta, quæ, Galliis continua Barbarorum incursione vexatis, Rutilium patriæ et possessionibus suis tuendis prospicere magis, quam rem publicam curare juberent. Aliter quidem opinatur Barthius ad Rutil. I, 28, et Rutilium putat in Gallias rediisse cum milite, aut certe plena potestate corrigendæ provinciæ, quod genus ævo posteriore *Correctores* vocabant, officium ipsum *Correcturam*. Cortius etiam in adnot. ad v. 19 tale quid cogitavit, atque eo versu Rutilium ait significare, fortunam suam vel statum suum forte talem esse, ut Roma sit relinquenda, quum Præfectus, Prætor vel alio nomine in Galliam mittatur provinciæ corrigendæ. Sed hujus potestatis publicæ Rutilio datæ nullum indicium. Ipse ibi non de provincia Galliæ, sed de prædiis, agris et tectis avitis a se restituendis loquitur, et pro caussa profectionis suæ non magistratum sibi delatum, non jussum Principis adfert, sed suam ipsius miserationem, suum desiderium videndæ patriæ, quia sit indigena et civis, possessor et dominus, cujus *privatam fidem damna publica repetant*, versu 24. Præterea Correctoris, quod dicebatur, officium non in corrigendis vel restituendis provinciæ vastatæ ruinis versabatur, sed in moribus, juribus, legibus

(1) Sie etiam sentit Jac. Gothofredus in disc. histor. ad legem *Quisquis de majestate*, cap. 9. Nam Rutilium scripsisse suum Itinerarium censet viginti annis po t legem Majestatis, quam ipse demonstrat datam esse ab Arcadio A. C. 397. Eadem statuentem vide Tillemont. *Empereurs Rom.* t. V, pag. 820.

tuendis, justitiaque administranda, eratque præfectoria dignitate inferius, ita ut Rutilius post gestam Præfecturam Urbis non videatur ad Correcturam Galliæ delegari potuisse. Agit de Correctoribus Gutherius, de Offic. dom. Aug. lib. I, cap. 7, et inter alia monet, Correctores non provinciam, sed partem provinciæ administrasse : quo pacto non a *corrigendo* nomen acceperunt, sed quod Rectorum provinciæ adjutores et socii erant, vel quod provinciam una cum pluribus regebant. Contrariam prorsus sententiam fovent auctores Historiæ liter. Galliæ, tomo II, p. 73, qui, quum Rutilium putant Itinerarium suum imperfectum reliquisse, quod tempus non habuerit resumendi illius et finiendi, hinc conjiciunt, Rutilium fortasse periisse mari, aut in itinere mortuum ante, quam in Galliam perveniret. Sed hæc suspicio levissima ratione nititur. Quum Theodulphus Aurelianensis inter poetas ecclesiasticos, a se lectos, Rutilium nominet (vid. Testimonia), neque præter Nostrum alius ejus nominis et ætatis reperiatur, fortasse suspicari liceat, Rutilium nostrum, publica calamitate patriæ, et interitu ruentis ubique paganismi compulsum, sicut alii gentis suæ fecerunt, Christianis se dedisse sacris, et sanctioris argumenti poematibus scribendis gentilismi, quod olim nimium præ se tulerat, studium expiasse. Sed de fatis, quæ Rutilius post scriptum Itinerarium habuit, omnia incertissima sunt.

Observarunt Petr. Pithœus in Emendat. in poem. vet. p. 599, et Ger. Jo. Vossius, de Hist. Lat. lib. II, cap. 15, ex ordine navigationis et itineris, quod in libro Rutilii describitur, videri quædam confusa, et versus nonnullos loco suo trajectos esse. Et opinionem eam refricuit *Adr. Baillet, Jugem. des Savants*, t. III, p. 291. Neque vero auctores illi transpositionis ejusmodi exempla proferunt, neque ego viros doctos, qui in Rutilium scripserunt, locorum quorumdam, quæ ille attigit, perversum situm notare memini. Dabo tamen operam in progressu recensendi operis, ut, si quis talis error commissus videatur, suo loco moneam. Cæ-

terum plurimorum eruditorum judicio ipsum poema disertum, argutum, ac supra ætatem, qua poeta vixit, elegans ac venustum est. Etsi Burmannus detrahere aliquantum Rutilio audet (in Præf. ad Poet. Lat. min.), optimeque cum eo agi putat, si inter mediocres poetas ipsi locus relinquatur, ingenii tamen sensuumque nobiliorum splendor, et orationis pro eo sæculo elegantia desiderari in eo nequit, inprimisque ex eo loco, quo Romæ laudes persequitur, quemque Barthius haud immerito cum Claudiani venustate componit, facile apparet. Atque etiam si partem eam laudis, quæ ab ingenio et poetica elegantia tribui potest, missam faciamus, hoc certe fatendum et relinquendum Rutilio est, esse opus ejus, quamvis breve, admodum varium et multa eruditione refertum, omninoque auctorem prodere, hominem illustrem, literis omnibus inprimisque historiæ et antiquitatis Romanæ scientia instructum, tum prudentia, humanitate et multo rerum usu insignem. Culpatur quidem in Rutilio ab eruditis inimicus ac plane virulentus animus in Judæos et Christianos, præsertim monachos, quem prodere aliquot locis, ut lib. I, v. 383 seqq. 439 seqq. 518 seqq. videtur. Sed hæc criminatio quin propemodum elevari et dilui ab æquis judicibus possit, mihi non est dubium. Immo apparere in iis, quæ de Judæis et monachis judicat, specimen aliquot prudentiæ videtur. Sentit omnino ut homo gentilis, religionum avitarum et rerum Romanarum amans, nec de Judæis acrius et acerbius judicat, quam Romanorum alii, Tacitus, Martialis, Juvenalis. Convicium genti Judææ factum importunitate et injuria Judæi provocabatur, et, quam de potentia Judæorum invalescente querelam addit, haud dubie tacita viri prudentis indignatione expressa est, quæ nimiam Imperatorum Christianorum, et Honorii maxime, indulgentiam erga Judæos, indeque ortam horum arrogantiam, rei publicæ noxiam, æquo animo non ferebat (1).

(1) Videri possunt plures leges Cod. Theod. tit. 8 de Judæis et cælic.

Christianæ religioni nihil adversum dixit Rutilius, qui monachorum perversa instituta vitæ reprehendit. Multum sane horum ratio a veri Christianismi natura distat, et si Rutilius forte Hieronymi alicujus judicio, in voluntariæ solitudinis et paupertatis studio insanientis, damnabitur, certe quoruuvis aliorum rectius judicantium sententia indemnatus abibit. Nam quod Rutilius vitare hominum societatem, negare officia rei publicæ, vitæ bona et commoda fugere, sordes contra et illuviem sectari, vesanum errorem monachorum dicit, in eo non magis peccare censendus est, quam veterum gentilium philosophi, qui idem in Cynicis damnare et ridere solebant; et si plerique doctores veteris ecclesiæ in eo more vitæ solitariæ magnum gradum pietatis et sanctimoniæ posuerunt, atque hoc sanctiorem vitam, quo remotior a civili esset, putarunt, hæc potius labes et corruptela fuit saniori doctrinæ Christianæ invecta, quæ vitam hominum communem et mutua officia non tollit, sed tuetur et emendat. Neque igitur Rutilius aliter quam sapienter, judicasse censendus est, qui monachorum instituta reprobavit, quod per ea deseri officia vitæ necessaria, multosque homines, qui usui esse poterant, subtrahi rei publicæ videbat. Cæterum ille, quod doctrinam Christianam carperet, nullum verbum toto poemate fecit, aliis locis potius reverentem se Imperatorum et primariorum virorum, qui eam profitebantur, præbuit. Fuerunt quidem summi inter eruditos viri, ut Petr. Pithœus, Advers. subseq. lib. II, c. 3; J. Lipsius, not. ad fragm. Senecæ; C. Barth. not. ad Rutil. I, 389; item auctores Histor. liter. Gall. t. II, p. 72, qui putarent, Rutilium, quum Christianos aperte insectari periculosum esset, id nomine Judaicæ religionis prætexto ausum esse. Sed si totum locum inde a versu 387 libere et nulla opinione occupati perpendimus, nihil in eo observatur,

lib. XVI, et Gothofredi ad eas comment. sigillatim ad legem 3, tit. 9 ejusdem libri; tum Petr. Wesseling. de Judæor. Archont. cap. 10, p. 98.

quod Christianos magis, quam Judæos tangere videatur, nihil adeo, quod ratione satis probabili traduci ad Christianos possit; nisi forte illud velis, quod versu 389 gentem Judaicam *radicem stultitiæ* vocat. Nam hoc maxime verbo nituntur, qui Christianos peti existimant. Dicunt stultitiam a Rutilio vocari Christianismum, et Judæos ejus radicem, quod ille ex Judaismo propullularit. Sed quamquam antiquitus Christianos cum Judæis sæpe a Romanis confusos esse constat, hic tamen error temporibus Rutilii adscribi amplius nequit, et quid vetet, *stultitiam* hoc loco dictam de ipsorum Judæorum stultis opinionibus et ritibus, ut ille putat, intelligere, equidem non video, siquidem ipse Rutilius postea ejus stultitiæ exempla in ritibus quibusdam Judaicis enumerat. *Radicem* autem stultitiæ gentem Judaicam vocat, quod ab ea nihil nisi stultum et ab aliorum moribus abhorrens proveniat. Quando denique versu 397 ait, *latius excisæ pestis contagia serpere*, quæ caussa sat gravis nos cogat, ut forte Christianos, graviter antea vexatos et accisos, nunc late propagatos et sparsos, respici, non Judæos, existimemus? quum aperte victorias Pompeii et Titi, quibus excisa ea gens est, nominet, atque ex historia constet, eo ipso, quod devicti Judæi in regionibus Judææ consistere et habitare sunt prohibiti, compulsos eos in alias provincias, et longe lateque per imperium Romanum dispersos esse. Sed dudum huic suspicioni de Christianis obviam iit, et Rutilium non de aliis, quam de Judæis, loqui contendit Theod. Sitzmannus, not. ad vers. 397, cujus sententiæ calculum adjicit vir eruditus, qui in Bibliotheca universali et historica, gallice scripta, editionem Rutilii Almeloveenianam recensuit, tomo V, pag. 239.

Propter honores in re publica gestos, scriptum poema egregium, atque apparentem in eo insignem prudentiam et eruditionem, meruit sane Rutilius, ut præcipuum locum inter alios ejusdem nominis viros obtineret, quos bene meritis in rem publicam, tum eruditione et scriptis illustres

tulit antiquitas. Liceat hoc loco maxime insignes eorum nominare. *P. Rutilius Rufus*, qui cum Cn. Manlio Consul anno U. C. DCXLIX fuit, nec solum inter oratores et jureconsultos ævi sui maximos numeratus est (1), sed et nomen inter historicos meruit. Orationes ejus multas laudat Cicero in Bruto, et passim citant Grammatici. Scripsit præterea libros de vita sua, et libros historiarum, græco sermone, quibus maxime historiam belli Numantini, in quo ipse tribunus sub Consule Scipione Æmiliano militaverat, complexus est, teste Appiano in Iber. cap. 88. Libros ejus tanti æstimavit Cæsar Augustus, ut populo notos faceret per edictum, teste Suet. Aug. cap. 89. Neque vero ille tantam e doctrina et scriptis, quantam e virtutibus famam nactus est. Quippe innocentiæ, integritatis et magni animi exemplum habebatur : quem demonstravit inprimis, quum invisus equestri ordini, quod legatus Q. Mutii Proconsulis Asiam a publicanorum injuriis defenderat, judicio equitum repetundarum damnatus et in exsilium pulsus esset. Quod ille non modo moderatissime tulit, Smyrnamque concedens deditus studiis, et apud provinciales honoratissimus vixit, sed etiam, quum a L. Sulla revocaretur, manere exsul in Asia, quam Romam redire maluit. Unde Ovidius de eo Pont. I, 3, 63:

> Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
> Non usi reditus conditione dati.

Subit suspicio Rutilium nostrum illius magni Rutilii aliquam similitudinem adfectasse, aut memorem illius nominis se virtutum ejus imitatorem præstare voluisse. Libertas et severitas illius, nec minor animus in Nostri poemate elucet, atque ut ille de vita sua, sic Noster de reditu suo scripsit. Quod denique ille bello Numantino interfuit, fortasse hic simile Numatiani, aut ipsum Numantini, quod alii volunt, nomen in documentum imitationis suæ adsumpsit. Uberius

(1) Amm. Marcell. lib. XXX, cap. 4.

de rebus Rutilii Rufi disserentes videas Glandorpium, Onomast. Rom. p. 753, et Vossium, de Histor. Græc. I, c. 22, et de Histor. Lat. lib. I, c. 9. Alios præterea Rutilios Rufos summis honoribus et magnis rebus in re publica gestis illustres a Cicerone, Seneca, Valerio Max. et aliis passim memoratos adducit Glandorpius, quos præterimus, utpote scriptis non claros. Subjungimus *Rutilium Geminum*, antiquum, sed incertæ ætatis, poetam tragicum, cujus tragœdiam Astyanacta, et libros Pontificales citat Fulgentius Planciades in Expos. serm. ant. v. *suggrundaria* et *Arvales fratres*. Celebratior est *P. Rutilius Lupus*, rhetor, cujus liber de figuris sententiarum et elocutionis exstat, quem ille, Gorgiam rhetorem Græcum, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, sequutus, e quatuor ejus libris contraxit. Tempore Quintiliani hunc Rutilium vixisse statuit Glandorpius, et testem ipsum Quintilianum advocat lib. III, cap. 1. Sed hunc locum mendo laborare demonstrat, atque ex alio ejusdem loco lib. IX, c. 2, pluribusque rationibus adductis, sub Augusto vel Tiberio eum vixisse docet Dav. Ruhnkenius V. C. in præfat. ad hujus Rutilii Lupi librum, Lugd. Bat. 1768 (1). *Rutilium Flaccum* quemdam Theodosii et Honorii principum vitas descripsisse, adeoque coævum Rutilio nostro scriptorem fuisse, Gesnerus et Simlerus referunt in Bibliotheca, sed nulla auctoritate adducta.

Sed propius ad institutum nostrum pertinet, commemorare scriptores, quos Rutilius in scribendo Itinerario vel carmine geographico præeuntes aut sequaces habuit. Nam qui superioribus in tomis collectionis nostræ similes cujusque generis scriptores carminum, eosque vel deperditos vel exstantes, recensere consuevimus, nunc etiam ut de poetis geographis et itinerariorum scriptoribus Latinis, ævi antiqui et medii, agamus, argumento Rutiliani carminis admonemur. Nonnullos ejus generis scriptores, qui orbis vel cer-

(1) De eo nonnulla dicta sunt hujus operis tomo III, in proœmio de Homeristis latinis. Ed.

tarum regionum descriptiones dederunt, et antiquitus memorantur, tum Græcos tum Romanos, enarrat Jo. Wowerius, de Polymath. cap. 13, § 6 seq. Itinerum scriptores Romanos, in quibus et poetæ, nominat Panvinius in Præf. ad Rutil. Itin.; alios plures Jerem. Reusnerus in Præf. ad Hodœpor. Integrum denique elenchum scriptorum veterum et medii ævi, qui Itineraria soluta oratione vel versibus composuerunt, recenset J. A. Fabricius, in Biblioth. Lat. med. inf. æt. vol. I, p. 317 seqq. Nobis cum solis poetis, iisque antiquis, res est, qui orbem universum, aut partem ejus, aut iter quoddam suum latino carmine descripserunt. Et primum quidem eos commemorabimus, quorum hodie carmina supersunt, tum alios, quorum sola memoria exstat, opera desiderantur. In istis, præter Rutilium nostrum, primo loco memorandus est *Horatius*, qui iter suum Brundusinum multo lepore descripsit Sermon. lib. I, 5. In Nathanis Chytræi Itinerariis hoc primum carmen est, et in Reusneri Hodœporicis primum libri III. 2° *S. Aur. Propertius* Iter Atheniense canit lib. III, Eleg. 21, quod inter Nath. Chytræi itinera tertium, apud Reusnerum secundum libri secundi est. 3° *P. Ovidii Nasonis* navigatio in Miletum exstat, Trist. lib. I, eleg. 9, repetita a Chytræo carm. 2, a Reusnero libri II, carm. 1. 4° Huc referendus *D. Magni Ausonii* liber de claris Urbibus, quem Chytræus Hodœporicis cum Jul. Cæs. Scaligeri simili libello adjunxit. 5° *Rufi Festi Avieni Descriptio orbis* versu hexametro, ejusdemque *Ora maritima* iambis scripta; item 6° *Prisciani* Periegesis, quos duo poetas repetemus ipsi, et Rutilio adjungemus hoc tomo. 7° *Venantii Fortunati* lib. X carmen 12, *de navigio suo* inscriptum, Hodœporicon est, quo iter suum prona Mosella ab urbe Mediomatricum per Treviros et Confluentes Antonnacum usque navigio factum describit. Aliud ejusdem auctoris carmen libri XI, 24, *de navigatione Illacensi* inscriptum est, ubi Browerus Dullacensem villam Ætheriæ, feminæ illustris, quæ apud Andegavos exstitit, intelligendam esse existimat,

simulque conjicit, navigationem difficilem et periculosam, quæ eo carmine describitur, Fortunato in Matrona fluvio evenisse. Plura quidem Fortunati carmina *de itinere suo* inter ejus carmina leguntur, ut lib. V, 12, VIII, 2, sed ea ipsius itineris descriptionem non continent. *Hodœporicum* metrice a Fortunato scriptum esse memorat Sigebertus Gemblac. de Script. Eccles. c. 45, sed indicari a Sigeberto carmen de navigio, quod ipsi notavimus, recte, ut putamus, Christoph. Browerus in vita Fortunati c. 5, p. 20, suspicatur. 8° *Theodulphi Aurelianensis* Itinerarium legitur inter ejus carmina, libri III carmen 12, quæ in Bibliothecis Patrum, sigillatim in Biblioth. Max. tomo XIV exstant. Quatuor priora auctorum eorum, quos jam memoravimus, carmina, cum aliis multis recentiorum auctorum, Collectioni Hodœporicorum Nathanis Chytræi et Nic. Reusneri inserta sunt, quarum illa Francof. ad Mœn. 1575, hæc Basileæ 1580, in-8, prodiit. Sed Reusnerus præter ea veterum auctorum singularia et separata de itineribus carmina, locos bene longos e majoribus veterum poetarum operibus excerptos, et de aliqua peregrinatione agentes, ad hœdoporica Veterum retulit, et in fronte libri I Itinerum, qui itinera catholica continet, nimirum: 1° Ovidii Nasonis, Cereris pervagatio totius orbis terrarum, seu Proserpinæ Raptus, ex Ovidii Fast. libro IV, a versu 419 ad 618. 2° Coluthi Thebani, Iter Paridis Spartanum, sive Raptus Helenæ, Helio Eobano Hesso interprete. 3° Orphei Thracis Argonautica. 4° Valerii Flacci, Jasonis et Argonautarum in Colchos navigatio. (Incipit a versu 22 libri I, desinit in versu 217 libri V, sed multa contracta in brevius et valde mutata.) 5° Ovidii Nasonis Argonautarum apud Colchos res gestæ. (Leguntur Metam. lib. VII, 5-157.) 6° Valerii Flacci Argonautarum in Thessaliam reditus (ex libro VIII, v. 134 ad finem. Et hic multa omissa, mutata et interpolata). 7° P. Ovidii Nasonis iter Æneæ in Latium, sive Æneis Virgiliana. (Contractum e Virg. Æneid. libro III, et Ovid. Metam. lib. XIII, a versu 622 ad XIV, 806.)

Pergimus ad recensenda itineraria poetica Veterum, quæ perierunt:

I. Lucilii iter a Roma ad forum Siculum Reusnerus in Præfat. dicit a veteri scriptore memorari. Sed mendosum esse hoc indicium, e verbis Porphyrionis ad Horat. libri I Satyræ V init. adparet: « Lucilius libro III descripsit iter suum, quod Roma fecit Capuam, et inde ad fretum usque Siciliense. Hunc imitatus Horatius iter suum ab urbe Roma descripsit Brundusium usque, commemorans ejus itineris incommoda ». Nec multo aliter scribit commentator a Cruquio editus. Et in fragmentis Lucilii, quæ exstant e libro III collecta, ea leguntur, quæ per se significent, Lucilio ibi de itinere ad Capuam usque sermonem fuisse. Pro more atque instituto nostro fragmenta, quæ ad Itinerarium Lucilii pertinere videntur, e Francisci Dousæ collectione hic repetimus:

1. Millia porro bis quina octoginta videbis
Commoda de Capua. Hinc quinquaginta atque bis octo.
Nonius: *Commodum*, integrum, totum.

2. Ad portam mille, a porta est sex inde Salernum.
A. Gellius, lib. I, cap. 16.

3. Inde Dicæarchum populos, Delumque minorem.
Festus: *Minorem Delum* Puteolos esse dixerunt, quod Delus aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui successit postea Puteolanum, quod municipium Græcum ante *Dicæarchia* vocatum est, unde Lucilius: *Inde Dicæarchum*, etc.

4. Campana Capua.
Porphyrion in Horat. lib. 1, Sat. 6: *Mala lustra* dixit perpetuo epitheto. Sic et a Plauto *Athenis Atticis*, et a Lucilio *Campana Capua*.

5. . . . . .longe tria millia passuum.

Charisius, lib. II: *Longe* pro præcipue, maxime.

6. Verum hæc ludus ibi, susque omnia deque fuerunt,
Susque et deque fuere, inquam, omnia, ludu' jocusque:
Illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem;
Αἰγίλιπα montes, Ætnæ omnes, asperi Athones.

A. Gellius, lib. XVI, cap. 9.

7. Præterea omne iter hoc est labosum atque lutosum.

Nonius: Ab eo quod est *labos labosum* facit, non laboriosum. Dousa legendum conjicit: *Præterea hoc iter omne labosum est atque lutosum.*

8. Porro homines nequam malus ut quartariu', cippos
Colligere omnes.

Scal. *Collisere omnes.* Festus: *Quartarios* appellabant Antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quæstus capiebant.

9. Mantica cantheri costas gravitate premebat.

Porphyrion in Horat. lib. I, Sat. 6, ad illum versum: « Mantica cui lumbos onere ulcerat, atque eques armos ».

10. Promontorium remis superamu' Minervæ.

Promontori imum. Dousa conj. *Promontoriolum.* Servius P. Danielis Aurelii.

11. Quattuor hinc Silari ad flumen, portumque Alburnum.

Probus in IV Georg. Virg. ad illa: « Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans ».

12. Hinc media remis Palinurum pervenio nox.

Pro *noctu.* Servius P. Danielis.

13. .... et sæpe quod ante
Optasti, freta Messanæ, et Rhegina videbis
Mœnia, tum Liparam, et Fasceliti' templa Dianæ.

Probus, de vita Virgilii et bucolici carminis ratione.

14. ......Hic summi superat carchesia mali.

Nonius: *Carchesia* alias summa pars mali. Item foramina, quæ summo mali funes recipiunt.

15. .... Viamque
Vis degrumari, ut castris mensor facit olim.

Nonius: *Grumæ* sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur et conveniunt viæ.

16. .... et spatium curando corpori honestum
Sumemus.

Nonius: *sumere* etiam significat eligere.

17. Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris.

Nonius: *Ostrea* generis feminini.

18. Asparagi nulli.

Charisius, lib. I: Sicut et fasces dicuntur *asparagi*, quamvis *asparagos* pluraliter dicamus.

19. .... ergo
E somno pueros quum mane expergitu' clamo.

Diomedes, lib. I: *Expergor, expergitus.* Sed is expergitus dicitur, qui excitatus a somno sponte vigilat; unde et Lucilius: *ergo E somno*, etc.

20. Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

Nonius: *Cernuus* dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat (1).

(1) Et eodem sensu occurrit in Severi Sancti carmine bucolico, v. 62: « Vidi ego cernuam Junicem gravidam »; ubi vide adnotata, huj. operis t. I, pag. 581. Ed.

21. Caupona hic tamen una Syra.

Priscianus, lib. VI : *Caupona* feminini generis a *caupo*, ut a leo leæna.

II. Huc referendus C. Julius Cæsar, de quo Suetonius, cap. 56 : *Reliquit poema, quod inscribitur Iter*, idque scriptum perhibet, *dum ab Urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicesimo die pervenit*. Nempe de illo itinere Cæsar egit hoc poemate, quod ad debellandos Pompeii filios in Hispaniam summa celeritate confecit. Strabo, lib. III, p. 160, et Appianus, Civil. II, c. 103, septem et viginti diebus in Hispaniam pervenisse scribunt, e quibus igitur Suetonium corrigit Casaubonus. Dio Cassius scribit, Cæsarem tanta itineris celeritate usum esse, ut prius quam audiretur in Hispaniam advenisse, ibi a suis hostibusque conspiceretur, ita scilicet fiduciam suis, terrorem hostibus injecturus. Proinde eum in poemate, quo iter illud celebravit, non urbes atque regiones, per quas transiit, curiosius lustrasse et descripsisse arbitror, sed potissimum celerem per ea loca transitum, et quas ea celeritas caussas, quosque eventus prosperos habuerit, commemorasse.

III. Cæsari subjungo P. Terentium Varronem Atacinum, cujus nonnulla poemata, quæ Veteribus memorantur, ad carmina Geographica jure videntur referri posse. Hoc vel inde apparet, quod scripta Varronis Atacini, quæ poetica fuerunt omnia, in indice auctorum, quibus Plinius usus est, ad libros Historiæ Natur. III, IV, V, VI, in quibus de rebus geographicis agitur, referuntur. Chorographia ejus, e qua versus nonnullos citant Grammatici, *Varronis Iter* vocatur a Licentio, ut ad principium ejus carminis monuimus, propterea quod cæli terræque regiones et regna peragrando orbis universi situm et partes descripserat. *Libri* ejus *navales*, qui a Vegetio laudantur, videntur cum arte navigandi exposita circuitum maris mediterranei et de-

scriptionem provinciarum adjacentium tenuisse. Quorum fortasse pars fuit *opus de litoralibus*, quod a Solino, cap. 11 adlegatur (1), et Varronis Atacini potius, quam Romani fuisse videtur; sicut et *Europa*, cujus hemistichion adlegat Festus in Tutum. *Argonautica* denique, quæ Varronem Atacinum scripsisse testantur Veteres, nemo negabit, quum iter maritimum enarrent, ad carmina geographica pertinere. Hæc de Varronis carminibus summatim hoc loco dixisse sufficiat. Sed quoniam propositum nobis est, Varronis fragmenta omnia, quæ reperiri possunt, singulari libello collecta, huic poetarum Geographicorum volumini adjungere, tum uberius de Varronis carminibus in præfatione agemus, eaque Geographicis accensenda esse demonstrabimus.

IV. C. Julii Hygini duo scripta, hodie deperdita, ab Antiquis memorantur, quæ res geographicas pertractarunt. Unum est, quod *de situ urbium Italicarum* scripsisse perhibetur a Servio ad Æn. III, 553. Idem Servius Hyginum in *Italicis urbibus* citat ad Æn. VII, 412 et 678: Macrobius, Saturn. V, 18, librum secundum *urbium*. In his quidem adlegationibus diserte non adseritur, poema hoc Hygini fuisse, sed tamen nec aliud ab illo soluta oratione scriptum fuisse, manifestum fit. Apparet potius et Macrobii et Servii locis, eum fabulosas origines urbium, et duces populorum ex heroicis temporibus, more poetarum, attigisse, quod sane aptum fuit carmini de urbibus scribendo. Et fortasse Ausonius, qui de claris urbibus scripsit versibus, eo in opere Hyginum ante oculos habuit et imitatus est. Igitur, quia dubium certe est, versa an prosa oratione Hyginus de urbibus scripserit, illum inter poetas Geographos non plane reticendum putavimus. Alterum ejus opus est Propempticon Cinnæ, laudatum a Charisio, Instit. Gramm. lib. I, p. 108

(1) De eo loco videatur Salmasius, Exercitat. Plinian. ad Solinum, pag. 120 seqq. Ed.

Putsch. Quod quidem Wowerius, Polymath. cap. 13, 9, suspicatur, descriptionem itineris Cinnæ, eaque occasione multa geographica immixta habuisse, idque ex ipso Charisii loco, qui solus ejus libri superest, non obscure intelligitur, sed tamen ex eodem manifestum fit, prosa oratione scriptum fuisse. Hæc enim verba sunt, quæ Charisius e Propemptico Cinnæ adducit: *Ab Actio navigantes stadia* 40 *veniunt ad Isthmum Leucadiensium; ibi solent iteris* (pro itineris) *minuendi caussa remulco, quem græce* πάκτωνα *dicunt, navem traducere.*

— V. Aulum Persium in adolescentia scripsisse ὁδοιπορικῶν librum unum, memorat auctor vetus vitæ ejus Suetonio adjunctus; dubium tamen est an fuerit hic liber versibus scriptus. Ed.

VI. Ad poetas Geographicos, qui perierunt, referri potest, si modo nomen ejus verum tenemus, *Fontianus poeta, qui provincias Romanorum carmine descripsit*, ut ait Glandorpius in Onomast. nullo addito testimonio. Sed vix alia pro eo poeta adserendo auctoritas adduci potest, quam Beati Rhenani, qui anno 1531 ita scripsit ad Bilibaldum Pirkhaimerum: « Exspectamus aliquid veterum librorum a te, Ciceronem de Gloria, eumdem de Vita Beata, quasdam ejusdem orationes hactenus non visas, Medeam Ovidii, Fontianum poetam, qui provincias Romanas eleganti carmine descripsit, nisi tanto thesauro solus frui vis ». Rhenani epistola libro ejus Rerum Germanicarum subjicitur, et prodiit præterea in Centuria epistolarum philologicarum e Bibl. Goldasti, Francf. 1610, in-8, p. 212. Unde verba ea Rhenani recitavit J. A. Fabricius, Bibl. Lat. lib. I, cap. 8, § 7, ubi de Ciceronis scriptis deperditis pag. 206, edit. Ern. Fabricius eo loco dubitat, an Fontianus forte habendus sit ille poeta, quem Naiades a Satyris adamatas cecinisse refert Ovidius de Ponto, IV, 16. Certe Fontiani nomen nullum esse videtur, nec us-

piam reperiri. At similia Pontiani, Fonteii, Frontini repe-riuntur. Et pro Frontino habere vellem, si constaret poetam fuisse S. Julium Frontinum, cujus similis libellus de coloniis Italiæ et provincia Piceni probare videtur, id studium atque eam scientiam Frontini fuisse, ut etiam provincias imperii Romani posset carmine describere.

Simile opus, nempe *Provinciarum libros* scripsisse Julium Titianum, qui Septimii Severi tempore floruit, testatur Julius Capitolinus in Maximino Jun. cap. 1, si quidem hi libri provinciarum iidem esse censentur ac *Chorographia*, quam Titiano tribuit Servius ad Virg. Æn. IV, 42. Sed dubium est, an hoc opus carmine scriptum fuerit. Vid. Vossius, de Histor. Lat. lib. II, cap. 1.

VII. Firmianus Lactantius scripsit ὁδοιπορικὸν *de Africa usque Nicomediam, hexametris versibus*, ut testatur Hieronymus, de Viris illustr. cap. 80. Videtur eo carmine illud ipsum iter celebrasse, quo Nicomediam a Diocletiano ad docendam rhetoricam accitus contendit. Recte illud hodœporicon inter deperdita Lactantii poemata censetur, licet illud pro edito habuisse videatur Jac. Gaddius de scriptoribus non ecclesiasticis tomo I, pag. 181.

— VIII. Nescio an Itinerariis proprie dictis accensendus sit liber Aquilii Severi, quamquam certum est, eum ex parte versibus scriptum fuisse. Sic enim Hieronymus, de Script. Eccles. cap. 3 : « Aquilius Severus in Hispania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epistolarum scribuntur libri, composuit volumen, quasi ὁδοιπορικὸν, totius suæ vitæ statum continens, tam prosa quam versibus, quod vocavit καταστροφὴν, sive πεῖραν, et sub Valentiniano Principe obiit ». Addamus quæ super eo adnotavit Nicol. Antonius, Biblioth. vet. Hispanæ, lib. II, cap. 4, n. 120 : « Aquilius Severus mixtum prosa et carmine opus exaravit, cui titulum καταστροφην, sive πεῖραν, transitum scilicet, fecit. Id vitæ auctoris statum

et varios eventus continuisse ait Hieronymus, et quasi ὁδοιπορικὸν, hoc est *viatorium*, seu *itinerarium* appellat. Usus est hoc ὁδοιπορικοῦ nomine Lactantius, iter suum de Africa usque ad Nicomediam describens; Venantius item Fortunatianus, testante Sigeberto, cap. 45; Wibertus, seu Guibertus Tornacensis, teste Henrico Gandavensi, cap. 54; S. Willibaldus, apud Canisium, t. IV Antiq. Lectionum; Hatto, sive Hetto, Basileensis episcopus, apud Haubertum Miræum, in Auctario Bibliothecæ, cap. 249, et alii forsan. Vossium consule de Poetis Latinis, cap. IV, pag. 55. Ed.

Rufinum Floridum, poetam Britannum, illum quem Theodosius filio suo Arcadio præfecit, scripsisse *de oris maritimis, lib. I, et alia his similia plura*, scribit Baleus, Centur. I, 42, qui ad Cuspiniani vitas Cæsarum provocat. Sed hæc narratio Balei, ut ejus plures, non uno errore laborat, et prorsus falsa est. Rufinum nominat, quem fortasse Rufum Festum Avienum volebat, qui *Oram maritimam* scripsit, et ille Arcadii Præfectus neque Britannus, neque omnino poeta fuit. (Confer quæ notavimus tomo II Poet. Lat. min. pag. 387.) Cuspinianum talia prodidisse non lego, et Baleum dudum castigavit Usserius, de Orig. Eccles. Britann. cap. 16.

Redeundum ad ipsum Rutilii Itinerarium est, ut historiam ejus inventi, successionemque editorum et interpretum ejus enarremus. Raphael Volaterranus, Commentar. urban. libro IV extr. fol. 45, edit. Basil. 1530, memorat (1), anno 1494 in cœnobio Bobii, quod est oppidum ad Apennini juga situm, repertos esse libros veteres, Rutilium Naumatianum, heroicum Sulpitii carmen (forte Sulpiciæ Satyram intelligit), LXX epigrammata, Terentianum Maurum de literis, syllabis et metris omnis generis, Cæsium Bassum, cum aliis pluribus, qui ibi nominantur (2); et mox subjicit : « Bona pars

(1) Repetit e Volaterrano Laur. Pignorius, Symb. epist. n. XVI, p. 59.

(2) Qui libros a Volaterrano memoratos in monasterio Bobiensi repe-

horum librorum his annis proximis a meo municipe Thoma Phædro, bonarum artium professore, est advecta in urbem (1)». Per idem tempus Rutilii carmen ab Actio Syncero, vel Jac. Sannazario, inventum, et cum aliis poetis, Gratio, Nemesiano et Ovidio de Piscibus e Gallico itinere in Italiam portatum esse, nonnulli eruditi e Joann. Joviani Pontani epistola ad Actium anno 1503 scripta (quam integram proposuimus t. I Poet. min., p. 30, et exhibet editio operum Pontani, Basil. 1538, tomo III, pag. ult.) colligunt, qua Rutilium cum auctoribus venaticis et halieuticis sibi ab Actio missum significat, deque ejus versibus judicium fert. Atque hoc ipsum confirmat Petrus Summontius in epistola ad Franciscum Pudericum, Joviani Pontani dialogo, qui Actius inscribitur, præfixa tomo II operum Pontani, p. 187 edit. Basil. ubi scribit Syncerum ex Heduorum finibus atque e Turonibus tum Martialis, Ausonii et Solini codices novæ emendationis advexisse, tum etiam Ovidii fragmentum de Piscibus, Gratii et Nemesiani Cynegetica, et Rutilii Namatiani elegos Neapolim adtulisse. Igitur Rutilium inter inventos a Sannazario libros referunt Goldastus, lemmate epistolæ Pontani supra memoratæ adposito, et J. A. Vulpius in vita Sannazarii cum ejus operibus a P. Vlamingio edita, p. 508. Sed an hic Itinerarii codex, a Sannazario Neapolim

rit, et e situ primus eruit, fuit Georg. Merula, qui Mediolani docuit. Nam de Terentiano Mauro, qui inter eos libros est, hoc adfirmatur in prima ejus editione, qua Ausonio junctus prodiit Mediolani a. 1497, fol. Et Velium sive Verrium Longum, qui de iisdem est, e pulvereo latibulo librariæ Bobiensis pridem extractum esse a Georgio Merula, testatur Jo. Baptista Pius, Adnotationum posteriorum cap. 4, tomo I Lampadis artium Gruterianæ, p. 396. — Etiam Sulpiciæ carmen ibidem inventum, in editione antiqua Argentorati, 1509, in-4, qua junctum Gregorii Tipherni et Franc. Octavii opusculis prodiit, dicitur *nuper Georgii Merulæ opera* in lucem editum. Ed.

(1) De isto Thoma Phædro nonnulla memorat P. Burmannus, Præfat. secunda ad Val. Flaccum, et in Præf. ad Gudii et aliorum epistolas, pag. 6. Vid. Edit. nostr. Val. Flacci, vol. I, p. CXLV in prooemiis. Ed.

adlatus, ab isto Bobii invento et a Volaterrano memorato diversus sit, de eo adhuc dubitandum videtur. Quum enim Volaterranus memoret, exemplar Rutilii Bobianum proximis annis ante, quam ipse scriberet commentarios suos, hoc est, paullo ante annum 1506, Julio II Rom. Pontif. sedente, esse a Thoma Phædro in urbem perlatum, Sannazarius autem Neapolim redierit anno 1503, ut Vulpius l. c. refert, videtur hic fere eodem tempore, quo Rutilii adlati fama percrebuisset, Romam transiisse; unde verisimile fit, Sannazarium, qui et veterum librorum cupidissimus erat, et ipse alios recens inventos et e Gallia delatos secum habebat, ubi de Rutilio invento Romæ audivit, eum codicem a Phædro aliisve Romæ agentibus descriptum sibi comparasse. Conjecturæ huic favet Petrus Burmannus in præf. ad Poet. Lat. min. nec adversatur ipsa Summontii relatio. Quod enim Martialem, Ausonium, Solinum a Syncero e Gallia advectos refert, idem de Rutilio non diserte adfirmat, sed nude dicit, *ad nos*, h. e. Neapolim, *attulit* ex itinere rediens. Accedit, quod Georgius Logus in epistola, primæ editioni Gratii et Nemesiani præfixa, hos poetas refert Romæ a Jo. Lucretio Æsiandro ex vetustissimo codice Sannazarii, Longobardicis literis simul scripto et ex Galliis adlato, descriptos esse; Rutilii simul adlati non meminit, etsi eum Summontius cum Gratio et Nemesiano apud Sannazarium fuisse refert. Nempe Summontius Neapolim adlatum de Roma dicere poterat, non autem Logus adlatum Romam cum Gratio, quia Sannazarius demum Romæ ex alio codice descriptum acceperat. Aliud argumentum non diversi Sannazariani Rutilii ab altero Phædri hoc est, quod unus saltem codex Rutilii, nempe a Jo. Baptista Pio, editus est in Italia, et Sannazarianus nusquam comparuit. Summontius quidem in epistola ad Pudericum testatur, editurum se esse; quia vero Pius e suo ipsius libro edit, neque Sannazarii codicis aut Summontii mentionem facit, quod sane necesse erat, si Sannazario aut Summontio debebat,

certe ea re primum et solum se edere testatur, et significat, Sannazarii codicem vel non editum antea fuisse, ut noscere potuerit, vel eum scivisse non alium et diversum a suo libro esse, ut nec ejus opperienda esset editio. Si igitur Sannazarii librum nec usurpavit, nec scivit Pius, necesse est, ille Rutilium ediderit e codice Bobiano, quem Phædrus adtulerat Romam, et sine dubio aliis describendum dederat. Et ex uno codice Rutilii editiones fluxisse, facile ipsarum conspectus docet, quod omnes conveniunt inter se, easdemque mendas, lacunas et defectus habent, et maxima parte secundi libri carent. Inventus quidem est in primis Pii et Mazochii editionibus minor quidam hiatus quatuor versuum 575-578, quos Panvinius in præfat. ad Rutilium dicit se Gabrielis Faerni opera restituisse, et Castalio in adnotatione ad eos versus monet, additos eos a Panvinio ex Gabrielis Faerni libro. Unde Fabricius, in Biblioth. Latina, Rutilium a Faerno recensitum esse prodit, et doctissimus juvenis Jo. Christ. Kappius, in nova edit. Rutilii, pag. 14, præter antiquum Bobianum et Sannazarii Msptum, tertium Faerni exstitisse credit. Sed omnino hi viri verba Panvinii largius interpretantur, neque ex iis, vel integram Rutilii recensionem a Faerno factam, vel antiquum et diversum a primitivo codicem Rutilii apud eum fuisse, tuto potest colligi. Melius et accuratius de antiquo codice descriptum exemplum Rutilii Faerno fuisse indicant, non aliud antiquum, idque diversum a Bobiano; quod si vere antiquum et bonum fuisset, credo hoc Faernus pluribus ex eo adlatis emendationibus et supplementis fuisset probaturus. Plane, ut de Faerno loquitur, Castalio alio loco, nempe ad vs. 152, pag. 68 Adnott. suarum, Fulvii Ursini librum laudat, eoque conjecturam suam, eo loco prolatam, confirmari ait; neque tamen quispiam ex eo confici existimabit, Ursino pariter singularem et antiquum Rutilii codicem fuisse. Credere par est, multa Rutilii exemplaria de Bobiano, postquam Romam perlatum a Phædro est, descripta perque Italiam

et alias provincias sparsa esse, priusquam typis a quopiam vulgarentur. Ex his alia mendosa librarii vitio, alia accuratius scripta fuisse, quis neget? Atque hinc Pii prima editio, quæ quatuor versus omisit, vel expressa ex exemplo negligentius scripto est, vel demum a typothetæ errore et incuria hunc nævum contraxit, quem Faernus e libro meliore corrigere potuit. Quidquid autem hujus rei est, demonstrare et probare hactenus dictis volui, falli eos, aut certe ratione non satis valida niti, qui a Sannazario alium, alium a Bobiano codicem Rutilii inventum, aut plura ejus manuscripta vetera in manibus eruditorum versata esse putant. Socium hujus sententiæ dudum habeo P. Burmannum in præfat. ad Poet. Lat. min. neque alium quempiam alienum ab ea futurum existimo, qui sciat, nullum adhuc Rutilii codicem quamvis instructissimis in bibliothecis inventum esse, qui probæ vetustatis notas habeat, et ab editis multum differat. Hinc difficilior impeditiorque omnis Rutilii explanatio sit necesse est, quod, in vera intricatiorum locorum lectione constituenda, cum variis editorum conjecturis et opinationibus perpetuo luctandum est, nec in certiore codicis antiqui auctoritate nitendum. Jam videamus, quibus editionibus, qua studiorum progressione, a quibusque viris in Rutilio vulgando et illustrando elaboratum sit.

I. Prima omnium Rutilii editio Summontiana a doctis viris perhibetur, quam Petrus Summontius, Joviani Pontani et Sannazarii, a quo inventum Itinerarii codicem putant, familiaris, Neapoli emisisse dicitur. Sic Fabricius, Funccius, Hambergerus, alii. Qui etsi sententiam suam nonnullis rationibus fulcire videntur, alii tamen fuerunt, qui de ea editione dubitare, aut eam pro ficta vel temere credita habere mallent, in quibus, re curatius quæsita et expensa, non vereor meum nomen profiteri. Primarium argumentum nunquam editi a Summontio Itinerarii haud dubie est, quod nemo eruditorum, ne antiquiores quidem et primis proximi

editores Rutilii eam editionem vidisse adfirmant, et qui eam exstare credunt, tamen accuratius describere et indicare non possunt. Neapoli dicunt prodiisse, quia sciunt Summontium vixisse Neapoli, annum vero, quo ediderit, non indicant (1). Panvinius in præfat. ad Rutil. tradit, semel ante se editum esse, et Bononiensem primam, vel alteram Romanam Mazochii, quæ re vera sunt una, quia nihil differunt, significat: Simlerus autem, etsi primam Summontii editionem nominat, tamen eamdem nondum se vidisse testatur. Majus suspicionis momentum in silentio Josephi Castalionis est, qui primus in Italia Rutilium summo studio castigavit, eaque caussa optima quæque subsidia, et præcipuas editiones conquisivit, sed nullam Summontianæ mentionem injicit, cujus nanciscendæ, si unquam exstitit, facultas in Italia certe deesse non potuit. Provocari ad nonnulla Casp. Barthii in Advers. et in notis ad Rutil. loca solet, quibus veterem editionem citat, quam dicunt Summontianam esse, a Barthio visam et usurpatam, quia lectiones, quas ille e veteri sua editione producit, in illis primis et vetustis, quas nos habemus, non reperiantur. Sed non aliam veterem a Barthio, quam Simlerianam, intelligi, e lectionibus, quas inde adducit, diligentius quæsitis, abunde perspexi. Sic e. g. ad versum 35 libri I Barthius dicit veterem editionem habere *laxatus*, quam lectionem quidem prima Bononiensis et antiqua Onuphrii non offerunt, habent tamen Simleriana, et, quæ eam

(1) Indicat quidem annum editionis Summontianæ scriptor Historiæ liter. Galliæ, tomo II, pag. 75, et eodem anno, atque alteram Jo. Bapt. Pii, prodiisse memorat, nempe 1520. Sed hoc ipsum valde suspectum erroris est, et quod primam edit. anno 1520 audiverat prodiisse, Summontianam autem primam esse credebat, huic falso annum alterius attribuit. Audacius etiam addit, alteram Pii paullo correctiorem esse prima illa Summontii. Nam nullum indicii sui testem vel auctorem citat, quemadmodum in aliis editionibus vetustis fecit, et si antiqui editores Simlerus et Panvinius annum Summontianæ nescierunt, qui potuit hic recentissimus auctor scire?

exprimunt, Chytræi et Reusneri editiones, quæ priores et vetustiores sunt Castalione, Sitzmanno et Barthio. Sed dicunt, qui Summontianam editionem defendunt, eam apud Barthium fuisse, ab ipso Barthio adfirmari, qui in adnotatione ad titulum Itinerarii his verbis utitur : *Ita prima hujus libri editio Petro Summontio, Joannis Joviani Pontani quondam clarissimi viri familiari, debita.* Sed animadvertendum probe est, primam editionem *debitam* Summontio, non ab ipso Summontio emissam et curatam dici, et si quis forte Barthium de industria ambigue loquutum putet, ut videretur primam Summontianam, nemini alii visam, ipse possidere, non plane injurius in eum videbitur, quandoquidem constat, Barthium sæpe multumque veteres membranas, codices antiquos, vetustas editiones, quas nemo alius vidit, jactitasse. Et fortasse errans ipse fefellit Barthius, et qui legerat, primam editionem, nempe Bononiensem, quam ipse non viderat, *Itinerarium* habere inscriptum, aliunde autem sciebat Summontium consilium habuisse Rutilii primum edendi, putavit primam hanc editionem aut ab ipso Summontio, aut saltem consilio Summontii proditam et vulgatam esse. Ipsum autem Barthium Summontianum exemplar vidisse et usurpasse, ex ejus verbis minime evinci potest. Interim fuisse aliquam Summontianæ editionis famam inter eruditos, ex ipso hoc Barthii exemplo liquet. Illius famæ, quantum resciscere potui, princeps et auctor Josias Simlerus habendus est, qui in prima ad Rutilium adnotatione, tum in Gesneriana Bibliotheca duobus locis (sub voce *Petrus Summontius* et *Rutilius*) temere pronuntiavit, elegos Rutilii Numantiani (sic scribit) Summontium Neapoli edidisse, et Barthius, quem Simleriana editione usum esse ostendimus, suam inde opinionem hausit. Simlero autem mancam nec certam ejus editionis notitiam fuisse, quum illud probat, quod annum editionis, ut in aliis omnibus libris facit, non adposuit, tum quod ipse ad Rutilium fatetur, ejus se exemplum non vidisse. Jam fontem erroris, quo in-

ductus Simlerus est, non alium esse reperio, quam epistolam Summontii ad Pudericum, qua refert, consilium sibi esse Rutilii e Sannazarii exemplo edendi. Postquam enim nuntiavit Puderico, Syncerum e Gallia fragmentum Ovidii de Piscibus, Gratii et Nemesiani Cynegetica, et Rutilii Namatiani elegos adtulisse, hæc verba subjicit: *Atque hæc quidem omnia post Pontani libros emittentur.* Et Pontani quidem opera a Petro Summontio primum emissa in lucem esse credo, quamquam, quo anno et loco ea facta sit editio, e copiis literariis, quæ mihi præsto sunt, nondum accurate cognoscere licuit. At quos post Pontani libros Summontius primum emittere poetas voluit, certum est, non ab eo emissos esse. Certum est, Gratii et Nemesiani Cynegetica cum Halieuticis primum a Georgio Logo Silesio edita esse Venetiis apud Aldi heredes a. 1534, quæ Romæ a Jo. Lucretio Æsiandro e codice Sannazarii descripta acceperat. Quod si hos poetas Summontius aliis describendos edendosque reliquit, quos a Sannazario, familiari suo, primum inventos et sibi commissos custodiebat, multo minus Rutilium edidisse censendus est, quem ab uno Sannazario inventum, et soli Summontio concessum fuisse, nondum liquet. Caussa quidem quæ fuerit, cur non ederet Summontius, quæ constituerat, certa adferri nequit, sed credo morte esse præventum, quæ certe ante annum 1520 accidisse videtur, quo Rutilium primum edidit Jo. Bapt. Pius. Erant jam per ea tempora Romæ plura Rutilii exempla descripta in manibus hominum, postquam Thomas Phædrus de Bobiano sumptum exemplum Romam pertulerat, neque igitur vel a Sannazario, qui suum indidem habuisse videtur, vel a Summontio, qui a Sannazario acceperat, exspectandum vel petendum exemplar fuit, si quis typis evulgare cuperet (1). Illam igitur

(1) Ipse Pius testatur Adnot. posteriorum capite 4, habuisse se Velii Longi Grammatici opusculum munere Alexandri Gabuardi Parmensis, qui descripserat ex exemplo Bobii reperto. Quod si Velium Longum, cum

Jo. Baptistæ Pii editionem omnium primam esse puto, nullam Summontii, quamquam pernegare nolim, potuisse Pium, consilio, quod Summontius habuerat, permotum Rutilii editionem suscipere, et in operam ab eo desertam succedere. Nullas enim ipse editionis suæ rationes exponit, nec, unde exemplum habuerit, significat.

Edidit autem Jo. Baptista Pius Rutilium Bononiæ in ædibus Hieronymi de Benedictis, Bonon. anno Domini 1520, in-4, ac dicavit Leoni decimo, Pontifici Maximo, præmisso carmine elegiaco, in quo de ipso Rutilio hæc tantum dicta leguntur in fine:

Interea pro me querulo canat entheus ore
  Claudius, Aonidum garrula plectra ciens:
Qui Tuscos modulatur agros, et Lydia regna,
  Romuleosque lares, Ausoniumque decus.
Roma tibi patria est cælestis, Etruria mater,
  Ergo pie laudes hujus et hujus amas.

Ipse titulus libri est: *Claudius Rutilius, poeta priscus, de laudibus Urbis, Etruriæ et Italiæ.* Ante poema ipsum legitur: *Ad Venerium Rufium Rutilii Claudii Numatiani Galli*, etc. *liber primus, cui titulus Itinerarium.* Ad finem adponuntur, et eidem Leoni Pontif. dicantur quædam epigrammata Græcorum auctorum latine conversa. Exstat in Bibliotheca Academiæ Georgiæ Augustæ.

II. Inter *Varios auctores de Roma prisca et nova* editos Romæ ex ædibus Jacobi Mazochii Ro. Academiæ bibliopolæ, decimo Kal. Februarias an. 1523, Pontificatus Adriani anno

Rutilio Bobii repertum, plures eruditi descriptum habuerunt, ipseque Pius consequutus est, antequam typis evulgaretur, vix dubitare de ipso Rutilio licet, Pium, qui edere volebat, ejus exemplum e Bobiensi descriptum nactum esse. — Hoc tamen Pius exemplum alii potius, quam Phædro, qui in urbem adtulerat, debuisse videtur, quocum ei graves inimicitiæ fuerunt, ut memorat P. Burmannus, in præfat. ad Val. Flaccum, p. 16, ubi idem de Pii vita multa narrat. Ed.

secundo, in-4, exstat Rutilii Itinerarium loco penultimo, fol. 170. Plane convenit hoc exemplum cum Bononiensi, cæterum negligenter et admodum mendose exscriptum est, atque solius quæstus caussa a bibliopola susceptum, non eruditi hominis, opus videtur. Igitur in recensendo nullam ejus rationem habui. Exstat in Bibl. Acad. Goetting.

III. *Parisiis,* 1546, in-8, aliqua editio Rutilii memoratur in Catalogo Biblioth. Barberin. tomo II, pag. 328, quæ, nescio, an recte notata et alicubi obvia sit.

Pariter auctores Historiæ liter. Galliæ tomo II, pag. 75, tradunt, Franciscum *de Piemont* Rutilii poema inseruisse dissertationi de Poetica Horatii, quæ excusa est Venetiis apud Aldum, an. 1546, in-4. (In Catalogo Biblioth. Heins. P. II, pag. 74, legitur Fr. Phil. Pedimontii Ecphrasis in Horatii Artem poeticam. Venet. 1546, in-4. Rutilii nulla mentio.)

IV. *Commentariis Reipublicæ Romanæ, s. de Urbe, imperio et civitate Rom.* Onuphrius Panvinius Itinerarium Rutilii post Sextum Rufum et P. Victorem de regionibus urbis Romæ inseruit libro I de Urbe. Commentarii hi prodierunt Venetiis, 1558, et Parisiis, 1588, in-8. Francof. apud Wechelii heredes, 1575 et 1597, in-fol. atque, ut in catalogo Bibl. Bodl. vol. II, p. 271 memoratur, ibidem 1614. Editiones istæ in lectionibus nihil videntur differre. Ego ipse usus sum Parisiensi 1588, in-8, quam habui e biblioth. Ducali Guelferb. Panvinium cum Sigonio memoriæ lapsu confundit Bœclerus, Bibliogr. critica, p. 164, quando Rutilium editum dicit a Sigonio, in-fol. In præfatione Rutilio præmissa profitetur Onuphrius, *se Rutilium multis librariorum vitio obortis erroribus sublatis, emendatum, et aliquot versibus, qui in vulgato deerant, locupletatum, Gabrielis Faerni opera, denuo in lucem dare.* Versus isti a Panvinio additi sunt quatuor 575 — 578, ut indicarunt Simlerus et Castalio ad eum locum.

V. *Rutilii Claudii Numat. Galli Itineraria*, post Hieronymi Fracastorii varia poemata, Syphilidis lib. II, Joseph. lib. II, item Carminum lib. I. Antwerpiæ, apud Martini Nutii Viduam, 1562, in-8 min. nullo editoris nomine adjecto. Tota expressa est ex editione Onuphrii, cujus etiam præfatio præponitur, sed plurimis mendis scatet. Exstat in Bibl. Ducali Guelferb.

VI. Josias Simlerus *Rutilii Claudii Numat. Itinerarium* Basileæ, 1575, in-12, post Æthici Cosmographiam et Antonini Itinerarium provinciarum, sequente Vibio Sequestre de Flumin. et libello provinciarum Galliæ, edidit, addita variarum lectionum adnotatione, quas in Bononiensi et Onuphriana editione, item in versibus reperit, quos plurimos ex Rutilio citat Leander Albertus in Descriptione Italiæ. Est in Biblioth. Ducali Guelf. et Acad. Goetting.

VII. *Hodœporica, sive Itineraria a diversis clariss. viris, tum veteribus, tum recentioribus, carmine conscripta: item epigrammata de præclaris urbibus, studio Nathanis Chytræi*, etc. Francof. ad Mœn. apud hæredes Chr. Egenolphi 1575, in-8. Rutilius hoc in syntagmate legitur a p. 24—40. Præcedunt Horatii Iter Brundusinum, P. Ovidii Nas. in Miletum navigatio, Sexti Propertii Iter Atheniense ex libro III, eleg. 19. Sequuntur pag. 40 Itineraria recentiorum, ut Georgii Fabricii, G. Sabini, Jac. Micylli, etc. Plane expressa est hæc editio e Simlerianæ textu, ita ut loci illi, quibus notabilis varietas lectionis inest, asterisco notentur, ut in Simleriana, licet ipsæ lectiones non, ut in ista, adjectæ reperiantur.

VIII. *Hodœporicon sive Itinerum totius fere orbis lib. VII. Opus historicum, ethicum, physicum, geographicum, a Nic. Reusnero Leorino JC. jam olim collectum: nunc demum Jeremiæ Reusneri fratris cura ac studio editum.* Basileæ apud Perneam Lecythum, 1580, in-8. Liber rarus, ut docuit Frey-

tagius in Apparat. crit. tomo III, n. 100 et 101, habet tamen Biblioth. Acad. Goetting. Post Jeremiæ Reusneri præfationem, subjunctaque G. Fabricii et Nath. Chytræi hypomnemata hodœporica, versibus elegiacis scripta, item Hier. Turleri præcepta iter facientibus necessaria, et similia loca ex Davide Chytræo et Victorino Strigelio excerpta, et Theod. Zuingeri methodum apodemicam in tabula propositam; sequitur Index hodœporicorum sive itinerum singulorum librorum. Ipsis libris Itinerum adhuc præmittuntur varia carmina, peregrinationes spectantia, Horatii epistola ad Bullatium, Joach. Camerarii peregrinationis laudatio; Eobani Hessi peregrinationis detestatio, ejusdemque elegia in laudem peregrinationis, et aliud epigramma : denique Reusneri ad Christianum Aug. f. Ducem Saxoniæ, operis commendatio. Itinerum liber I continet *catholica*, h. e. Asiatica, Libyca, Europæa; II, Itinera *Græcorum;* III, Itinera *Italica;* IV, Itinera *Italo-Germanica;* V, Itinera *Norica* et *Pannonica;* VI, Itinera *Rhetica* et *Francica;* VII, Itinera *Saxonica* et *Sarmatica*. Libro VII subjungitur Franc. Petrarchæ Iter Palæstinum, prosa oratione scriptum : supplementum operis hodœporici septem aliis carminibus constans; denique Felicis Petaneii, Cancellarii Segniæ, de Itineribus in Turciam libellus. Claudit opus Orbis terrarum, omniumque ejus partium et regnorum divisio per tabulas descripta. *Claudii Rutilii* duo Itineraria secundum et tertium locum in libro III tenent. Præcedit ibi Horatii Flacci Iter Brundusinum, sequitur Adriani Cardinalis iter Bononiense, Georg. Fabricii Iter Romanum, etc. In Rutilio textum sequitur Simlerianum.

IX. *Cl. Rutilii Numatiani Galli V. C. Itinerarium. Ab Josepho Castalione emendatum, et adnotationibus illustratum. Ad Illustriss. atque Excell. D. Jacobum Boncompagnum, Ducem Soræ, et S. eccl. Generalem Gubern. Superiorum permissu. Romæ, excudebat Vincentius Accoltus*, MDLXXXII, in-8. Primaria hæc editio Castalionis, qui primus Rutilium

accuratius recensuit, emendavit, et adnotationibus rerum illustrandarum instruxit. Post titulum exstat dedicatio Castalionis ad Jac. Boncompagnum versibus hexametris scripta. A pag. 7 ad 30 sequitur textum ipsius Rutilii, a pag. 31 ad finem Castalionis in Rutilium adnotationes, quibus præmittitur præfatio brevis ad lectorem, testimonia de Rutilio ex libris Lil. Greg. Gyraldi de Poetis, et Onuphrii Panvlnii de eodem. Pag. 113, qua finiuntur adnotationes, subjiciuntur errata in Rutilio, tum Antonii Quærengi, Laurentii Frizolii, et Horatii Bicardi versus ad Jos. Castalionem. Præstantissima hæc editio, alias rarissima, invenitur in Bibliothecis Academiæ Goetting. et Gymnasii Hamburg.

X. Petrus Pithœus inter *Epigrammata et poematia vetera* Rutilii Itinerarium dedit, quorum tres exstant editiones, Parisiis 1590, in-12, Lugduni 1596, in-8, Genevæ 1619, in-8. Parisiensem tenet Biblioth. Academ. Helmstad. Lugdunensem ipse habeo, cujus a pagina 475 legitur Rutilius, a Pithœo, ut videtur, denuo recensitus, parcis admodum notulis adjectis, inter emendationes in poematia, quæ ad calcem libri subjunctæ sunt.

XI. *Itinerarium totius orbis, sive opus peregrinationum variarum, in VII classes distinctum, historicum, ethicum, physicum et geographicum. Ex recensione Nicolai Reusneri JC.* Accedit auctarium, cui præter alia inseritur Franc. Fabri Sabothus, s. Silesia, et orbis totius divisio. *Secunda editio,* cum tergemino indice, auctorum, itinerum, rerum denique et verborum. *Basileæ,* per Conradum *Waldkirch*, 1592, in-8. Editionem secundam collectionis ejus, quam supra num. VIII descripsi, hoc loco seorsum commemorandam censui, quia diversam et ista auctiorem existimabam. Ipse enim non vidi, sed e descriptione doctiss. Kappii, qui vidit et usurpavit, atque e librorum catalogis ejus notitiam habeo. Rutilius legitur a pag. 170 — 194; textum autem ejus

non differre a priore editione videtur. Neque etiam eorum, qui ejusmodi collectiones conficiunt, hoc institutum atque hæc diligentia esse solet, ut singulorum scriptorum textum curatius recenseant et emendent.

XII. *Claudii Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, cum animadversionibus Theodori Sitzmanni,* Thuringi, JC. et Philologi, *Lugduni* excudebat Nicolaus *Jullieron*, typographus regius, 1618, in-8. Curavit Justus Zinzerlingius, qui dedicationem præmisit. In margine adponuntur variæ lectiones Pii, Onuphrii, Leandri, Simleri, Castalionis; animadversiones seorsum positæ leguntur post ipsum poema. Exstat in Biblioth. Acad. Helmstad. unde ipse habui. Cum animadversionibus Sitzmanni iterum prodiisse Lugd. 1623, in-8, e catalogo Bibliothecæ Marckianæ notaverat sibi Weichmannus. Ego locum videre non possum, vereor autem, ne ea editio temere permutata sit cum sequente Barthiana.

XIII. *Claudii Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, sive de reditu suo lib. II, in Germania nunquam editi. Caspar Barthius recensuit, animadversionum commentarium adjecit.* Francofurti, typis Wechelianis, sumptibus Danielis ac Davidis Aubriorum, et Clementis Schleichii, 1623, in-8. Contextus hujus editionis plane ad exemplum Sitzmannianum excusus est, ita quidem, ut paginæ alterius paginis prorsus respondeant, nec errores quidem typographici sint sublati. Igitur Barthii lectiones nullas fere, nisi ab ipso in notis prolatas, memoravi. Repetitam hanc editionem esse Francofurti 1628 memoratur in Historia liter. Galliæ l. c.

XIV. *Cl. Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, integris Simleri, Castalionis, Pithœi, Sitzmanni, Barthii, Grævii aliorumque animadversionibus illustratum.* Ex musæo Th. Jans. ab Almeloveen. Amstelod. 1687, in-12. Congessit, ut videre est, omnes superiorum interpretum adnotationes, solas Grævii nondum editas ab auctore impetravit, suasque

ipsius adjecit. In contextu plerumque superiores editores Castalionem et Sitzmannum sequitur. Descripsit hanc editionem luculente, et singulorum fere interpretum, ea collectione congestorum, dotes et merita exposuit auctor vel editor *Bibliothecæ universalis et historicæ*, gallico sermone scriptæ, tomo V, pag. 233 seqq. Recensent etiam Acta Eruditor. Lips. anni 1687, pag. 569.

XV. Michael Maittarius inter *Opera et fragmenta veterum poetarum Latinorum, profanorum et ecclesiasticorum*, Londini 1713, infol. Rutilium Claudium Numatianum dedit volumine II, pag. 1410 seq.

XVI. *Cl. Rutilii Numat. Galli de reditu suo in patriam, et laudibus urbis Romæ, vulgo Itinerarium vocatum.* Luneburgi, 1721, in-8. Hoc titulo Christianus Fridericus Schmidius, Rector Joannei Luneb. castigatum, sed sine adnotationibus, edidit.

XVI. Inter Poetas Latinos minores tomo II cum variorum et suis notis edidit Petr. Burmannus, Leidæ 1731, in-4. Titulum interiorem Rutilii fecit: *Cl. Rutilii Numatiani Galli Iter, sive de reditu in patriam, cum notis integris Simleri, Castalionis, Pithœi, Sitzmanni et Barthii*, curante P. Burmanno, qui et suas adjecit adnotationes.

XVIII. *Rutilii Claudii Numat. Galli Itinerarium. Integris Jo. Georgii Grævii, Theod. Jans. ab Almeloveen animadversionibus Andreas Goetzius Norimb. recensuit.* Altorphii 1741, et novo titulo præfixo 1743, in-8. Inscite et negligenter facta editio, cujus auctor nihil minus, quam recensuit. In fine quasi appendicem adjecit Quinti Ciceronis versus de XII signis, et epigramma de amore feminarum, quæ nihil ad Rutilium.

XIX. Inter Poetas Lat. minores ex editione Petri Burmanni fideliter expressos, Glasguæ, 1752, in-8.

XX. *Claudii Rutilii, Viri Clarissimi, de reditu suo libri II. Accurate recensuit Christianus Tobias Damm.* Brandenburgi, 1760, in-8. Addita est *Paraphrasis perpetua carminum Claudii Rutilii de reditu suo: curavit Christ. Tob. Damm.* eodem loco et anno. Libellus hic in exigua mole multæ frugis est. Dammius, vir doctus et acutus, de Rutilio tam bene meruit, ut alter a Castalione interpres ejus haberi possit. Textum accurate recensuit, et multis locis felicius, quam superiores, emendavit, quamquam in nonnullis audentior. Paraphrasis adjecta luculenti instar commentarii est, et sensum Rutilii penitus inspicere docet. Ad ejus intellectum etiam multum conferunt argumenta libri I et II poemati præposita, quæ seriem rerum in carmine memoratarum breviter percensent, et quasi in conspectu ponunt. Nos propterea textum Dammii recensioni nostræ substernemus.

XXI. In collectione *Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum* legitur Rutilii Claudii Itinerarium tomo IV, qui ethnicos poetas, minores et minimos, cum carminibus incertorum continet, et Pisauri an. 1766, in-4, prodiit, pag. 189. Est in Biblioth. Ducali Gothana.

XXII. *Claudii Rutilii Numat. Galli, Viri clarissimi, Itinerarium, sive de reditu quæ supersunt. Recensuit, varietatem lectionis et Gottlieb Cortii notarum in Rutilium fragmentum addidit Jo. Christianus Kappius,* e terris Baruthinis. *Accedit Gottl. Christoph. Harles V. I. epistola.* Erlangæ, 1786, in-8. Præclaro experimento diligentiæ et doctrinæ in Academia comparatæ doctus juvenis Rutilium ornandum suscepit. Post brevem præfationem Msptos codices Rutilii tres, tum seriem editionum omnium, in tres ætates digestam, enumerat. In texto poetæ recensendo Dammium sequitur, et singulis paginis variationes lectionis, et conjecturas doctorum ex exemplis, quæ ad manus fuerunt, collectas subjicit.

Nonnunquam suas ipsius emendationes admisit in textum, subinde etiam translocationes aliquas versuum tentavit. Quod in calce libri adjecit, Cortii notarum in Rutilium fragmentum ultra versum 27 non procedit.

—XXIII. Gallica versio Itinerarii Rutiliani prosaica inserta est Collectioni Itinerariorum vorsa et prosa oratione scriptorum *(Recueil amusant de Voyages, en vers et en prose)*, quæ prodiit Parisiis 1783, sex voluminibus in-12, et exstat ejus tomo III, pag. 47-90. Ejus libri notitia mihi humanissime facta est a viro clariss. et politioris eruditionis fama florentissimo J. J. Eschenburgio. (Wernsd. in Addendis.) Ed.

Quas jam recensuimus, editionum Rutilii præstantiores fere omnes, partim e proprio librorum apparatu, partim e bibliothecis aliis liberalitate et ope amicorum, arcessitas recensendo Rutilio adhibuimus, collectasque ex iis variationes lectionis, vel emendationes et conjecturas editorum texto poetæ subjecimus. Nec immemores fuimus aliorum, qui in commentariis ad poetas veteres, in operibus criticis et observationum collectionibus singularia Rutilii loca passim attigerunt. Et contulimus igitur, quæ Casp. Barthius quum in Advers. tum in commentario ad Statium et Claudianum, auctores Miscell. observ. in auctores veteres, Petr. Victorius in Var. lect. P. Wesseling. in Observ. var. Corn. Val. Vonck. in Lect. Lat. et Spec. crit. Christ. Crusius in Probab. crit. Heinsius et Burmannus ad Ovidium, Brouckhusius ad Tibull. Cannegieterus ad Avianum, P. Burmannus secundus ad Anthol. Lat. et ad Propert. alii aliis in libris de Rutilii quibusdam locis observarunt. Habui etiam schedas nonnullas, humanitate clarissimi et mihi amicissimi Laur. Santenii mecum communicatas, quæ conjecturas breves Joannis Schraderi, viri κριτικωτάτου, in poetas aliquot minores, sigillatim Rutilium, ipsius manu consignatas tenebant, quas spero aliis etiam in carminibus edendis mihi usui futuras.

His accesserunt observata nonnulla, quæ quondam a Christiano Friderico Weichmanno, Consiliario in aula et consistorio Ducali Guelferbytano, viro literatissimo et novam Rutilii editionem meditante, in exemplo ejus Goetziano notata erant, quorum mihi, ut plurium rerum propositum meum adjuvantium, copiam Conr. Arnold. Schmidius V. C. Consil. consist. et Prof. publ. pari eruditionis et virtutis dignitate clarus, benevole et officiose fecit. Sane in edendo Rutilio, tot ab eruditis diligenter excusso, adnotationum et correctionum copia deesse non potuit, et me adeo multis in locis fateor tantam earum varietatem offendisse, ut impedire magis, quam juvare interpretantis studium videretur. Quapropter in castigando eam fere rationem sequutus sum, ut e variis lectionibus et conjecturis eam maxime eligerem, quæ scripturam primæ editionis optime referret, sæpe ipsam lectionem vetustarum, si sensum commodum haberet, restituerem. Nonnullis in locis novam et a cæteris omnibus diversam lectionem necesse habui constituere, contextu orationis et rei natura poscente; hoc ipsum tamen ita feci, ut a vestigiis antiquæ scripturæ, quam minimum fieri posset, recederem. Nonnunquam genuinæ lectioni adjumento fuit, si locus aliquis veteris scriptoris Romani succurreret, quem exprimere vel adludere Rutilius videretur. Nam historiæ antiquitatisque Romanæ scientiam, et lectionem adeo veterum Romanorum, totus Rutilii libellus spirat, qui id sibi maxime honori duxit, si posset Romanis illustribus simillimus, et quasi in ipsa Urbe natus videri.

Quum Rutilius Numatianus magna parte carminis sui in urbis Romæ laudes effundatur, ejusque imperium et potentiam, splendorem et magnificentiam ædificiorum, palatia, amphitheatra, templa, aquæductus, commoto in admirationem et venerationem animo, extollat; alio vero ejusdem loco captam paullo ante a Gothis deploret; peropportunum mihi visum est, adjungere carmen aliquod antiquum, quod collapsæ et ab hostibus dirutæ Urbis majestatem in ruinis

adhuc spirantem satis graviter et eleganter describit, et a Petr. Burmanno, Anthol. Lat. libro III, ep. 5, cum notis Martini Opitii, qui illud primus integrum in libro Variar. Lect. cap. XIII e membrana vetustissima produxerat, vulgatum est. Sed hoc carmen an uni auctori et ætati debeatur, adhuc dubitari potest. Integrum si spectes, non plane antiquum esse, sed fere mediæ ætatis sæculo scriptum, vel hoc evincat, quod eas calamitates et ruinas Urbis describit, quas illa vix primo illo labentis imperii tempore, sed succedentibus sæculis, plures Barbarorum et vetustatis injurias passa, experiri potuit. Partem aliquam tamen, nempe septem disticha ejus, a versu 21, *Urbs cecidit*, ad v. 34, *Se cupiunt fictis*, jam Pithœus inter Epigr. et Poem. vet. lib. III, p. 70 edit. Lugd. et G. Fabricius, Monum. antiq. libro III, p. 165, tamquam antiquum et veteris auctoris monumentum publicarunt; atque ejus partis id ingenium, ea oratio est, ut digna antiquo auctore videri possit. Sed ejusdem partis sex versus ex Hildeberti, Cenomanensis præsulis, Encomio Urbis collapsæ retulit Anglus scriptor Gulielmus Malmesburiensis, lib. IV de vita Gulielmi II, ex eoque repetit Casp. Barthius ad Claud. de Laud. Stil. lib. III, v. 131, pag. 290. Et scriptum ab Hildeberto librum elegiacum *de Urbe Roma*, cujus initium *Par tibi Roma nihil*, memorat Polyc. Leyserus, Hist. poet. med. ævi, p. 387. Præterea ultimum carminis distichon *Urbs felix, si vel dominis*, in variis doctorum piorumque virorum de corrupto ecclesiæ statu poematibus a Matth. Flacio Basil. 1556 editis, p. 417, et in Jo. Balei scriptor. Britann. p. 168, sub Hildeberti nomine legitur, idemque Gyraldus, de poet. hist. dial. V, p. 306 edit. Jo. Jensii, in elegiis Hydalberti, Cenomanensium antistitis, a se lectum profitetur, quem ut poetam stylo candidiorem, et antiquis propiorem, et mire facilem laudat. Ut de carminis illius ætate et auctore accuratius judicarem, contuli diversas ejus, quot habere potui, editiones. Quam Mart. Opitius in Variis Lect. vulgavit, eam a Burmanno in Anthol. Latina repetitam

tenemus. Post Opitium Jacobus *Hommey* in Supplemento Patrum, Parisiis 1686, in-8, edito, p. 456, vulgavit *S. Hildeberti de urbe Roma librum unum*, cujus pars prima *Roma diruta* inscribitur; pars altera *Roma reparata atque ex Christiana religione illustrior*. Pariter Antonius *Beaugendre*, Presb. Ord. Bened. e congreg. S. Mauri, in Operibus Hildeberti, Parisiis 1708 fol. editis inter Carmina ejus miscellanea, colum. 1334 et 1335, hæc duo poemata proposuit, quorum unum *de Roma* inscribitur, alterum *Item idem de Roma*. In utraque editione duo carmina pari numero versuum 36 constant, sed omnium editionum non levis diversitas, quum variantibus in lectionibus, tum integris in versibus est. Beaugendrius ipse in margine prioris carminis, de quo nunc maxime agimus, monet, *E pluribus manuscriptis* sc. descriptum hoc carmen esse. Varietatem quidem lectionis nos in subjecta adnotatione dabimus. In serie versuum hæc est differentia. Post versum 6 recensionis Opitianæ, quam ipsi dabimus, Homeyus et Beaugendrius inserunt distichon: *Quem gladii regum*. Contra versus 15 et 16 *Materiem, fabros*, in istis duabus non apparent. Versus 11 et 12: *Qui crescens studiis.... emit ope*, quos Opitius et Hommeyus proferunt, manuscriptum, e quo edidit Beaugendrius, non habuit, qui propterea eos uncinis inclusos notat ab Hommeyo interseri. Denique versus 21 et 22, quos non modo Opitius, sed etiam Pithœus et Fabricius exhibent, *Urbs cecidit.... Roma fuit*, ab editione Hommeyi et Beaugendrii absunt. Reliqua disticha ejusdem partis, quam Pithœus et Fabricius proposuerunt, in Hommeyi et Beaugendrii exemplaribus diverso ab Opitiano ordine collocantur, hoc nimirum: v. 23, *Non tamen annorum*; 25, *Tantum restat adhuc*; 27, *Confer opes*; 29, *Non tamen aut fieri*; 31, *Cura hominum potuit*; 33, *Hic Superum formas*. Sed ordo versuum, quem ipsi ex Opitiana recensione dedimus, genuinus esse videtur, quia et sententiarum aptiorem ordinem facit, et in Pithœi Fabriciique exemplis observatur. Qui

quoniam septem sola disticha, eaque sensu quodam vetustatis prædita ediderunt, ea re significant etiam seorsum posita in antiquo codice invenisse, recteque auctorem eorum antiquum haberi. Quia vero longiori carmini inserta reperiuntur, quod codices manuscripti Hildeberto, Cenomanensium episcopo, sæculi XI scriptori, tribuunt, statuamus oportet, Hildebertum auctorem septem illa disticha scriptoris antiqui, ut paris argumenti epigramma, suo carmini adaptasse, atque inde materiam accepisse latius describendi ruinas Romæ. Opitius quidem integrum carmen in vetusta membrana scriptum, nullo auctoris nomine adposito, apud se exstitisse testatur, et tantopere sibi probari fatetur, ut inter optimi ævi delicias et meliora vetustatis monumenta ponendum existimet. Sed P. Burmannus propius vero judicat, totum carmen, ita ut ab Opitio editum est, ex interpolatoris cujusdam officina provenisse: nonnulla auctorem habere poetam non penitus contemnendum, sed plura monachi versificatoris genium nimis referre. Nos quidem minime liberum ab interpolatione mansisse fatemur, primum tamen auctorem, vel consarcinatorem potius, merito existimamus Hildebertum. Arguit hoc inprimis alterum carmen ei additum, quod *Roma reparata atque ex religione Christiana illustrior* ab Hommeyo inscribitur, quodque incipit: *Dum simulacra mihi, dum numina multa placebant, Militia, populo, mœnibus alta fui.* Hoc Hildeberti esse, nemo ambigit. Sed manifestum est, argumenti hujus gravius exprimendi caussa prius illud carmen esse compositum. Quo clarius ostenderet Romæ hodiernæ e cultu religionis Christianæ dignitatem, auctor prius deplorare voluit Romæ veteris ruinas, ad quas pingendas simul ansam et materiam præbebat vetus epigramma: *Urbs cecidit*, etc. In priore carmine Romam adloquitur poeta, ut deploret; in altero Romam respondentem, et contra de felicitate sua gloriantem facit, rursusque duo disticha alius epigrammatis antiqui usurpat, quod Pithœus et Burmannus ante carmen, de quo agimus,

iisdem paginis proposuerunt: *Vix scio, quæ fueram; vix Romæ Roma recordor*, etc. In quo facile agnoscimus, pari genere compilationis hæc duo carmina ab auctore congesta esse. Quæ etiam, ubi pari versuum numero composita sunt, unius auctoris consilium produnt, qui duo opposita separatis carminibus descripturus, eadem sibi respondere pari versuum numero voluit. Quamquam autem carmen de Roma diruta auctorem Hildebertum habuit, idem tamen plurium interpolationes expertum esse, variationes supra a nobis indicatæ docent. Singulæ editiones unum alterumque distichon habent, quod in alia deest, alio carent. Hinc Hommeyi et Beaugendrii exempla parem numerum versuum servant. Opitii textus uno disticho abundat, propterea quod Opitius veteris epigrammatis primum *Urbs cecidit*, cum disticho alio ejusdem sententiæ, sed immutato, quod solum editiones Hildeberti habent, conjunctum et fere bis positum exhibet. Aliud distichon (quartum) quod in Hommeyi et Beaugendrii editione, non in Burmanni textu, exstabat, neque plane abjiciendum videbatur, uncinis inclusum suo loco inserui. Unde nostra carminis recensio ad 40 versus excrevit. Præterea interpolatoris manum arguunt nonnulla in carmine inepte dicta et odiose repetita, tum extremi ejus versus, qui et monachi barbariem prodere, et cum reliquis male cohærere videntur. Ultimum distichon plane ab argumento alienum videtur, et de corruptis Urbis moribus, non collapsis ædificiis, agere, quo sensu etiam adlegavit Flacius: quamquam potest fortasse de barbaris dominis splendorem Urbis magis destruentibus intelligi. Cæterum quia particula saltem antiqui carminis inest, alia non inelegantia veteris Romæ fatum pingunt, statuimus hoc carmen Itinerario Rutilii subjicere, ita tamen, ut non alia illud opera, quam nonnulla varietate lectionis adponenda, et Opitii Burmannique notis repetendis ornemus.

NOTÆ

PRÆCIPUARUM EDITIONUM RUTILII, QUIBUS USI SUMUS.

B. Bononiensis Jo. Bapt. Pii. 1520.
O. Onuphrii Panvinii. Paris. 1588.
S. Simleri. Basil. 1575.
C. Jos. Castalionis. Rom. 1582.
P. Pithœi, inter poemata vet. 1596.
Sz. Sitzmanni, vel Zinzerlingii. Lugd. 1618.
Ba. Casp. Barthii. 1623.
Alm. Almeloveeni. 1687.
Bu. P. Burmanni. 1731.
D. Dammii. 1760.

II.

DE

RUTILIO NUMATIANO

EJUSQUE ITINERARIO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Theodulphus Aurelianensis, lib. IV, Carm. I, v. 9 seq. de libris, quos legere solebat, agens, Rutilium inter poetas Christianos nominat, qui, nisi nomen vitiose scriptum est, vix pro alio, quam Numatiano, haberi potest.

Legimus et crebro gentilia scripta sophorum,
  Rebus qui in variis eminuere satis.
Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
  Quorum sunt subter nomina scripta vide.
Sedulius, *Rutilus**, Paulinus, Arator, Avitus,
  Et Fortunatus, tuque, Juvence tonans.

* Jac. Sirmondus ad hunc locum adnotat : « Quem *Rutilum* poetam intelligit, dicere non habeo, præter Rutilium Numatianum. Sed mirum sit inter poetas Christianos numerari eum, qui Christianus non fuit. Itaque Fortunatus, qui lib. I de vita Sancti Martini septem alios recenset, Rutilium omittit ». Sed Rutilium Theodulphus Christianis poetis inseruisse videtur, quod eum vel re ipsa pro Christiano habebat, vel saltem inter Christianos et sub Christianis Imperatoribus sciebat vixisse : nisi forte Rutilii nomine auctorem carminis alicujus religiosi, a se lecti, designat, qui hodie ignoratur, e. g. carminis illius, quod *de Providentia* inscribitur, et vulgo Prospero Aquitanico tribui solet. Neque illud offendat, quod *Rutilus* nominatur, ut versus ratio poscit, pro Rutilio. Nam etiam *Palladium Rutulum* in veteribus membranis inscribi notum scriptorem Rei rusticæ, observavit Barthius ad Rutil. Itin. lib. I, 206. — Falluntur au-

II. Raphael Volaterranus, Commentar. urban. lib. XIX, fol. 220, edit. Basil. 1530.

Rutilius Gallus poeta, cujus elegia quædam, iter suum continens, haud ignobilis, nuper inventa est.

III. Jo. Jovianus Pontanus in epistola ad Actium Syncerum, quam vulgavit Goldastus in Centuria Epistol. Philol. n. 23, unde repetiit Thomas Crenius, Commentat. Phil. et Histor. part. II, p. 276, et habet tomus III Operum Pont. pag. 382, edit. Basil. 1538.

Rutiliani illi versiculi enodes sunt et nitidi : cultus vero ipse peregrinus potius, quam urbanus, ne dicam arcessitus.

IV. Petrus Summontius in epistola ad Franc. Pudericum, Pontani dialogo, qui Actius inscribitur, præmissa, tomo II Opp. pag. 188.

Advexit nuper Syncerus ex Heduorum usque finibus, atque e Turonibus dona quædam, mirum in modum placitura literatis viris, Martialis, Ausonii et Solini codices, novæ atque incognitæ emendationis... Is etiam ad nos adtulit Ovidii fragmentum de Piscibus, Gratii poetæ Cynegeticon, cujus meminit Ovidius ultima de Ponto elegia : Cynegeticon item Aurelii Nemesiani, qui floruit sub Numeriano imperatore, *et Rutilii Numatiani Elegos*, quorum tenuitatem et elegantiam e sæculo illo agnoscas Claudiani. Atque hæc quidem omnia post Pontani libros emittentur.

tem qui in versu hoc Theodulphi *Rutilus* pro appellativo et adjuncto Sedulii habent, quasi Sedulius vocetur *rutilus*, i. e. clarus, insignis, celeber. Nam qui cæteris auctorum nominibus nullum epitheton adposuit, nec Sedulio id adposuisse credendus est. Neque ego memini ab aliis virum aliquem *rutilum* vocari pro *claro*. Ed.

V. Lil. Greg. Gyraldus, de poetar. histor. tomo II Opp. pag. 313.

Vidi et ego opusculum elego carmine compositum Rutilii Claudii Numatiani Galli, ad Venerium Rufium, Hodœporicon, non indignum ut legatur. Sunt enim in eo quædam cognitione non indigna, seu historiam, seu elegantiam petas, ut est illud de Stilichone, quod parum ex aliis notum est: qui quum contra generum Honorium res novas moliretur, Romæ Sibyllinos versus cremavit. Hi sunt Rutilii versus, lib. II, 41—56:

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii, etc.

Quibus et aliis carminibus conjicere possumus, eum non multum abfuisse ab Honorii et Arcadii Impp. temporibus. Fuit autem ipse Rutilius, ut quum ex ejus poemate, tum ex inscriptione ipsius apparet, Gallus natione, vir consularis, Urbis Præfectus, Tribunus militum, et Præfectus prætorio. Imperfectus ipsius itineris alter libellus est. Ultra Lunam enim urbem, quæ a me visa sant, exemplaria non procedunt.

VI. Onuphrius Panvinius in præfat. ad Rutilii Claudii Itineraria, libro I Commentar. Reipubl. Rom. p. 272, edit. Paris. 1588.

Hic (Rutilius) quum post expletum Præfecturæ tempus ex Urbe in Galliam ad avitos agros reverteretur, ut Julii Cæsaris, qui Hispaniense, Trajani Imp. qui Dacicum, Alexandri Severi Augusti, qui Persicum, Horatii poetæ, qui Brundusinum, Ovidii, qui Milesium, Firmiani, qui Africanum itinera scripserunt, itineraria et ipse duo composuit, alterum de itu ex Urbe in Galliam, alterum vero de reditu ex Gallia Romam... Ex his duobus itinerariis prius

perfectum est : posterioris finis desideratur. Liber admodum elegans, quamquam parvus, certe ob variarum rerum cognitionem, quibus refertus est, dignus admodum mihi videtur esse, ut in hominum manibus assidue et lectione versetur, indignusque, quod tam diu in tenebris delituerit.

VII. Josias Simlerus in præfat. ad scholia in Rutil. p. 323.

Hic poeta, quamquam Christianæ religionis hostis fuerit, ut ex his elegis apparet, tamen propter elegantiam dignus est, qui emendate et eleganter in publicum prodeat.

VIII. Christophorus Browerus in notis ad Venantii Fortunati lib. III, Carm. vi, pag. 61.

Scripsit non tam christiane, quam eleganter itinerarium suum Rutilius Claudius, natione Gallus, Consularis ille quidem et Præfectus prætorio, sed religioni Christianæ hostiliter infestus. Scripsit autem post Urbem captam a Gothis; nam lib. II, postquam Stilichonem livido dente fixisset,

Proditor arcani quod fuit imperii,

Tandem de Roma capta verba faciens, subjicit :

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius, quam caperetur, erat, etc.

IX. Casp. Barthius, Advers. lib. VI, cap. 12.

Sed et ipsamet urbs cum suo Genio inter cælestia numina dedicata erat. Cujus cultus et pictura a viris doctissimis enarrata sunt, et versibus illustravit Claudianus, Rutilium Numatianum ea in re discipulum habens, qui ad verbum ejus carmina Heroica elegis non invenustis descripsit.

X. Idem, Advers. lib. XV, cap. 22.

Sic venustus cultusque ultimi ævi poeta Rutilius in lau-

dibus Messalæ tum celebris, quas non sine recordatione lectæ hujus elegiæ scripsisse videtur.

XI. Idem, Advers. lib. XVI, cap. 6.

Inter ultimi ævi vates egregius est Rutilius Numatianus, vir summis ævo suo honoribus functus, omnia cætera laudabilis, nisi quod Christianis iniquus est... Inscriptio operis ipsa tam perperam concepta est, quam quæ maxime. Nihil enim in hoc libro quod Itinerarii titulum mereatur, nihil quod adfectet. Sed potius *Reditum suum* inscripsisse auctorem existimo, ut primus libri versus innuit.

XII. Idem, Advers. lib. XXII, cap. 17.

Non longe post Claudiani ævum scripsit iste poeta (Rutilius), tam vero clare ejusdem phrasin et dicta exprimit, ut et hoc testimonio gloria Claudii illius sit illustrior, quem prægloriosissimum poetarum vocant Imperatores.

XIII. Ger. Jo. Vossius, de Histor. Latin. lib. II, cap. 15.

Ad hæc etiam tempora pertinet Claudius Rutilius, sive Rutilius Claudius Numatianus Gallus, qui ὁδοιπορικὸν sive Itinerarium scripsit libris duobus. Sed posterioris libri pars melior deperiit. Fuit vir consularis, præfectorius Urbis, tribunus militum, et prætorio præfectus. Dignitatum earum meminit ipse his verbis:

> Si non displicui, regerem quum JURA Quirini,
> Si colui Sanctos, CONSULIQUE Patres:
> Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
> Non sit PRÆFECTI gloria, sed populi.
> Sive datur, etc.

Et post multa:

> Officiis regerem quum regia tecta magister,
> Armigerasque pii principis excubias.

Dedicavit poema suum Venerio Rufio. Quia vero carmen heroicum respuit Venerii nomen, ut in quo tres primæ sint correptæ, eo maluit hoc pacto ejus indicium facere:

> Optarem verum complecti carmine nomen,
> Sed quosdam refugit regula dura pedes.
> Cognomen versu VENERI carissime RUFI,
> Illo te dudum pagina nostra canit.

Ubi *Veneri* et vocandi casus esse potest a recto *Venerius*, ut *Virgili* est a *Virgilius*, et dandi casus a recto *Venus*, ut Rufius divæ Veneri carissimus dicatur. Perperam autem, qui Rufius est, a quibusdam *Rufus* vocatur: quod adlatus versus indicat, atque item iste:

> Rufius Albini gloria viva patris.

Cujas ille Rufius fuerit, et quos gesserit honores, ostendunt ea, quæ Rutilius continuo subjungit. Scriptum est hoc poema post cædem Stilichonis, ac Romam ab Alarico Gotho captam. Quod satis ex posterioris libri reliquiis cognoscitur. In eo carmine situm locorum attentius consideranti versus quosdam loco suo trajectos esse, non erit obscurum. Carmen est elegans, etiam supra ætatem, qua pocta vixit. Sed in quo, jure optimo, culpes iniquum, ac plane virulentum animum tum erga Christianos, inprimis monachos Caprariæ, et Gorgoniæ insulæ: tum Judæos, quorum Sabbata homini, in pietatis ac religionis negotio, plane cæco, videntur esse

> ....lassati mollis imago Dei.

XIV. Idem, ibid. lib. III, part. IV, cap. 2.

Ejusdem temporis poetis ac simul iis, qui describerent terrarum situm, meruit accenseri Rutilius Claudius Numatianus (nisi malis Munatianus) Gallus, vir summa dignitate: quippe Consularis, præfectorius Urbis, Tribunus militum, et Præ-

fectus prætorio. Anno Romæ conditæ MCLXIX præfecturam urbis administravit, ut indicat ipse, his versibus Romam compellans:

> Quamvis sedecies denis et mille peractis
> Annus præterea jam tibi nonus eat.

Is annus est Christi CCCCXVII, quo Honorius Aug. XI et Fl. Constantius V. C. II. Coss. fuere. Hic de suo itinere carmine elegiaco panxit libros II ad Venerium Rufium (al. Rufinum sed perperam). Vulgo opus hoc *Itinerarium* appellant: at fortasse auctor potius *de reditu* inscripserat. Sua ætate eum in cœnobio quodam ad Bobium, Italiæ oppidum, inventum esse, ait Volaterranus. Vidit etiam Jovianus Pontanus, qui et hosce versus laudat ex initio lib. II:

> Intervalla viæ fessis præstare videtur,
> Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Semel duntaxat ante excusum, denuo, sed a Gabriele Faerno emendatum, edidit, suisque Reip. Romanæ Commentariis inseruit Onuphrius Panvinius. Hinc cum variantibus lectionibus, quibus loca quædam emendarentur, Antonini Itinerario in Basileensi editione addidit Josias Simlerus an. 1575. Postea Romæ castigatior prodiit opera Josephi Castalionis. Poeta est disertus ac argutus, et pro ea ætate valde elegans ac venustus; sed male sentiens de Judæis, ac Christianis, monachis inprimis. Quid mirum in homine gentili?

XV. Idem, de Poetis Latinis, cap. IV, pag. 58.

Honorii jam ætate, post Stilichonis cædem et Romam ab Alarico captam, quod fuit anno Chr. CCCCX, fuit Rutilius Claudius Numatianus Gallus, cujus habemus Itinerarium carmine eleganter perscriptum, sed odium spirans religionis Judaicæ ac Christianæ. Observat vero Pithœus *ex ordine*

navigationis, et itinere, videri quædam in eo confusa ac transposita. Plura de eo lib. II de Histor. Latin. cap. 15.

XVI. Guilielmus Cave, Histor. literar. script. ecclesiast. vol. I, pag. 467 de Cl. Rutilio.

Poeta tersus, venustus, qui ubere ingenii vena atque elegantia pæne cum optimis melioris ævi poetis certare potest.

XVII. Christoph. Cellarius in Prolegom. ad Curas poster. p. m. 39.

Rutilius Claudius Numatianus, cujus habemus Itinerarium, carmine eleganter perscriptum, sed odium spirans religionis Judaicæ ac Christianæ.

XVIII. Adr. Baillet, Jugement des Savants sur les principaux ouvrages des auteurs. Poètes Latins, tome III, article 1185, pag. 291.

C'est un ouvrage qui a de l'élégance et de la beauté, plus même que son siècle n'était capable d'en fournir ou d'en souffrir, qui a fait voir que le feu qui animait les poètes du bon siècle n'était pas encore entièrement éteint, ou du moins qu'il restait encore quelque chaleur dans les cendres, selon l'aveu de plusieurs critiques de réputation.

Repetunt hoc judicium auctores Historiæ liter. Galliæ, t. II, pag. 74.

XIX. Janus Broukhusius in notis ad Tibull. lib. I, eleg. 11, v. 63.

Rutilius Claudius Numatianus, infelicium temporum poeta non infelix.

Idem, ad lib. II, 5, 59.

Claudius Rutilius, poeta sæculo suo major.

XX. Petr. Burmannus in Præfat. ad Poet. Lat. minores.

De ipso Rutilio vix accedere possum viris doctis, qui immeritis laudibus eum efferunt, quum, si inter mediocres poetas ipsi locus relinquatur, optime cum eo agi putem, et accederem judicio Joannis Joviani Pontani, qui Sannazario, qui videtur ipsi primus Rutilium misisse, ita scribit: *Rutiliani illi versiculi*, etc. ut supra num. III.

XXI. Christ. Tobias Damm. in Dedicat. editioni Rutilii præposita.

Est Claudius Rutilius, vir sensu Romano clarissimus: cujus majores, ex antiquissima Galliæ regulorum stirpe oriundi, Romanis Patribus fuerant inserti. Ipse enumerat honores a patre suo, seque, gestos Romæ, Honorio imperatore. Sed quum Gothi cepissent Romam, vastassent Italiam, et deinde per Galliam grassati essent; ad revisendas majorum suorum sedes, easque e ruinis excitandas, evocatus Roma, iter illud in patriam Galliam, in qua non diu post diem suum obiit, elegantissimo carmine scripsit. Sed dolendum sane est, magnam hujus operis partem injuria temporum intercidisse: est enim a fronte libri primi mutilum, et de secundo libro pauca admodum supersunt. Quæ tamen habemus, ita sunt egregia, ut, quo sæpius legantur, eo majorem sui faciant admirationem. Laudat Romam, laudat amicos suos honoratos, tam candide et eximie, ut in his simul proponat exempla, quæ utinam consequerentur omnes, qui præsunt rebus humanis! Fuit quidem a sacris Christianis alienus, sic tamen, ut ea minime sugillet: nam, quum monachos perversos aut sordidos Judæos vituperat, quid id ad Christiana sacra attinet?

III.

ARGUMENTA
ITINERARII RUTILIANI

CHRIST. TOBIA DAMMIO AUCTORE.

LIBRI PRIMI

Invitus abii Roma, 1; beatos æstimo cives, ex priscis civibus natos, 5; etiam factos cives ex peregrinis, 11. Sed abeundum fuit, 19; amore patriæ cogente, 20. Eligo iter per mare, cur? 38. Valedico Urbi, 43. Laus Romæ, 47; a fortitudine, 59; a clementia in victos, 63; hinc divinitatem habet Urbs, 73; a majestate et gloria imperii, 79; adspice tropæa, 93; templa, 95; aquæductus, 97; lavacra, 101; aquas nativas, 103; nemora domestica, 111. Ne sis tristis, o divina Urbs, quod capta fuisti a Gothis nuper, 115; concipio vota pro te, 141; et pro me, siquidem placui tibi: tribuisti certe mihi honores amplos, 157. Exeo tandem Roma, 165. Rufii laus, 167; devehor dextro Tiberis alveo ad mare, 179; in portu ibi sedeo dies XV, 185; respecto inde Romam, cujus nova laus, 189. Palladii laus, 207; et Exuperantii, 213; abeo ex portu Tiberino, litora legens, 217; prætervehor Alsium et Pyrgos, 223; et Cære, quod olim Agylla, 225; et Castrum Inui, 227; quis est iste Inuus? 231; devehor ad Centum Cellas, portum tutissimum, 237; inviso etiam thermas tauri, 249; laus Messalæ, 268; litus ad ostia Minionis est suspectum, 279; procul video Graviscas, 281; et Cosam, 286; pernocto in portu Herculis, 293; per occasionem vituperantur Lepidi quatuor, 295. Circumvehimur montem Argentarium, 315; Igilium miror, 325; venimus ad

Umbronem fluvium, 337; non procul inde pernoctamus in litore deserto, 344; postero die Ilvam insulam prospicimus, 351; ferrum præferendum esse auro arbitror, 355; ad Faleriam subsistimus, ubi forte festus dies incolarum, 371; Judæi vituperantur hac occasione, 381; ad Populoniam deflectimus, 401; urbes intereunt, quidni homines? 408. Rufius iterum laudatur, 415. Corsica procul ostendit se, 431; et Capraria; ubi monachi vivunt absurde, 439; ad Vada Volaterrana deinde ventum est, 453; ubi duram tempestatem sufferimus, 463; Albinus laude dignissimus est, 466; sunt ibi Salinæ, 475; Victorinus quoque laudandus, 491. Gorgon insula prospectatur, ubi degit monachus miser, antea illustris homo, 515; ad Triturritam devehimur, 527; a qua non longe distat sinus Pisanus, 531. Protadii laus, 542. Rutilius ipse narrat obiter honores a se gestos, 563. Pisæ laudantur, 565; ibi inseruntur laudes Lachanii, patris Rutilii, 575; et Decii Lucillique, 599; ubi obiter de usu satyrarum, et de harpyiis publicis, 603; venamur ad Pisas, 621; quia Lepus, astrum parvum, magnas maris tempestates concitabat, 634.

LIBRI SECUNDI.

Post exordium argutum, 1; narratur iter ex Pisano portu, et conspicuus Apenninus, 12; ubi Italiæ figura et spatium describitur, 17; et Apenninus iterum, 27. Stilicho per occasionem gravissime vituperatur, 41; et pejor Nerone ostenditur, 57. Luna urbs, ejusque marmor laudatur, 63. — Reliqua hujus libri indignissime perierunt.

CLAUDII RUTILII NUMATIANI

V. C.

DE REDITU SUO

ITINERARIUM.

LIBER PRIMUS *.

VELOCEM potius reditum mirabere, lector,
Tam cito Romuleis posse carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus ævo?

* Deesse initio distichon, ut minimum unum, suspicati sunt Castal. Barth. Damm. Ego non puto. Docet inscriptio *de reditu suo*, quæ ad primum versum respicit. Et *potius* sæpe cum ellipsi commatis, quod ei respondeat, poni, exemplis ostendunt Burm. et Cort. Ipse Noster v. 99: « Hos potius dicas crevisse in sidera montes »: et conf. v. 582.

1. *Velocem potius*, etc. Miraberis, inquit, lector, velocem reditum meum, h. e. me velociter potius, quam tarde, redeuntem tam cito posse carere multiplicibus bonis, quæ Roma visenda et fruenda offert. Gemina plane sententia Symmachus, lib. I, epist. 30: « Difficile est hinc abire, quum veneris; adeo si contemplari majestatem urbis nostræ velis, justo citius videbitur revertisse ».

2. *Quam* subjecit Pithœus, et probat Cort. sensu subtiliore, ut videtur, quæsito. Nam *velox reditus Roma*, et *cito carere Roma* parum videntur differre. *Quam me ita* conj. Barth. in Adv. hoc est, quam vel sic posse me carere divinis urbis deliciis. Ego retineo *Tam*, quod omnes vetustiores habent, et uno tenore lego: *Velocem potius reditum meum tam cito Romuleis posse carere bonis*. Tibull. I, 2, ult. « nec te posse carere velim ».

3. *Celebrantibus* volebat Heins, sed hoc alienum videtur, et *venerantibus* confirmat versus 16. — *Venerantibus* a Barthio exponitur habitantibus, adulatorie. ED.

Nil unquam longum est, quod sine fine placet.
O quantum, et quoties, possem numerare beatos,
Nasci felici qui meruere solo!
Qui, Romanorum procerum generosa propago,
Ingenitum cumulant Urbis honore decus!
Semina virtutum demissa et tradita cælo
Non potuere aliis dignius esse locis.
Felices etiam, qui proxima munera primis
Sortiti, Latias obtinuere domos.

4. *Nil cuiquam* conj. Crusins in Prob. crit. p. 58.

5. *O quater, et quoties non est numerare, beatos,* citat Broukh. ad Tibull. I, 11, 63, qui eo imitatum esse Ovidium putat Trist. III, 12, 25: «O quater, et quoties non est numerare beatum, Non interdicta cui licet urbe frui!» Idem de hoc loco conj. Heins. ad Ovid. Art. Am. II, 28. Sed *O quantum, et quoties* non est eripiendum Rutilio, qui sic etiam imitatus est Gratium, v. 320: «O quantum et quoties decoris frustrata paterui!» Ad Propert. II, 23, 99, respexisse putat Burmann. sec. ad eum loc.

6. *Qui meruere*, qui benigno quodam fato suo obtinuerunt, ut Romæ, tam felici in urbe, nascerentur. Ausonius in Grat. Act. c. 7: «Dantur enim multa nominibus, et est Roma pro merito».

7. *Romanorum procerum*, illustrium virorum, e patriciis gentibus Romanis.

8. *Ingenitum decus*, quod a nobili genere habent, *cumulant*, augent, geminant, *Urbis honore*, dignitate, quam habent ab urbe patria Roma. Ita fere Ovid. ex Pont. I, 2, 2: «Et geminas animi nobilitate genus».

9. *Semina virtutum*, insitæ animis virtutes excellentes et incorruptæ. Sic Cæsar Germau. Arat. v. 133: «Ærea sed postquam proles terris data, nec jam Semina virtutum vitiis demersa resistunt. — *Demissa cælo*, expressum e Virg. Ec. IV, 7: «Jam nova progenies cælo demittitur alto». Solent *demissa cælo, prosata, proxima cælo et Diis* dici, quæ sunt excellentia, et divinam aliquam originem servant. — Vid. quæ notavimus ad Epithalam. Patr. v. 73, huj. op. t. III, p. 393. Ed.

10. *Non potuere aliis dignius esse locis.* Apte huc Sitzmannus vocat locum Ovidii, Fast. IV, 270: «Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat». Simile Romæ elogium impertit Amm. Marcell. XIV, 6, p. 33, «virtutum omnium domicilium aliquando» fuisse dicens.

11. *Proxima munera primis*, i. e. proxima illis, qui Romano sanguine nati sunt.

12. *Latias obtinuere domos*, jura domuum vel gentium Latinarum, i. civitatem Rom. juris Latini, quam e Constitutione Caracallæ omnes habebant peregrini, Romano imperio subjecti, quæque eo valebat, ut qui domi suæ magistratu functi essent, possent etiam Romæ honores consequi, et Senatores fieri.

6.

Relligiosa patet peregrinæ Curia laudi;
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio, collegarumque fruuntur;
Et partem Genii, quem venerantur habent.
Quale per ætherios mundani verticis axes
Connubium summi credimus esse Dei.

Hoc ipsum significat Rutilius sequente versu : *Relligiosa patet*, etc. Infra, v. 571, *Trojugenas penates* dixit familias Trojanas.

13. *Peregrinæ curia laudi.* Curia est senatoria dignitas, ut in illo Ovidii, Trist. IV, 10, 35 : « Curia restabat : clavi mensura coacta est ». Peregrina s. peregrinorum *laus* est ea quam homines, non in ipsa Urbe, sed in provinciis nati, meruerunt e re civili domi bene administrata. Hanc proprie laudem dici bonis scriptoribus solere, Grævius ad Cic. orat. in Pis. c. 30, docuit — Et vid. quæ nos in Excursu I ad Sal. Bassi Carmen, huj. op. t. III, pag. 272. Ed. — Adposite Nazarius in paneg. Constant. c. 55 : « Sensisti, Roma, tandem te arcem omnium gentium, et terrarum esse reginam, quum ex omnibus provinciis optimates viros curiæ tuæ pigneraveris, etc. » — Scilicet in suum commodum ita loquitur homo Gallus, quasdam Romæ, ut videtur, dignitates adeptus. Vide Berterium Pithan. lib. II, cap. 5. Ed.

15. *Ordinis ingenio* tentat Burm. *collegatuque* legit Grævius. — *Ordinis imperio, collegarumque fruuntur*, h. e. participes sunt imperii, dignitatis, potestatis, quam habent et Senatus, qui κατ' ἐξοχὴν *Ordo*, et, qui in eo sunt magistratibus fungentes, quorum sunt collegæ. Sic facillime explicari puto versum, qui in se planus est, sed variis tortus et distractus sententiis Castalionis, Grævii, Burmanni, Dammii, quas referre longum est.

16. *Et partem Genii.* In partem et communionem veniunt illius Numinis Romani, auctoritatis, potestatis, quam ipsi et cives omnes in Senatu et magistratibus Rom. venerantur. Forte respexit Claudiani hoc VI Cons. Hon. 611 : « O quantum populo secreti numinis addit Imperii præsens Genius ». Genium locis et urbibus ; et præcipue Romæ et populo Rom. adscriptum esse, docent nummi et lapides antiqui. Vid. infra v. 328.

17. *Quale per ætherios.* Quemadmodum summi Dei s. Jovis per omnes cæli regiones et Deorum sedes fusa et continuata vis est, ita ut hi, quamvis inferiores, communem cum isto habeant honorem divinum. — *Mundanus vertex* est cæli medium vel summum, ut Macrobius, Somn. Scip. I, 21 : « Et quia medium cælum quasi mundi vertex est ». — *Ætherii axes* sunt circuli vel regiones ætheris cælo summo subjecti, ubi *Semidei manes habitant patientes ætheris imi*, ut loquitur Lucan. IX, 8.

18. *Connubium* hic cum Barthio credimus vocari conjunctionem arctissimam, aut concilium indissolubile, quod summo Deo, Jovi aut Ætheri, cum reliquis mundi parti-

At mea dilectis fortuna revellitur oris,
    Indigenamque suum Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis;
    Sed, quam grata minus, tam miseranda magis.
Securos levius crimen contemnere cives:
    Privatam repetunt publica damna fidem.
Præsentes lacrymas tectis debemus avitis:
    Prodest admonitus sæpe dolore labor.

bus esse dicunt Virg. Æn. VI, 724 seq. et scriptor Pervig. Ven. v. 59 seq. Et Lucret. de Rer. Nat. III, 857, conjunctionem inter animam et corpus « coitum conjngiumqne » dixit. — *Summis Diis* vult Barthins in Advers. idem notavit manus viri docti ad oram Simlerianæ. Sed retinendum est *summi Dei* ob vim comparationis, qua summus Deus respicit ad Geuinm superioris versus.

19. *Mea dilectis fortuna revellitur oris.* Ea in præsenti fortuna mea est, is status rerum mearum, ut invito mihi relinquenda sic dilecta Italia. Commode huc applicat Burmannus Quintiliani verba e Declam. 377: « respondebo verbis fortunæ meæ », hoc est, quæ statui meo misero conveniunt.

21. *Nimium deformia bellis* et rel. Locus hic sumptus videtur ex Ciceronis epist. VI, 9, ad M. Marcell. « Nunc vero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria, nec eam diligere minus debes, quod deformior est; sed misereri potius, nec multis claris viris orbatam privare etiam adspectu tuo. » Castal. De clade, quam Galliæ eo tempore e barbararum gentium incursione perpessæ sunt, videndi scriptores ejus ætatis Salvianus Mass. de Gub. Dei, lib. VII; Prosper. Aquit. in prol. libri de Prov. — Et Marius Victor in carmine, quod t. II huj. Op. produximus, p. 160. Ed.

23. *Securos cives*, incolumes et secure viventes, *contemnere*, negligere et minus curare, ut Propert. I, 4, 123: « Nullas illa suis contemnet fletibus aras », i. e. nullas præteribit vel omittet, quin lacrymis suis spargat: et Noster v. 120: « Contemptus solidet vulnera clausa dolor ». Contra *negligere* pro contemnere positum in illo Epit. Hom. v. 490: « premit esuriens et negligit omnes ».

24. *Privatam repetunt.* Quia calamitas publica et omnium est, privatam cujusque civis, et meam sigillatim fidem repetit, et tamquam debitum flagitat. *Repetere* aptum verbum debitis esse, bene monet Cortius. *Privati* notio, quæ Principi opponitur, et magistratum etiam notare potest, hic locum non habet, licet sic statuat idem Cortius.

25. *Præsentes lacrymas*, a præsente et inspiciente fusas; miserationem non ignavam, sed quæ præsentem opem ferat.

26. *Admonitis sæpe*, sc. civibus suis, conj. Burm. *favor* mal. Heius. — *Prodest admonitus.* Hoc poetica ratione dictum significat, prodest subinde laborem nostrum dolore admoneri, h. e. instigari nos, pungi et vellicari dolore calamitatis, ut

Nec fas, ulterius longas nescire ruinas,
    Quas mora suspensæ multiplicavit opis.
Jam tempus, laceris post longa incendia fundis,
    Vel pastorales ædificare casas.
Ipsi quin etiam fontes si mittere vocem,
    Ipsaque si possent arbuta nostra loqui;
Cessantem justis poterant urgere querelis,
    Et desideriis reddere vela meis.

studiosius pro patriæ commodis agamus. *Admonere* sæpe est cum aliquo aculeo revocare in memoriam, et tamquam pungere et incitare, ut observat Gron. Diatr. in Stat. cap. 49. Sic Virg. Æn. IX, 109: « quum Turni injuria matrem Admonuit ». Idem adeo de equis instigatis usurpat, Æn. X, 587: « pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos ». Plane ad sententiam Rutilii Symmachus, IV, epist. 11: « Animum natura desidiosissimum dolor fletu gravidus accendit ».

27. *Nescire ruinas*, i. e. dissimulare, vel non sentire, ut absentes solent. Stat. Theb. VII, 674: « et sua vulnera nescit ». Burm. Vid. vers. 246.

28. *Suspensæ opis*, dilatæ et procrastinatæ. Quod Barthius ex hac voce colligit, Rutilium cum milite et potestate Præfecti aut Correctoris in Gallias profectum esse, id discussimus in proœm.

30. *Vel pastorales*, saltem casas ædificare, et agris suis cultores reddere, si novas domos, ad speciem pristinarum, non licet. Stat. Theb. XII, 267: « tectumque adgressa propinquæ Pastorale casæ ». Calpurnius, II, 60: « Ne contemne casas et pastoralia tecta ».

31. *Ipsi quin etiam*. Non dubium est, respexisse Rutilium Maronis locum Ecl. I, 40: « Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant ». Sequente versu *arbuta* pro arbustis dixit more poetarum sequioris ævi.—Vid. Eleg. XII, 24, huj. op. t. II, p. 300. Ed.

34. *Reddere vela* B. O. S. P. *addere* C. Sz. Alm. et reliqui recentiores. Sed restitui *reddere*, quia hoc melius respondet antecedenti *cessantem*. Nam *vela* respiciunt cursum navis, cui ubi cessat in portu, detrahuntur vela, ubi currendum mari est, redduntur: *verba* pro *vela*, notaverat vir doctus ad oram Siml. quod non esset incongruum et significaret desiderantem, volentem, hortari et incitare. — *Reddere vela*, rursus commovere et incitare, ut vellem inire viam. Dictum eo more, quo *velis et equis*, *remis velisque*, pro summa cupiditate, contentione, studio ponitur: de quo vid. Erasmi Chil. Sic desiderium videndæ patriæ suæ exprimit Ovid. Trist. III, 8, 1 seqq. « Nunc ego Triptolemi, ... Ut tenera nostris cedente volatibus aura Adspicerem patriæ dulce repente solum ». Alias quidem *addere calcar* dicunt Latini de eo, qui jam currens incitatur magis; sed hæc ratio non sufficiebat, ut propterea *addere* pro *reddere vela* poneret Castalio. Non enim auctor vult se, jam properantem magis instigatum

JAMJAM, laxatis caræ complexibus urbis,
Vincimur, et serum vix toleramus iter.
Electum pelagus; quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis, cautibus alta rigent:
Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger,
Perpessus Geticas ense vel igne manus,
Non silvas domibus, non flumina ponte coercet;

significare, sed cessantem adhuc nova ad eundum cupiditate incensum. Ut *dare vela* dicimus, sic etiam *reddere*.

35. *Laxatis* B. O. P. C. *laxatus* S. Chyt. Sz. Alm. qui primo defendit *laxatus*, deinde conj. *luctati*, tandem probat *laxatis* vel *laxati*, quod et Dammius recepit: *luxatis* cuuj. Cast. *lassati* Jo. Schrad. Ego vetustum *laxatis* retineo cum Burm. ipsa enim vincula laxantur, non homines vinculis, ut *nodi laxari* dicuntur infra, v. 628: et sic sequens pluralis *Vincimur* nihil offendit. Crusius sic refingit hos versus: *Quamquam lassati caræ complexibus urbis Vincimur, ut serum vix toleremus iter.* — *Jamjam laxatis*. Jam postquam paullatim iis cogitationibus adsuefeceram animum, ut solutiores laxioresque rationes viderentur, quibus me hactenus, tamquam vinculis, adstrictum caræ urbi senseram, *vincimur* tandem per has cogitatiunes, superante desiderio patriæ, *et vix toleramus serum iter*, jam molestum nobis est, irascimur, indignamur, nos tam seru hoc iter ingredi, ut jam moram ferre non possimus. *Laxatis complexibus* simile est, quod dicit Cic. de Amic. c. 13: « laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, quum velis, vel remittas ».

38. *Pluviis* vult Heins.

39. *Postquamque Aurellius agger* B. S. Ch. Reusn. Sz. Alm. *Aurelius* O. P. C. Bn. D. *postquam Taurellius* oræ cod. adscriptum vidit vir doctus in Miscell. Observ. vol. III, t. III. — *Aurelius agger*, via Aurelia, quæ ad inferum mare per Tusciam et Alpes maritimas ducebat, ut Cicero indicat, Phil. XII, 9, et Antonini Itiner. docet. — *Agger* via publica et militaris est, ut olim notavimus ad Sev. Sancti carmen, v. 39, tomo I hujus edit. nost. pag. 580. ED. — Addo descriptionem talis aggeris e Paulini Petroc. vita Mart. lib. IV, 155: « Carpebat prægressus iter, qua publicus agger Porrigit erectam per plana jacentia molem ».

40. *Perpessus Geticas*. De hac Gothorum deprædatione conf. Jornandes, de Reb. Get. cap. 30. — Τὸ *vel* eam vim habet quam solet alias, et quidem latinius et melius, *et*. Sic Venant. Fortunat. de vita B. Mart. « Nam Patris ac Geniti æqualem, vel Spiritus almi ... fatetur honorem ». ED.

41. *Non villas* mavult Heins. — *Non silvas domibus*, etc. Non ita dura mihi, ut Burmanno, videtur locutio *coercere silvas domibus*. Coerceri dicuntur, quæ impediuntur, quominus continuentur, et latius excurrant, quæque adeo terminis quibusdam continentur; *silvæ* quidem *domibus*, quando his, cultis arvis et

Incerto satius credere vela mari.

Crebra relinquendis infigimus oscula portis:
Inviti superant limina sacra pedes.
Oramus veniam lacrymis, et laude litamus,
In quantum fletus currere verba sinit.
Exaudi, Regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos:

habitationibus interpositis, distinguuntur, ne sint omnia silvestria; *flumina* vero *ponte*, quando hoc interrumpitur eorum cursus, et transitus inter aquas medius efficitur. Domus igitur silvestribus locis interjectæ, villæ, cauponæ, mansiones viis publicis proximæ, pontes item fluminibus impositi, quum magnam commoditatem præberent iter facientibus, tum vi hostili per Tusciam et viam Aureliam disjecta et sublata admonebant Rutilium, ne vellet terrestri itinere proficisci. — Hic *domus* intelligit Barth. de locis aut stationibus ubi vectura mutabatur, ut clare adparet in Anton. Itin., et alio veteri a Burdigala Hierosolymas, quod edidit P. Pithœus. Ed.

43. *Infigimus oscula portis*. Discedentes et domum suam deserturi osculari portas, vel postes, vel adeo ripas solebant. Vid. Virg. Æn. II, v. 490. Similiter de capta urbe Amm. Marcellinus, lib. XXV, 9: « turba flebilis postes penatum amplexa vel limina lacrymabat ». Val. Flacc. IV, 373: « Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ ». Mart. Kempius grande opus de osculis congessit, nec jejunus liber est J. Fr. Hekelii, sed oscula liminibus fixa a vale dicentibus vix attingunt: brevissime tantum Kempius, cap. 25, pag. 888.

44. *Inviti superant*, i. e. transgrediuntur, *pedes*; idem exprimit, quod Ovidius in exsilium abiturus, Trist. I, 3, 56: « Ter limen tetigi: ter sum revocatus; et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat ». — *Limina sacra* intelligit urbis Romæ, quasi numinis et templi, ut explicat Burmannus. Nam de templo Tibull. I, 2, 84: « Et dare sacratis oscula liminibus ».

45. *Oramus veniam, lacrymis et laude litamus* distinguit Burmannus. Dammius et vetustiores omnes incisum post *lacrymis* ponunt. — *Oramus veniam*, petimus, ne succenseat nobis urbe sacra discedentibus; *et laude litamus*, placamus eam laude et gratiarum actione, tamquam sacrificio.

46. *In quantum fletus currere verba sinit*, nempe, ut Naso, Trist. I, 3, 42, exprimit, « Singultu medios præpediente sonos ». Formulam *in quantum* rectam esse, ex usu scriptorum continuo probat Barthius, Advers. XVI, 6, XXIV, 3.

47. *Regina mundi*, ut Ammianus Marcellinus, XIV, 6: « Per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum ut domina suspiceris et regina ». — *Mundi tui*, quia a te subactus regitur. — *Pulcherrima*, ut Virg. Georg. II, 534: « Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma ».

Exaudi, genetrix hominum, genetrixque Deorum,
Non procul a cælo per tua templa sumus.
Te canimus, semperque, sinent dum fata, canemus:
Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
Quam tuus ex nostro corde recedat honos:
Nam solis radiis æqualia munera tendis,
Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phœbus,

49. *Genetrix hominum*, quæ orbis terrarum gentes victas recepit in sinum, et cives suos fecit, ut loquitur Claud. Stilich. III, 150. — *Deorum genetrix*, quia Romulum et tot Cæsares consecratos ex se dedit, et plures exterorum religiones suscepit, ut idem explicat Claud. lib. cit. 167 seq. et Bell. Gild. v. 131: « Mœrent Indigetes, et si quos Roma recepit, Aut dedit ipsa Deos ». Florus, lib. III, 13, 18, « destinatam hominum ac Deorum domicilio civitatem » dicit. Ovid. Trist. I, 4, 70: « Imperii Roma Deumque locus ».

50. *Per tua templa sumus*, propter sublimia eorum fastigia, et augustum splendorem, qui facit, ut in cælo ipso nos versari credamus. Martial. X, 51: « Capitolini summum penetrale Tonantis, Quæque nitent cælo proxima templa suo »; et Claud. Stilich. III, 134: « quæ luce metalli Æmula vicinis fastigia conserit astris ». Tertullianus, Apol. cap. 25, « Capitolia cælo certantia » dicit.

52. *Hospes* vult Cuperus, Observ. lib. II, cap. 6; sed præcedens *sinent dum fata* rectum esse *sospes* confirmat, h. e. quoad vivit et sospes est.

53. *Obruerint citius*. Fuerit citius, ut impie obliviscar solis, quem quotidie cerno, neque cernere non possum, a quo omne genus humanum tot munera, atque egomet ipse, ut vivam et videam, habeo. — *Scelerata oblivia* sunt impia, importuna et absona. Sol in proverbio est pro re maxime necessaria et benefica: quale est hoc Ciceronis, Læl. c. 13: « Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt ». — *Celatum oblivia* conj. Heins.

55. *Æqualia mœnia* Barth. in Advers. lib. XXII, 17, et alio loco lib. XXXI, 8, *munia* vult. Grævius *munera fundis* cum Brouckhus. ad Tibull. II, 5, 59; « radios æquali munere pensas » conj. Burm. *brachia tendis* legit in ora libri vir doctus in Miscell. Observ. — *Solis radiis æqualia*: æque late extendis tua beneficia, ac sol suos radios.

56. *Qua circumfusus*: ita Ovid. Her. IX, 14: « Qua latam Nereus cærulus ambit humum ».

57. *Volvitur tibi*, cursu suo tibi servit, quasi uni orbi Romano illustrando factus, quem nunquam non radiis suis tangit, licet contineat omnia. — *Continet omnia*, cursu ambit et complectitur, ut Claud. Cons. Olyb. 1: « Sol qui flammiferis mundum complexus habenis, etc. »

Eque tuis ortos in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
Non armata suo reppulit Ursa gelu.
Quantum vitalis natura tetendit in axes,
Tantum virtuti pervia terra tuæ.
Fecisti patriam diversis gentibus unam;
Profuit injustis, te dominante, capi:
Dumque offers victis proprii consortia juris,

Priscianus, Perieg. 1: « Naturæ genitor, quæ mundum continet omnem ». — Et multa exempla ad hunc versum adfert Barthius. Ed.

58. *Ortus* B. O. S. P. *ortos* C. Sz. Alm. D.

59. *Libye* B. O. C. D. *Libyæ* S. P. Sz. Alm.

61. *Vitalis* B. O. S. P. C. Sz. *vitales* Ba. Burm. D. — *Quantum vitalis natura*, quantas per regiones terræ natura vitalis, vitam hominum animantiumque fovens, porrigitur *ad axes* geminos; h. e. quantum extenduntur zonæ temperatæ et habitabiles, a media fervente utrimque porrectæ ad axes gelidos. Aperte expressit hæc Claudiani de Roma, Stilich. III, 138: « Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit In geminos axes ». Hæc imitatio suadet ut *vitalis natura* hoc loco retineamus, quod habent primæ edd. et axes intelligamus de duobus extremis. — De altero extremo axe nempe septemtrionali, ad quem mare pigrum est, Tacitus, Germ. cap. 45: « Illuc usque, et fama vera, tantum natura », scil. tendit. Ed. — Est autem *vitalis natura*, qua vivunt et spirant animantia, ut *vitalis aer* Calpurnio dicitur VIII, 36, *temperies vitalis* Lucano, IX, v. 435; unde zonas temperatas Claudianus, Rapt. Pros. lib. I, 261, vocat « vitales utrimque duas ».

63. *Fixisti patriam* in ora libri inventum a viro docto in Misc. Obs. — *Fecisti patriam diversis gentibus unam*. Verba fere ipsa sunt Plinii, Hist. Natur. III, 5: « numine Deum electa, ... quæ breviter una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret ». Claudianus similiter, Stilich. III, 154: « Hujus pacificis debemus moribus omnes, etc. » Eadem Prudent. in Symm. II, 609.

64. *Injustis te dominante* omnes vetustæ. *Invictis* Cast. et manus viri docti ad oram ed. Siml. *invitis, te dominante*, emendavit Juretus, probat Græv., recepit Damm. *invitis, te dominante* notaverat Heins. in ora codicis, et probavit in tertiis curis ad Claudian. Cons. IV Hon. v. 117. *Invitis teque domante* idem ante conjecerat ad Claud. l. c. *invitis, te moderante*, suadet Burm. et notavit vir doctus in ora codicis, in Observat. Misc. *infestis* conjecerat Schraderus. — — *Profuit injustis*. Unice veram hanc lectionem veterum edd. probo, quamvis ab omnibus fere interpretibus exagitetur. Caussam enim, cur gentes a Romanis victas, et quo sensu, vocet *injustas*, statim aperit Poeta versu sequente, quod eis Roma consortia proprii juris

Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum matrem, Romulidumque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires;
Convenit in mores numen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique, voluptas:
Quos timuit, superat; quos superavit, amat.
Inventrix oleæ colitur, vinique repertor,

obtulerit. Pleræque enim gentes ante vivebant sine jure, sine sanis legibus et moribus, erant exleges, adeoque injustæ, certe sensu Romanorum, qui jura sua et leges optimas ducebant. Confirmat eamdem imitatio Claudiani, ut in cæteris hujus loci sententiis, ita etiam hic obvia et aperta, lib. III Laud. Stil. 136: « Armorum legumque parens: quæ fundit in omnes Imperium, primique dedit cunabula juris ». Qui primi cunabula juris acceperunt a Romanis, erant ante injusti.

66. *Orbis fecisti, quod prius urbis erat* legendum censet Vonckius in Spec. crit. in var. auct. pag. 18. — *Urbem fecisti*, unam civitatem, orbis gentibus civitatis jure donatis. Hoc etiam pluribus exsequitur Claud. l. c. et Prudent. l. c. *Urbem* autem et *orbem* scite jungit, quasi parum dissimili voce, uno eodemque imperio, ut Ovidius, Fast. II, 683: « Gentibus est aliis tellus data limite certo, Romanæ spatium est urbis et orbis idem ». Ex verbis Rutilii P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. II, epigr. 91, corrigere hunc versum de Britannia devicta conatur: « Conjunctum est, quod adhuc orbis et urbis erat ». Sed rectum est, quod vulgatur, *quod adhuc orbis et orbis erat*, h. e. quod adhuc orbis alius et alius erat. Nam Britanniam, quod Oceano disjuncta reliquo ab orbe erat, alium orbem existimabant. Confirmat inter alios Claudianus, Stil. III, 148 seq. de Roma: « Nec stetit Oceano: remisque ingressa profundum Vincendos alio quæsivit in orbe Britannos ».

67. *Martem Veneremque* Damm.

68. *Romulidumque* omnes veteres. *Romuliumque* quædam per errorem.

69. *Victrix clementia*. Huc referendus locus Propertii, III, 2, 21, de Romanis: « Nam quantum ferro, tantum pietate potentes Stamus: victrices temperat ira manus ». Ed.

70. *Nomen* omnes vett. Barthius primum correxit *numen*. — *Numen utrumque*, et pacis et belli numina moribus tuis conveniunt, Venus clementiæ, Mars victoriæ bellicæ titulum gerens.

71. Tollendam distinctionem post *voluptas* putat Burm. postea conj. *voluntas*. — *Parcendique voluptas*. Adlusisse ad Virgilianum illud videtur, Æn. VI, 854: « Tu regere imperio populos, Romane, memento, Parcere subjectis et debellare superbos ».

73. *Inventrix oleæ*, Pallas. Recenset Deos aliquot, qui rerum utilissimarum inventione divinitatem meruerunt, ut eamdem deinceps Romæ adserat, quæ pacem et leges generi humano tribuit.

Et qui primus humo pressit aratra puer:
Aras Pæoniam meruit Medicina per artem:
Factus et Alcides nobilitate Deus:
Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,
Fœdere communi vivere cuncta facis.

74. *Et qui primus humo.* Triptolemus, Celei regis Eleusinii filius, de quo Ceres apud Ovidium, Fast. IV, 559: « Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit, Et seret, et culta præmia tollet humo ».

75. Crus. pag. 56, sic mutat hos versus: *Ædes Pæoniam meruit Medicina per urtem, Prodit et Alcidem nobilis ara Deum.* — *Aras meruit Medicina*, nempe in Æsculapio. — *Pæonia ars* a Pæone, medico Homerico. Ausonius, præfat. ad Syagr. v. 13: « genitor studuit medicinæ, Disciplinarum quæ dedit una Deum ».

76. *Fretus et Alcides* B. O. S. P. Sz. *Fretus it* vult Barthius in Adv. *Cretus* conj. Cannegieterus ad Avian. XXIV, 2. *Factus et* Cast. Alm. Burm. Damm. *nobilitate* omnes vett. Sz. Alm. idque defendunt Oudendorp. ad Luc. IV, 521, et Canneg. ad Avian. 24, et Bayerus ad Spurinnæ Od. I, 4. — Vid. illius notæ quas adduximus huj. op. t. II, p. 411. Ed. — *Mobilitate* vult Cast. et Barth. *ferocitate* mavult Alm. quod contra metrum est. Auctor recensionis in Biblioth. univers. tomo V, p. 248, et Jo. Clericus, A. C. vol. II, p. 75, conjicit *Factus et Alcides nobilis arte Deus*, et τὸ *arte* probat loco Horatii, III, Carm. 3, 9: « Hac arte Pollux et vagus Hercules Innixus arces attigit igneas »; et *nobilis Deus* defendit eo, quod Pedo Albinovanus, eleg. ad Liv. vs. 409, « nobile numen » dixit. — Schraderus conjiciebat *Fecere Alciden nobilia acta Deum.* Ed. — *Nobilitate Deus*, h. e. virtute, magnanimitate, et, quæ ex rebus fortiter gestis adquiritur, gloria, ob quam proprie apud Romanos dicebantur nobiles. Hinc et *nobilis ira leonum*, *nobilis animus*, *nobilis ardor* passim apud scriptores, et *nobilis gloria* apud Nostrum, infra v. 90. Quod nonnullis interpretibus placuit, *mobilitate*, levitatem, temeritatem, ferociam potius significat, quæ Hercule plane indigna sunt. — Vir clariss. Laur. Santenius, qui varias mecum conjecturas et adnotationes ad Rutilium communicavit, quarum ipse plures deinceps memorabo, hoc loco ad declarandam *nobilitatis*, quam ipse dedi, notionem suppeditavit locum Taciti, Annal. I, 29, ubi *nobilitas ingenita* Drusi laudatur, quam Ernestus explicat ferociam quamdam et pervicaciam, quæ non cedat periculo, non timeat libere dicere, quæ sentiat. Similiter Tacitus paullo post « promptum ad asperiora ingenium » Druso tribuit. Wernsd. in Addendis. Ed.

77. *Legiferis triumphis*, victoriis, quæ victis simul bonarum legum usum impertierunt, *complexa*, sc. unum in imperium recipiens. —

78. *Vivere cuncta*, omnes populos *communi fœdere* junctos, tamquam socios et cives unius regni *facis*. Totum hoc ad exemplar Claud. expressum, Stilich. III, 150: « Hæc est,

Te, Dea, te celebrat Romanus ubique recessus,
Pacificoque gerit libera colla jugo.
Omnia perpetuos quæ servant sidera motus
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid simile? Assyriis connectere contigit arva,
Medi finitimos quum domuere suos:
Magni Parthorum reges, Macetumque tyranni,
Mutua per varias jura dedere vices.

in gremium victos quæ sola recepit, Humanumque genus communi nomine fovit ».

79. *Receptus*, h. e. adscitus in jus civitatis, tentat Burmannus. — *Romanus ubique recessus*, hoc est, te remotissimus quisque locus et angulus terræ celebrat, qui *ubique*, ubicumque sit, *Romanus* est, Romanum nomen et imperium agnoscit. *Recessus* vocabulum iterum petiit e l. c. Claudiani: « quod cernere Thulen Lusus, et horrendos quondam penetrare recessus ». Ita fere Ovidius, Fast. I, 86: « Juppiter, arce sua totum quum spectet in orbem, Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet ».

80. *Pacificoque jugo*, et quia imperium pacificum est, pacem ubique inducens, omnis ei subjectus quamvis el pareos libertatem tamen retinet.

82. *Nullum pulchrius imperium*. Videtur respexisse verba Horatii in Carmine Sæculari, v. 11: « Alme Sol,... possis nihil urbe Roma Visere majus! »

83. *Quid simile Assyriis,... arma, ...suos*. B. O. S. *Quid simile Assyriis?* P. et sic malebat Heinsius. *Quid simile? Assyriis* C. Sz. Alm. Bu. D. *arva* vult Burm. et versu seq. *tum*, et *tum* explicat *deinde*. Sed Vonckius, Lect. Lat. lib. I, cap. 2, p. 15, hunc in modum verba constituit: *Quid simile? Assyrii connectere contigit arva Medis, finitimos quum domuere suos*. Crus. pag. 57, ita legit: *Quid simile Assyriis comprendere contigit armis?* vel *contendere*. — *Contigit arva* (sic enim legendum sententia poscit), id est, regna sua connectere Assyriis arvis, et sic continuum regnum efficere, *quum Medi*, etc. *Arva* pro regnis centies poetæ, Virgil. Æn. VI, 793: « regnata per arva Saturno »; Ovid. Met. XIV, 459: « dotaliaque arva tenebat ». Et in hac regnorum orbis majorum comparatione cum Romano Claudianum imitari pergit Noster l. c.

85. *Magni Parthorum*, sive Persarum, *reges*, qui *Magni* cognomen sibi vindicarunt. — *Masedumque* B. O. S. C. Sz. *Macetumque* P. Alm. Bu. D. *Macetes* pro Macedonibus, obvii scriptoribus Græcis et Latinis. — Vid. Grat. Cyneg. v. 117, et notata, huj. op. t. I, p. 45. Ed. — *Tyranni* accipiendi pro regibus.

86. *Mutua jura dederunt*, id est, imperitarunt mutuo et in vicem, quia primum Persæ regnarunt in Asia, mox Macedones victis Persis, rursus Parthi obtinuerunt repressis Macedonibus. Romanum autem im-

Nec tibi nascenti plures animæque manusque,
  Sed plus consilii judiciique fuit:
Justis bellorum caussis, nec pace superba,
  Nobilis ad summas gloria venit opes.
Quod regnas, minus est, quam quod regnare mereris:
  Excedis factis grandia fata tuis.
Percensere labor densis decora alta tropæis,
  Ut si quis stellas pernumerare velit:

perium fuit ab initio perpetuum, et semper crescens.

87. *Nec tibi nascenti*, quum primum exoriretur imperium tuum, *plures animæque manusque*, major virorum et virium copia, majores exercitus, quam Parthis et Macedonibus, fuerunt. — *Animæ*, sicut et corpora, sæpe pro hominibus et animalibus adeo ponuntur. Gratius, Cyn. 440: « tot miserere animas ». Valer. Flacc. VIII, 389: « Respiceret plures animas majoraque fata Tot comitum ». —Hilasius in Genesi, v. 109: « Quadrupedes animas » dixit. Ed.

88. *Justitiæque* mavult Crus. p. 57.

91. Crusius, pag. 57, sic mutat: « Quodque regis, minus est, quam quod rexisse mereris; Excedisque actis grandia fata tuis ».

92. *Excedis factis*, superas, vincis: quomodo et *egredi* posuit Vell. Pat. II, 40. — *Grandia facta* habet antiqua B. S. Ch. C. Sz. sed *fata* O. P. Alm. Bu. D. sic et Freinshemius ad Curt. IV, 1, 18, rescripsit; idque sine dubio rectius est. — *Grandia fata*, quæ maximas res, summam fortunam, et majestatem imperii destinarunt; hoc est, plus præstas factis et rebus gestis, quam tibi fata Deorum, auguria, et Sibyllæ vaticinia promiserunt. Hinc Claudianus, l. c. de Roma: « Hæc auguriis firmata Sibyllæ, Hæc sacris animata Numæ ». Dici solent aliis *ingentia* vel *magna fata*, quæ magnas rerum conversiones portendunt. Lucanus, X, 384: « Ad scelus ingentis fati sumus ». Val. Flac. I, 553: « Quot proceres natosque Deum, quæ robora cernes Oppetere, et magnis Asiam concedere fatis ».

93. *Percensere labor*, difficile est enumerare, *decora alta*, excelsa et magnifica gloriæ monumenta, in *densis*, numerose et confertim stantibus, *tropæis*, spoliis, statuis, quadrigis et Victoriarum signis volantibus, quæ fastigiis templorum, aut arcuum triumphalium fuerunt impositæ. Quæ singula fere tangit Claud. VI Cons. Hon. 44 seqq.

94. *Stellas pernumerare*, pro re innumerabili, sacris pariter literis ac profanis poetis celebratum proverbium; vid. Barth. Adv. XXV, 15, et Jo. Schraderus, Emendationum libro, cap. 1, p. 7. Locis ab hoc citatis addo hunc Avieni Perieg. 813: « Si velit has ullus, velit idem scire, quot alto Curventur fluctus pelago, quot sidera cælo Elucent flammis, quot robora proferat Ida, etc. », ubi pro *Elucent flammis*, quod est vitiosum, bene conjecit Schraderus *Educant flammas*. Ed.

Confunduntque vagos delubra micantia visus:
Ipsos crediderim sic habitare Deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes,
Tale giganteum Græcia laudat opus.

95. *Confunduntque vagos delubra micantia visus*, crebro et denso splendore auri et marmoris visum obruunt et perturbant, ut distincte adspici nequeant. Claudianus dicto loco pergit: « acies stupet igne metalli, Et circumfuso trepidans obtunditur auro ».

96. Burmannus, si hiatum liceret admittere, malit *crediderim, hic habitare*; vel potius *Ipsos credideris hic habitare Deos.*

97. *Aerio pendentes fornice rivos*, aquæductus describit super montes et valles, et ipsa camerata urbis ædificia, excelsis rivis euntes. Pariter Statius, Silv. I, 5, 27: « Præcelsis quarum vaga molibus unda Crescit, et innumero pendens transmittitur arcu »; et Manil. lib. IV, 265: « Et peregrinantes domibus suspendere rivos ». Vid. Lipsius, de Magn. Rom. lib. III, cap. 11.

98. *Par vix*, vel *Quo vix* conj. Burm. — *Tolleret Iris aquas*, h. e. fornice tam alto, ut pæne super nubes inferiores, quibus Iris aquas colligit, erectus videatur. Sane excellens idea poetæ, quamvis hyperbolica, arcu Iridis bene respondente fornici arcuato aquæ. Jul. Frontinus, de Aquæd. lib. I, pag. 227, edit. Keuch. adfirmat, arcus et fornices *in quibusdam locis sublevatos esse centum novem pedes*. Iris pluviæ nuntia tollere, trahere, bibere et concipere aquas dicitur. Vid. Virg. Georg. I, 380; Ovid. Met. I, 270; Tibull. I, 4, 44.

99. *Dicam* et *ad sidera* legit Keuchen. ad Front. de Aquæd. p. 371. *Tot scopulis dicas crevisse in sidera moles* Crus. pag. 57. — *Hos potius dicas*. Si Romanos aquæductus species, et de Gigantum fabula audiveris, *dicas*, *hos potius* Romanos *montes*, i. e. insana arcuum opera, montium instar, exstructa et educta esse *in sidera*, adversus Deos, ut sidera vel Dii detruderentur, caperentur. Lucilius in Ætna, vs. 43, de Gigantibus: «Tentavere, nefas, olim detrudere mundo Sidera ». Similiter aquæductus comparat Frontinus l. c. « Tot aquarum tam multis necessariis molibus, Pyramidas videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata, Græcorum opera? » Immo Plinius, lib. XXXVI, cap. 15, profitetur: « Si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam, exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum ».

100. *Gigantæum* B. O. S. C. Sz. Bu. *giganteum* P, D. *Quale giganteum* conj. Barth. et dedit Damm. Vonckius l. c. pag. 16, vult *Tale giganteum Græcia laudet*, et Barthii *quale* remotius existimat. — Barthius hic perperam putat Græcorum operum famam elevari. Ed.

Intercepta tuis conduntur flumina muris;
  Consumunt totos celsa lavacra lacus.
Nec minus et propriis celebrantur roscida venis,
  Totaque nativo mœnia fonte sonant.
Frigidus æstivas hinc temperat halitus auras;
  Innocuamque levat purior unda sitim :
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
  Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.

101. *Intercepta*, a naturali cursu aversa et deducta in Urbem. — *Suis* Keuchen. l. c. — *Conduntur muris* intra Urbem fluunt : infra, v. 411, « interceptos muros » dicit dirutos. De ductis intra Urbem aquis in ædes privatorum vid. Wesseling. Var. Lect. lib. II, cap. 25. — Ad hunc versum Santenius apponit locum Senecæ, epist. LXXIV, p. 285, edit. Gron. « Quid refert, an aqua decurrens intercipiatur atque abeat, si fons, ex quo fluxerat, salvus est ». Ed.

102. *Celsa lavacra*, thermæ seu balnea, quæ etiam in superiore privatarum ædium parte excelsis fornicibus sunt exstructa, *consumunt*, exhauriunt, *totos lacus*, aquis omnibus per fistulas latentes ex lacubus in balneas privatas ductis. Hoc indicat Cassiodorus, Var. Lect. VII, 6 : « Sed quanto pulchrius est, Claudiam Romanam per tot montium siccas summitates lavacria ac domibus liquores purissimos fistularum uberibus emisisse, et ita æqualiter fluere, ut non possit se desiderata subducere ».

103. *Celebrantur*, crebro et passim irrigantur, et inde *roscida* fiunt *mœnia* Urbis *propriis venis*, non aliunde inductis, in ipso solo Urbis orientibus. Virgil. Æn. VII, 683: « et roscida rivis Hernica saxa colunt ». Claudian. de Raptu Proserp. II, 104 : « vivo de pumice fontes Roscida mobilibus lambebant gramina rivis ».

105. *Temperat halitus auras*, i. e. frigus, quod exhalant aquæ. « Spiritum amnis » dicit Calpurn. IV, 4 : « juvat humida forsan Ripa, levatque diem vicini spiritus amnis ».

106. *Innocuamque levat*, naturalem sitim, quæ innoxia est, neque, dum exstinguitur, nocet. — Sic *luxuriam* contra *nocituram* Claud. in Rufin. I, 206; èt pulchre Seneca, ep. XXIV, « Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur, etc. » Ed.

107. *Nempe tibi subitus.* Nempe adeo et calidæ aquæ, subito e terra prorumpentes, tibi aliquando auxilio fuerunt. Facti hujus integram seriem narrat Ovid. Fast. I, 265 seqq. et Macrob. Saturn. I, cap. 9 : e quo hæc tantum, illustrandi auctoris caussa, repetimus : « Bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commissum est, quum Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Jani per hanc partem magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida voragine, deperiisse, etc. «

Si foret æternus, casum fortasse putarem :
  Auxilio fluxit, qui rediturus erat.
Quid loquar inclusas inter laquearia silvas?
  Vernula qua vario carmine ludit avis?
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus;
  Deliciasque tuas victa tuetur hiems.

109. *Si foret æternus*, si perennis esset gurges iste, et ad hoc tempus flueret. *Æternos* Latini dicunt fontes aquæ vivæ, perenniter fluentis, et opponunt torrentibus et confluviis. Ovid. Am. III, 6 : « Sic æternus eas » ; et luculentius Statius, Theb. IV, 830, « tuque, o cunctis insuete domari Solibus, æternæ largitor corniger undæ, Lætus eas, quacumque domo gelida ora resolvis Immortale tumens ».

110. *Qui rediturus erat*, recessurus in terræ penetralia, et dispariturus post auxilium præstitum. Alio sensu *redire flumina* dicit Lucilius, Ætn. 131, quæ ante terra condita denuo emergunt : « Quod si præcipiti conduntur flumina terra, Condita si redeunt ». — *Periturus* malebat Heins. *cui rediturus* emendandum putat Canneg. ad Avian. p. 2.

111. *Inclusas inter laquearia*, inter tecta laqueata, porticus atque exedras, quæ nemora et viridaria inclusa ambiebant : de quibus Tibull. III, 3, 15 : « Et nemora in domibus sacros imitantia lucos ». Horat. Epist. I, 10, 22 : « Nempe inter varias nutritur silva columnas » ; et Seneca, lib. V Controv. 5 : « Intra ædificia vestra undas et nemora comprehenditis ». Perperam hæc intelliguntur de nemoribus, vel pomariis in ipsis tectis ædificiorum positis, de quibus Seneca, Epist. CXXII, p. 609. Conf. Lipsius, de Magnit. Rom. III, 14 ; Kobierzyckius, de Luxu Rom. II, 8.

112. *Vernula* eleganter, quasi in domo ea nata, et silvæ illi domesticæ adsueta : *vernulæ* enim, qui eodem in loco, eadem in curia nati sunt : et Festus ait : « Romani vernas appellabant, id est ibidem natos ». Sic Cuperus, Observ. II, 2, p. 158. — *Ludit*, canit quasi per otium, *vario carmine*, multis modis variato, et pluribus avibus concinentibus. — *Garrula* legebat Scriverius. *Vernula quæ ludat* B. S. Ch. Sz. D. *qua ludit* O. Burm. et anon. in Miscell. Obs. vol. III, t. III, p. 364. *Qua ludat* C. *queis ludit* P. *quæ ludit* Alm. *quam ludat* conj. Græv. *qua Ismario carmine ludat* conj. Barth. in Adv. *quam vario carmine laudet avis* vult Crus. p. 58.

113. *Vere tuo*, quod quasi in potestate tua habes, atque arte curaque efficis, dum arbores sic ponis et colis, ut per totum annum vireant, nec iis nocere acris hiems possit. — *Mulceri*, foveri et temperari, ut Ovid. Metam. I, 108 : « Mulcebant Zephyri natos sine semine flores ». Talis est gloriatio pastoris apud Calpurn. II, 74 : « Semper olus metimus, nec bruma nec impedit æstas ». Vid. Excursus I ad calcem hujus carminis.

114. *Aucta* leg. Crus. p. 58 : *vincta* vel *stricta* conjiciebat Jo. Schraderus.

Erige crinales lauros, seniumque sacrati
 Verticis in virides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
 Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
Abscondat tristem deleta injuria casum :
 Contemptus solidet vulnera clausa dolor.
Adversis solemne tuis, sperare secunda :

115. *Erige crinales lauros*, laureatum caput, lauros semper crinibus hærentes, ut, qui animo confidunt et gaudent, etiam erecto capite incedunt. Hortatur nempe, Romam Deam adloquens, ut memoria cladis, paullo ante a Gothis acceptæ, deposita, animum et confidentiam resumat, idque habitu gestuque alacri testetur. Eum autem habitum, ea ornamenta et arma nominat, quibus Roma veteribus in monumentis et carminibus pingi solebat. Plane geminus est locus Claudiani, Bell. Gild. 208 seq. qui totus conferendus cum Nostro. Etiam *senium verticis* in Roma notat Prudent. in Symm. II, 81, Romam vocans : « Crinibus albentem niveis et fronte vietam ».

116. *In virides refinge comas*, hoc est, canos tuos sacros ita finge atque dispone, ut fiat ornatus, qualis est comarum juvenilium. *Virides* non a colore, sed a vigore dicuntur, qui est viridis juventæ. — Sic *uvas virides* Apicius vocat incorruptas lib. I, cap. 1. Ed. — Prudentius in Symm. II, 655, Romam inducens loquentem : « senium omne renascens Deposui, vidique meam flavescere rursus Cæsariem ». Proprie de comis dici *fingere*, multis locis probavit Heinsius ad Ovid. Am. I, 14, 2.—*Recinge* habent antiquæ, *refinge* correxit Heins. quod dedit Damm. probante Burmanno.

117. *Turrigero diademata cono :* coronam turritam in conum elevatam, qualis est Cybeles, tribuit Romæ; igitur non galeam, ut alii; et *diadema* improprie pro quovis cinctu ponitur.

118. *Ignes aureus umbo vomat.* Sumpsit a Virgilio, qui Æn. X, 271 : « et vastos umbo vomit aureus ignes ». Singularem fulgorem clypeo Romæ tribuit Claud. Cons. Prob. 94 : « Et formidato clypeus Titana lacessit Lumine ».

119. *Deleta injuria*, oblivio acceptæ injuriæ *abscondat*, externo habitu, et vultu lætiore adsumpto faciat, ut nemo agnoscat, te *tristem casum* illum captæ et direptæ urbis expertam esse.

120. *Contentus* legi volebat Cast. quod rejicit Burm.

121. *Adversis solemne tuis ;* h. e. tibi in rebus tuis adversis solemne est : tibi semper usu venit, ut rebus adversis animo non fracto secunda sperares, immo et adsequereris. Hunc animum fortem, atque hoc fatum Romæ, pulcherrimis versibus laudavit Horat. Carm. IV, 4, 53-68, et Claud. Stil. III, 140-149, quos utrosque Noster in animo habuisse videtur. — *Adversus solem ne vis* B. O. S. Ch. vitiose. Simlerus in scholiis recte emendavit *Adversis solemne tuis*, idque recepit P. Sz. Alm. Bu.

Exemplo cæli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus;
Lunam finiri cernis ut incipiat.
Victoris Brenni non distulit Allia pœnam :
Samnis servitio fœdera sæva luit :
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
Flevit successus Annibal ipse suos.
Quæ mergi nequeunt, nisu majore resurgunt,
Exsiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata resumit,

D. sed Castalio legit *Adversis solemne viris:* et Burmannus malit *Adversis solemne tibi*, vel *Adversis solemne vices sperare secundas.* Ego vero in prima emendatione Simleri, quod reprehendam, non habeo.

122. *Ditia damna*, quibus opes adquiruntur. Sic Hor. IV, 4, 59, ait, *per damna ducit opes animumque*, et Ovid. Her. IX, 96, de hydra : « damnis dives ab ipsa suis ».

125. *Breni*, et *Pœnum* pro *pœnam* habent vett. edd. vitiose : correxit Castal. et seqq. *modo distulit* maluit Burm. vel *non sustulit.*—*Allia* fluvius, ad quem exercitus Romanus cæsus a Brenno est; h. e. clades Romanorum ad Alliam accepta, *non distulit*, non longam injecit moram, non diu impedivit, quo minus *pœnam victor Brennus* lueret : nam non ita multo post victus a Camillo, Italiaque expulsus, et in Græcia prorsus absumptus est. Conf. Claud. Bell. Get. 290 seq. et Aur. Victor in Furio Camillo.

126. *Fœdera sæva* cum Samnitibus facta sunt, quum exercitus Rom. apud Furcas Caudinas in locum iniquum deductus, ut spes evadendi nulla esset, per fœdam pactionem omnis sub jugum missus est. Sed Samnites paullo post a Papirio Cursore fusi, ita addicti servitio, ut tamquam gladiatores arenæ servire cogerentur. Legendus Livius lib. IX.—*Fœdera fœda* conj. Schrad.

127. *Pyrrhus* Epirotarum rex, et *Annibal*, quum victoriis multis ac cladibus Romanorum, tum vero et fuga tristi miseroque exitu noti.

129. *Nixu majore* B. O. S. P. C. *resultant* ex loco quodam Senecæ substituere vult Burm. — Imitatio Horatii, IV, 4, 65, « Merses profundo, pulchrior evenit ». Ed.

130. *Exsiliunt imis vadis*, ab imo fundo.—*Altius alta* habent vetustæ, sed *acta* reposuit Pith. Cast. Sz. et seqq.—*Altius acta*, i. e. profundius et in inferiora loca depulsa et pressa, quemadmodum Ovidius ait Metam. X, 528, « altius actum Vulnus erat ».—*Vadum* esse quemlibet fundum, notavimus ad Lucil. Ætn. v. 207.

131. *Fax inclinata*, deorsum in terram versa, ut affluente materia, qua illita est, novas vires resumat, novum ignis alimentum accipiat, et ardeat luculentius. Simile est hoc Ovidii, Am. I, 2, 11 : « Vidi ego jactatas mota face crescere flammas, Et vidi nullo concutiente mo-

Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige victuras Romana in sæcula leges;
Solaque fatales non vereare colus.
Quamvis sedecies denis et mille peractis
Annus præterea jam tibi nonus eat.
Quæ restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cætera regna resolvit:
Ordo renascendi est, crescere posse malis.

ri ». Et hoc Corn. Galli, v. 43 : « Nec minus, ut vires paullatim colligit ignis, Purior accenso fomite flamma micat ». — Sed hæc comparatio nova quidem et elegans. Ed.

133. *Porrige*, extende atque propaga, *leges*, quas populis subjectis imposuisti (imperium tuum) *victuras* duraturas, *Romana in sæcula*, in ævum æternum, quod Romano imperio fatis debetur: h. e. Vive perpetuo, et impera sine fine. Ut æternitatem imperio suo spondebant Romani, ipsamque Urbem vocabant æternam; ita *Romana sæcula* sunt æterna. *Romana dies* vocatur Pap. Statio, Silv. I, 1, 94; *lux Romana* Mart. IX, 2, 9. Dammius *leges* accipit de legibus a fato dictis, quibus æternitas datur Romæ. Sed huic sensui minus accommodum est, quod dicuntur *victuræ* et *porrigi*: atque ut de imperio Rom. interpretemur, suadet aliqua imitatio Hor. Carm. IV, 15, 15: « et imperi Porrecta majestas ad ortum Solis ab Hesperio cubili », tum quod toties leges Romanæ pro imperio ponuntur. Claud. III Cons. Hon. 202: « jam Bactra teneri Legibus »; et de VI Cons. Hon. 151: « imperiumne Jovi legesque placerent, Et vitæ Romana quies ». — Burmannus aliquando cogitavit *Romanas ventura in sæcula*. Schraderus *Romanas victura in sæcula*.

134. *Colos* vett. edd., *colus* C. Alm. Bu. D. — *Fatales non vereare colus*, Parcarum, quæ aliis quidem fila vitæ aliquando abrumpenda ducunt, tibi perpetua et æterna. « Parcarum colos severas » nominat Claud. Idyll. VI de Apon. vs. 87. Idem adposite ad nostrum locum Bell. Get. 54: « Urbs æquæva polo, tum demum ferrea sumet Jus in te Lachesis, quum sic mutaverit axem Fœderibus natura novis, etc. »

135. *Quamvis sedecies denis et mille peractis*, etc. Etsi ab Urbe condita jam præterierint an. 1169, quippe quo incidit annus Christi 416.

136. *Nonus erat* O. et P. vitiose.

137. *Quin restant* volebat Heins. *seclis* Burm. in notis. — *Nullis obnoxia tempora metis*: respicere videtur ad verba Jovis apud Virgil. Æn. I, 278: « His ego nec metas rerum, nec tempora pono, Imperium sine fine dedi ».

140. Heinsius malebat *Cardo*. — *Ordo renascendi est.* Ordo et modus, quo semper renasci possis, tibi singularis a fatis datus est, ut possis per mala reparari et crescere.

Ergo, age, sacrilegæ tandem cadat hostia gentis:
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ:
Impleat augustos barbara præda sinus.
Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet:
Altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.
Interea Latiis consurgant horrea sulcis,

In eamdem sententiam Sidonius Apoll. Paneg. Aviti, v. 6: « Adversis sic Roma micat, cui fixus ab ortu Ordo fuit crevisse malis ».

141. *Ergo, age, sacrilegæ*. Ergo vincatur tandem cædaturque a te gens impia Gothorum, sanguine suo tamquam hostia expiatura scelus et sacrilegium, quod in diripienda Urbe sancta, spoliandisque Deorum templis commisit. Adparet, cur sacrilegos vocet Gothos. Quod *hostiam* nominat, non propterea mactandos ad aras Deorum vovet Rutilius, ut explicat Barthius, sed, metaphora usitata, hostia vel victima est, cujus casu pœna luitur admissi sceleris. Sic Claud. Bell. Gild. 414, de Gildone: « Agnoscatque suum, trahitur dum victima, fratrem ». Ovid. Amor. III, 3, 22: «Victima deceptus decipientis ero». Lucan. IX, 132: « cecidit donati victima regni ».

144. *Impleat augustos sinus*. Romæ sinus intelligo cum Dammio, quamquam et sinus Augustorum possunt, quos sacros sinus adpellat Claud. IV Cons. Honor. 127. Sinu vel gremio colligi, geri, fundi opes et dona dicuntur. Corn. Galli Eleg. v. 10: « Portat et occulto grandia dona sinu »..

145. *Rhenus aret*. Galliæ fecunditatem celebrat; et annonæ Transrhenanæ meminit Vopisc. in Probo.

146. Schraderus hic cogitabat *Rectricem, tutricem, auctricem*. — *Altricemque suam*. Altrix Roma dicitur, non solum ob rationem satis manifestam, quod reliquum orbem cura, providentia, legibus et justo imperio tuetur et alit, sed etiam, quia pingi antiquitus solebat exserto pectore plenum uber gestans. Quo respiciunt sæpe scriptores, ut Claud. Cons. Prob. 87: « Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos, Audacem retegit mammam ». Corippus, Laud. Just. I, 289: « Exserto et nudam gestantem pectore mammam, Altricem imperii, libertatisque parentem ». Cassiodor. lib. II, epist. 1: « Ut alumnos proprios ad ubera sua Roma recolligat ».

147. *Conserat* conj. Rutgers. in Var. Lect.

148. *Imbre suo* notaverat Heins. in ora codicis. — *Sed magis imbre tuo*. Videatur Excursus secundus ad calcem hujus carminis.

149. *Turgescant horrea* malebat Burmann. Pro *horrea* vir doctus in Observ. Misc. III, 3, p. 369, substituit *hordea*, aut hoc, *consurgat adorea sulcis*. — *Latiis consurgant*,

Pinguiaque Hesperio nectare præla fluant.
Ipse, triumphali redimitus arundine, Tibris
Romuleis famulas usibus aptet aquas;
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.

PANDE, precor, gemino placatum Castore pontum,

exstruantur, vel acervis frumenti accumulentur *horrea*, *Latiis sulcis*, i. e. frugibus, quæ ex sulcis, agris Romanis, proveniunt, colligendis et servandis apta, destinata. *Sulcis* igitur tertio casu accipio. Hoc si fiat, non suspecta esse vox *consurgant*, ut Burmanno fuit, potest. Sic enim et Lucilius in Ætna, vs. 265, usurpavit: « Plenaque desecto surgant fenilia campo ». Sulcos et horrea forte conjunxit ex imitatione Virgilii, Georg. II, 518: « Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat ».—Pub. Victor in Indice Reg. Rom. dicit Romæ tantum horrea trecenta sex pop. Rom. esse.

150. *Hesperio nectare*, vino Italico. Dammius oleum simul intelligit, inductus fortasse adjecto *pinguia*; sed pinguia etiam vina dicuntur Tibullo, I, 1, 5: « Nec spes destituat, sed frugum semper acervos Præbeat, et pleno pinguia musta lacu ».

151. *Ipse triumphali.* Vult Tibrim arundine præcingi, ut triumphantes lauro solent, quemadmodum *crinales lauros* supra tribuit Romæ, ut se principem fluviorum, socium reginæ Urbis et victoris populi, neque ulla incursionis Gothorum memoria depressum ostendat.

152. *Romuleis ossibus* B. O. S. sed Siml. emendat *usibus*, quem sequitur P. Ba. D. *classibus* Cast. et Juret. ad Symm. Epist. II, 6. Sz. Alm. Burm. qui tamen in notis *usibus* magis laudat. *Romuleas famulis classibus* legebat Schrad. *jussibus* aliquando conj. Barthius in Adv. *ausibus* tentavit Scriverius. — *Romuleis usibus aptet.* Hæc lectio sane optima, scripturæ primæ et contexto convenientissima est, quoniam mox mentio omnis generis mercimoniorum amne subvectorum fit: confirmatur præterea loco plane gemino Claudiani, Laud. Ser. vs. 59: « Namque aliæ gentes varios aptantur in usus Imperii: Phariæ segetes et Punica messis Castrorum devota cibo, etc. » tum hoc Plinii, Panegyr. 29: « Nonne cernere datur, ut sine ullius injuria omnis usibus nostris annus exuberet? »

154. *Devehat hinc ruris.* Juvenal. VII, 121: « Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ »; ubi male interpretes transmarina cogitant. Lib. V, 54. Santenius. En.

155. *Pontum* scribunt antiquiores B. O. S. P. mox Ba. Alm. Burm. D. tenent: *gemino pacatum* volebat Schrad. *portum* induxit Sz. Mariang. Accurs. diatr. in Auson. de Claris Urb. VIII. Burmannus in notis dubitat primum, *portum* an *pontum* præstet, et, si illud, corrigi debere censet *Pande, precor, geminum placato Castore portum*; tandem *pontum* retinet; et quia, si *gemino placatum*

Temperet æquoream dux Cytherea viam;
Si non displicui, regerem quum jura Quirini,
Si colui sanctos consuluique Patres.
Nam, quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit Præfecti gloria, sed populi.
Sive datur patriis vitam componere terris,
Sive oculis unquam restituere meis:

Castore pontum legamus, obscurum manet, unde ablativi illi *gemino Castore* pendeant; magis sibi adridere ait, si potius legatur *Pande, p. gemino placato Castore, pontum.* — Collectio Poet. Lat. Pisaurensis edidit *Rade, precor.* Ed. — *Pande, precor, ... pontum.* Da mihi, o Roma, per Tiberim tuum prosperum cursum in æquor, quod hoc tempore fere clausum, et navigationi minus aptum est; idque mihi *gemino Castore*, numine Castoris et Pollucis, qui Dii maris sunt, et maxime ad ostia tua coluntur, *placatum* et tranquillum sit. Qui *geminum placato Castore portum* legunt, respici putant ad duo Tibris ostia, quorum ipse meminit Noster versu 180. Sed *pontum* rectius est, quia Castores Dii maris, et *portum pandere* de advenientibus valet, non, ut hic, de exeuntibus. *Placatus pontus* ex hoc Virgilii Æneid. I, 142, « tumida æquora placat ». A Castoribus et a Venere prosperam navigationem exspectat ob hanc caussam, quod Castores in ipso portu Ostiæ ædem habebant, et Veneri insula, quæ inter duo Tibris ostia est, peculiariter sacra erat, ut demonstravimus in Procem. ad Pervig. Ven. — Huj. edit. nostræ t. II, pag. 486. Ed. — Eadem ratio videtur esse, cur Horat. Carm. I, 3, 1, Virgilio navigaturo Venerem et Castores propitios precetur: « Sic te Diva potens Cypri, Sic fratres Helenæ, etc. » Ed.

156. *Dum Cytherea* Burmannus olim cogitabat. *Cytheræa* nonnullæ antiquæ.

157. *Regerem quum jura Quirini.* Præfecturam Urbis a se gestam significat. Cur autem *jura Quirini* vocet, a Præfecto regenda, latius explicavi in Procem.—*Jure Quirites* conj. Crus. et Schrad.

160. *Non id* malebat Heins. *non ea* mollius putat Burm.

161. *Vitam componere terris*, h. e. consummare et finire in patria, quemadmodum Virg. Æn. I, 374, « diem clauso componere vesper Olympo » dicitur, et ejusdem lib. 249, « placida compostus pace quiescit », i. e. rebus compositis quieti datus, finitus, mortuus. Burmannus quidem dubitat, an *vitam componere* ad mortem, cujus ominosa est mentio, referendum sit; at finiendi notionem inesse verbo *componere*, docent phrases *componere res, consilia, lites, bellum*, atque igitur *vitam componere* nihil aliud notat, quam mori. Burmannus ipse ad Virg. Æn. I, 374, adfirmavit, *componere* simpliciter esse *finire.*

162. *Sive oculis unquam.* Sic omnes, quotquot adsunt mihi, edd. et hoc non rectum modo, sed et necessarium est, caussa oppositi. Kappius tamen *nunquam* posuit, quod nescio

Fortunatus agam votoque beatior omni,
Semper digneris si meminisse mei.

His dictis iter arripimus : comitantur amici.
Non possum sicca dicere luce, Vale!
Jamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris;
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.
Hujus facundæ commissa Palatia linguæ:

unde habeat, aut quo jure tueatur.

166. *Sicca dicere luce*, h. e. oculis non lacrymantibus ut Horatius Carm. I, 3, « siccis oculis », et Stat. Theb. I, « lumine sicco » dixit. Duram hanc esse dictionem Rutilii, Grævius et Burmannus merito existimant, neque tamen ipsa lectio in suspicionem vocari, aut, quam Heinsius substituit, *sicca voce* pro mitiore haberi potest.

168. *Rufius, Albini gloria viva patris.* Is Albinus videtur esse Ceionius Rufius Albinus, Præfectus Urbi sub Valentiniano II, qui exstat in monumento apud Gruter. p. 285, n. 8. Albini parentes fortasse fuerunt, qui in lapide Gruteri, p. 28, n. 5, memorantur, Ceionius Rufius Volusianus Ex Præf. Pr. et Ex Præf. Urb. et Cecina Lolliana, quæ quia filia vel soror erat Cecinæ Decii Albini, qui Præfectus Urbi vice sacra judicans dicitur apud Grut. p. 287, n. 2; hinc filius a patre Ceionii Rufii, a matre Albini nomen gessit: Rufius autem Albini filius, comes Rutilii, avitum nomen Volusiani retinuit. Conferri possunt, quæ de Volusianis in præfat. nostra attulimus. —Et quæ de Deciis Albinis dicta sunt huj. ed. tomo II, p. 18 seqq. Ed.

169. *Qui Volusi antiquo.* Volusiorum frequens nomen apud antiquos. Præter Volusium, annalium scriptorem, quem Catullus deridet, Volusius vel Volesus a Seneca de Ira, II, 5, et multi Volusii a Tacito passim memorantur. Et inter Cæsares Imperatores est Vibius Volusianus. Sed an antiqui Volusii ad reges Rutulos genus retulerint, id valde dubium est, neque ex Marone, quem Rutilius testem nominat, certo constare potest.

170. *Teste Marone.* Castelio respici putat ad Virg. Æneid. XI, 463: « Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis: Duc, ait, et Rutulos ».

171. *Hujus facundæ commissa Palatia linguæ.* Huic Rufio, Albini filio, commissum fuit hoc illustre munus, ut quidquid in Palatio Imperator ediceret vel responderet, lingua, oratione sua, eloqueretur. Quæstorem Palatii fuisse iudicat, qui dicebatur Principis ore loqui, isque erat, qui hodie Cancellarius. Describunt illius munus Zosimus, lib. V, 32; Cassiodor. Var. VIII, 13 et 14, et Claud. a Mallio Theodoro gestum v. 33 seqq. Uberius de Quæstore Palatii agit Guth. de Off. Dom. Aug. lib. II, cap. 18.

Primævus meruit Principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos pro Consule Pœnos;
Æqualis Tyriis terror amorque fuit.
Sedula promisit summos imitatio fasces:
Si fas est meritis fidere, Consul erit.
Invitum tristis tandem remeare coegi:
Corpore diviso mens tamen una fuit.

Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora secat.
Lævus inaccessis fluvius vitatur arenis,
Hospitis Æneæ gloria sola manet.

173. *Rexerat ante puer.* Dicit Rufium adhuc puerum proconsulem Africæ fuisse. Burmannus legere *pater* volebat, et hoc ad Albinum Rufii patrem referre, quia et *imitatio* sequens, qua patris vestigia pressit, hoc indicare posset. Sed pueros etiam diei adolescentes Romanis notum est. — Sic Virg. Æn. V, 296, de Euryalo, juvene jam armis inclyto; «Nisus amore pio pueri»; et vid. Gallieni adlocutio sponsalis: «Ite, agite, o pueri». En. — Cæterum pueros illustrium familiarum Consulatum adeo consequutos labentis imperii temporibus, ex legibus et historia constat, probavitque inprimis Sitzmannus ad h. l. Igitur nulla hic mutandæ lectionis caussa.

175. Per *summos fasces* Consularem dignitatem intelligit; qui honorum summus gradus, quem privatus adsequeretur, erat, *portus honorum* propterea vocatus a Claud. Stil. II, 314.

178. *Una manet* in notis Barthii temere positum legitur.

179. *Qua fronte bicorni.* Eo loco navem conscendo, quo Tiberis in duo alveos, quasi cornua, divisus versus mare procurrit, et quidem alter ille incipit, qui ad dextram mare prospicientis fluit. De eodem loco similiter Ovid. Fast. IV, 291: «Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum Dividit, et campo liberiore natat». *Frons bicornis* tribuiturTiberi ob duo ostia, ut *Rhenus bicornis* dicitur Maroni Æn. VIII, 727. «Tauriuæ frontis honorem» vocat Anson. Mos. 471.

181. *Lævus...vitatur:* h. e. qua lævus fluit Tiberis, hodie non solet usurpari ad navigandum in mare, quia congestus arenarum cumulus invium et inaccessum facit.

182. *Æneæ gloria sola manet.* Solam hanc gloriam sinister alveus Tiberis retinet, quod Æneas in Italiam veniens hoc subvectus esse dicitur. Antiquitus tamen hunc alveum magis frequentatum a navigantibus esse, ita quidem, ut hic proprie Ostia diceretur, colligi videtur ex Ovidio, Fast. IV, 329: «Fluminis ad flexum veniunt, Tiberina priores Ostia dixerunt, unde sinister abit».

Et jam nocturnis spatium laxaverat horis
  Phœbus, Chelarum pallidiore polo.
Cunctamur tentare salum, portuque sedemus,
  Nec piget oppositis otia ferre moris,
Occidua infido dum sævit gurgite Plias,
  Dumque procellosi temporis ira cadit.
Respectare juvat vicinam sæpius Urbem,
  Et montes visu deficiente sequi;
Quaque duces oculi, grata regione fruuntur,

183. *Nocturnis spatium laxaverat horis.* Jam longiores horas nocturnas fecerat Sol, æquinoctio prælerlapso, Chelas sive Scorpium ingrediens: quamquam et Libræ sidus hic intelligere licet, quocum Chelæ confundi, aut pro uno sidere haberi solent. Vid. Macrob. in Somn. Scip. I, 18. Sitzmannus ait, Rutilium hoc disticho significare, se Urbe decessisse die 24 Septembris.

184. *Chelarum pallidiore polo:* dum polus, cælum pallidius esse incipit, ob remissionem lucis et caloris, Sole in signo Chelarum constituto.

185. *Tentare solum* B. G. S. P. *salum* correxit Siml. quod Castalio et omnes reliqui tenent.

186. *Appositis*, h. e. congruentibus, dignis, ad rem facientibus, vult Barth. *ferre Notis* conj. Schrad.

187. *Occidua infido.* Dum Pleiadum occasus, qui tempestatem denuntiat, infidum, inconstans et turbulentum mare reddit; vid. Sen. Herc. fur. v. 10. De autumnali tempore loquitur, quod mox *procellosum* vocat.

190. *Visu deficiente*, lassato ob longinquitatem, et vix pertingente ad rem cernendam. Pap. Stat. Silv. I, 1, 88: « vix lumine fesso Explores, quam longus ab hoc despectus in illum ».

191. *Quaque duces oculi* omnes meæ præferunt, præter Damm. quæ habet *Qua reduces oculi*, idque Grævius dicit Livineium restituisse ad Propert. IV, 10. *Reduces oculi* sunt, qui sæpe respectant, et Romam quasi redeunt. *Quippe* vel *usque duces* volebat Heins. Livineii correctionem probat Barth. ad Statium, Theb. IV, 30. Burmannus per exclamationem legi posse existimat *Quam reduces... fruuntur!* Schraderus conjiciebat, *Quaque datum est oculis.* Nos retinemus vulgatam lectionem, et distinguimus post *oculi.* — *Quaque duces oculi.* Non satis capere hujus loci sententiam videntur, qui verba *Quaque duces* diffingere voluerunt: putamus incisum ponendum esse post *oculi*, hoc sensu: Quaque duces oculi se. sunt, h. e. quo usque ducere, ferre, pervenire oculi possunt, regionem illam videre videntur, qua delectantur maxime. Similiter Auson. Mos. 326: « Utque suis fruitur dives speculatio terris ». — *Duces oculi* sunt apud Lucil. in Ætn. 189: « oculique duces rem credere cogent ». — Possit quoque intelligi *mentis duces.* Ed. — Et oculi *sequaces*

Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
Qui dominas arces et caput orbis habet;
Quamquam signa levis fumi commendat Homerus,
Dilecto quoties surgit in astra solo:
Sed cæli plaga candidior, tractusque serenus
Signat septenis culmina clara jugis.
Illic perpetui soles, atque ipse videtur,
Quem sibi Roma facit, purior esse dies.
Sæpius attonitæ resonant Circensibus aures;
Nuntiat accensus plena theatra favor:

dicuntur Statio, Theb. III, 500, et Calpurn. I, 31.

192. *Dum se, quod cupiunt.* Expressisse videtur Ovid. Her. VI, 71: « Per lacrymas specto, cupidæque faventia menti Longius adsueto lumina nostra vident ». Ed.

194. *Dominas arces*, urbis Romæ, quæ toties *domina Urbs* vocatur, ut ab Horat. Carm. IV, 14, 44; Martial. I, 4, X, 103, et Calpurn. VIII, 83, IX, 84.

195. *Fumi commendat Homerus*, Ulyssi, dicens, fumum patriæ suæ videre gratissimum fuisse, Odyss. I, 57. Unde Ovid. e Pont. I, 3, 33: « Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat Fumum de patriis posse videre focis ».

196. *Foco* hic non male corrigebat Heinsius.

198. *Septeni jugi* conj. auctor in Observ. Miscell. l. c. pag. 366. — *Signat septenis*, monstrat, tamquam signo, Romam septicollem. — *Culmina clara*, non solum quia excelsa et eminentia, cælo patente, clare cernuntur, sed etiam quia proprio fulgore coruscant. Claud. Stilich. III, 65: « septem circumspice montes, Qui solis radios auri fulgore lacessunt ».

200. *Isse dies* legebat Heins. — *Quem sibi Roma facit*, diem vocat Rutilius lucem et fulgorem, qui intra ipsam Urbem ab ædibus, fastigiis, statuis, multo auro et marmore splendido instructis, dispergitur. Adposite Apuleius, Met. V, p. 89, de interiore domo Psyches: « Toti parietes solidati massis aureis, splendore proprio coruscant; ut diem suum sibi domus faciat, licet sole nolente: sic cubicula, sic porticus, sic ipsæ valvæ fulgurant ». Simile est, quod Plinius, XXXVI, 22, de æde Fortunæ a Nerone ex phengite lapide constructa narrat: « Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi divina erat, tamquam inclusa luce, non transmissa ».

201. *Resonant Circensibus aures*: audio e longinquo clamores et strepitus Romæ in Circensibus ludis sublatos. Juven. XI, 195: « Totam hodie Romam Circus capit, et fragor aurem Percutit ».

202. *Accensus favor*, i. e. clamor et plausus, accensi favoris index,

Pulsato notæ redduntur ab æthere voces,
Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.

Explorata fides pelagi ter quinque diebus,
Dum melior lunæ fideret aura novæ.
Tum discessurus, studiis Urbique remitto
Palladium, generis spemque decusque mei:
Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus, Romani discere jura fori.

nuntiat, indicat, *plena theatra esse.* Adposite Ovid. Trist. III, 12, 23, « Scena viget, studiisque favor distantibus ardet, Proque tribus resonant terna theatra foris ». Accenditur vero favor, quando crescit, et æstuat, ut erumpat in voces et plausus. Tacitus, Ann. XIV, 13: « morte Agrippæ accensum populi favorem disserunt ».

203. *Pulsato... ad æthera* B. O. S. *Pulsato... ab æthere* correxit Simler. et tenent P. C. Sz. Ba. Alm. Bn. D. Sed Kappius mutatum posuit *Pulsatum notæ redduntur ad æthera voces.* — *Pulsato notæ redduntur.* Recte *ab æthere :* nam quia voces *æthera* pulsant, et *ab æthere reddantur,* hinc perveniunt ad aures Rutilii. — *Notæ voces*, solitæ et vulgatæ acclamationes. — Sed hanc Wernsd. expositionem verbi *notæ* adhuc mancam existimo, nam versus sequens jubet hoc interpretari de vocibus amicorum Rutilii, quas, etsi non perveniant, tamen ob amorem distinguere putat. Ed.

205. *Exspectata quies pelagi* Schraderus conjiciebat. — *Explorata fides pelagi.* Ibi quindecim diebus exspectavimus, ut exploraremus satis, an mari fidere debeamus. Petron. cap. 115: « Substiti ego ego tristis, cœpique uventibus oculis maris fidem inspicere ».

206. *Dum melior lunæ fideret aura novæ :* dum vel donec ventus crederet lunæ novæ, se non mutatum iri celeriter. Sic Damm. Sed dura et obscura hæc manet locutio, quocumque modo interpretatio fiat. Propterea valde arridet Heinsii emendatio *melior se daret aura*, quod optimum erit, nisi forte malis *sideret*, eodem sensu quo Virgilius, Æn. V, 820: « subsidunt undæ ». *Sideret aura*, i. e. fixa et certa fieret; vel *sisteret*, sc. pelagus, idque certum et constans redderet. Sic enim Ovid. Metam. VII, 200, « sistere freta » dixit.

208. *Palladium generis.* De Palladio hoc, ut de aliis ejusdem nominis, quum multa diximus (tomo II hujus editionis nostr. pag. 387 seq.) tum plura erunt dicenda alio tempore et loco ejusdem operis. Igitur hic nihil aliud, quam notamus, fuisse propinquum genere Rutilio, et fortasse ab hoc adoptandum aut adrogandum, ut versus hic et 212 indicare videntur : neque minus verisimile, esse Palladium Rutilium Taurum, rei rusticæ scriptorem, quem hodie habemus, quia Rutilii nostri nomen gentile gerit

Ille meæ secum dulcissima vincula curæ,
    Filius adfectu, stirpe propinquus, habet :
Cujus Aremoricas pater Exsuperantius oras
    Nunc postliminium pacis amare docet ;
Leges restituit, libertatemque reducit,
    Et servos famulis non sinit esse suis.

Solvimus auroræ dubio, quo tempore primum

211. *Cunnæ* vel *cunæ* B. O. S. P. C. quod defendit Barth. sed Sitzm. correxit *curæ*, quem sequuntur reliqui.—*Vincula curæ*, arctissimum, conjunctissimum amorem meum. *Curam* dici poetis pro amore, desiderio, cultu, vulgatum est. — *Secum habere* dicit ejus curæ vincula, i. e. servare et retinere, dum Romæ manet. Burmanno imitatus videtur Virgilium, apud quem Dido de mortuo Sichæo, Æn. IV, 28 : « Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores Abstulit ; ille habeat secum servetque sepulcro ».

213. *Cujus*. Aremorica dicta est ea pars Galliæ, quæ inter Sequanam et Ligerim, Aquitaniæ terminum, Oceano Britannico conjuncta, peninsulam efficit,quæ hodie Britannia minor dicitur. Hanc Aremoricam multis adhuc discordiis et seditionibus agitatam, nec Romanis imperiis cedere volentem Exsuperantius, præses ejus provinciæ, libertate et auctoritate legum restituta, *docuit* rursus *amare postliminium pacis*, h. e. intelligere et magni facere bona pacis, ex longo veluti exsilio, aut captivitate hostili, reductæ et vindicatæ. De ipso Exsuperantio seorsum agimus Excursu III ad calcem hujus carminis.

214. *Amore* habent vetustæ omnes, *amare* legendum docuit Sitzm. cui adsentit Barth. et reliqui.

216. *Servas*, scil. leges, correxit Heins. ad Ovidium, Am. I, 6, vs. ult. — *Et servos*, cives ejus provinciæ, *non sinit esse famulis suis*, barbaris Gothis, qui servire debebant, ut Barbari, sed hactenus dominari visi sunt ; sive, ut aliis placet, ministris et comitibus præsidis, qui haud raro, inscio vel indulgente præside, grassati in provinciales leguntur. Gothus intelligendos esse demonstrat Browerus ad Fortunat. lib. III, Carm. 6, pag. 62, atque ex Salviano et Prospero repetit, Gothos sub Ataulpho ex Italia reduces, et fessis jam Galliis in Aquitaniam receptos, non sine maxima vicinarum regionum jactura. Atque in his regionibus sunt Aremorici, Aquitaniæ post Ligerim vicini.

217. *Auroræ dubio*. Dubium auroræ est crepusculum, quando adhuc incerta et hebes lux est, neque jam dies, nec amplius nox. Sic infra, vs. 433, « dubitanda luna », non clare cernenda. Et *dubius sol* vel *dies* passim. Plinius, Epist. VI, 20 : « jam hora diei prima, et adhuc dubius et languidus dies ». Seneca in OEdip. I, 1 : « Jam nocte Titan dubius expulsa redit ». Ubi videatur

Agnosci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per litora proxima cymbis;
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Æstivos penetrent oneraria carbasa fluctus:
Tutior autumnus mobilitate fugæ.
Alsia prælegitur tellus, Pyrgique recedunt;

Gron. — Et Auson. Mosell. 1, *nebulosum numen* dicit. Ed. — *Dubio quo tempore* omnes usque ad Alm. Heiusius distinxit *Solvimus auroræ dubio, quo tempore*, idque adsumpsit Burm. sed Dammius *Solvimus, auroræ dubio quo tempore*.

218. Pro *arva* ego malim legere *ora*, i. e. facies et discrimina rerum; his enim proprium est agnosci: et sic Hilarius in Genesi, v. 60: « Namque dies varie rerum discriminat ora, Et dat cuique suum disjecta nocte colorem ». Male hic Weitzius corrigit *varias oras*, quasi extremitates rerum. Alcimus, lib. I, 17, *formas* dicit, quæ idem significant, atque *ora*: « Jam proprias pulchro monstrabant lumine formas, Obscuro cedente die ». — *Redditus arva color*. Dubitabam, an forte *atra* legendum esset, quia nox colorem rebus auferens omnia atra facit. Sed solent ab aliis *terræ*, *agri* in ea dictione nominari. Sil. Ital. X, 542: » atque sui terris rediere colores ». Valer. Flaccus, II, 72: « Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes Albet ager ». Nescio tamen, quomodo magis placeat, *redditus ora color*. — Paulinus Nolan. Natali VI Fel. « Noctis et extremæ fuga..... Cœperat ambignos rerum reserare colores ». Ed.

219. Pro *cymbis* Burmannus mavult *lembis*, quia lembi majores, et eorum potior usus in mari, quam cymbarum.

221. *Æstivos penetrent fluctus*, i. e. æstate navigent per fluctus, per altum mare, quando tempestates rariores vel mitiores sunt.

222. *Gratior* vel *mitior* malit Burmannus, quod ego nolim: *nobilitate* B. S. Sz. *mobilitate* O. P. C. Ba. Alm. Bur. D. — *Tutior autumnus*. Miratur Burmannus, quomodo tutiorem autumnum dicere possit, qui crebriores ventos habet, et ab ipso Rutilio « procellosum tempus » dicitur v. 188. Sed mens Rutilii sic capienda est: Autumni tempore, quod alias procellosum est, tutius navigamus tum, quum *mobilitate fugæ*, h. e. levi et bene mobili navigio utimur, quo facile flectere iter, et celeriter fugere in litus possumus. — *Fuga* pro incitato cursu, etiam nullo urgente, vulgatum est. Vid. Virg. Æn. I, 317; Val. Flacc. IV, 573.

223. *Alsia prælegitur tellus*. Alsium maritimum Tusciæ oppidum, Straboni, lib. V, p. 226, Plinio, Ptolemæo memoratum. Sil. Ital. VIII, 475, « Argolico dilectum litus Aleso Alsium ». — *Prælegitur*, transitur, præter eam vehimur. — *Pyrgi* pariter maritimum oppidum, inter colonias maritimas numerantur a Livio, XXXVI, 3. Virgilius, Æn. X, 184, « veteres » nominat, Martialis, XII, 2, « litoreos ». Pyrgis decessisse Cn. Domitium Neronis Imp. patrem memorat Suet. Ner. cap. 5.

Nunc villæ grandes, oppida parva prius.
Jam Cæretanos demonstrat navita fines:
Ævo deposuit nomen Agylla vetus.
Stringimus hinc exesum et fluctu et tempore Castrum:
Index semiruti porta vetusta loci.
Præsidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit.

225. *Ceretanos* B. S. *Cerretanos* O. P. *Cæretanos* C. Sz. Alm. rel. — *Jam Cæretanos fines*, oppidi Cære, multum celebrati in historia Rom. quod capta a Gallis Senonibus Urbe Romanorum sacra benigne hospitio exceperat. Ejus fines hic tantum monstrantur naviganti, quia ipsum oppidum non maritimum, sed interius. Ab eo oppido decurrens *Cæretanus amnis* Alsium et Pyrgos interfluit.

226. *Nomen Agylla vetus*, id nomen urbi Cære a Pelasgis conditoribus datum, tradit Plin. III, 5. Hinc *Agyllinam* dicit Maro, Æneid. VIII, 478.

227. *Stringimus... et fluctu et tempore* cum lacuna, vett. edd. *Stringimus exesum et fluctu et tempore* Pith. *absumptum fluctuque et tempore* Cast. Alm. Bu. *exesum fluctuque* Barth. Damm. *Stringimus hinc exesum et fluctu* conj. Barth. quod præplacet, et primarum edd. lectioni convenientius est. *Absorptum* conj. Burm. — *Stringimus;* juxta navigamus. — *Castrum*, scil. *Novum*, quod Mela, Plin. Itin. Ant. Pyrgis jungunt.

228. *Index semiruti*. Locum enim ex parte dimidia dirutum et minorem esse, quam olim fuit, index est porta vetusta, quæ remotior ab ædificiis hodie stantibus est.

229. Editiones omnes, a prima ad Burmannianam usque, hujus et sequentis distichi eum ordinem servant, quem ipse posui. Dammius forte velificatus sententiæ et lectioni, quam versu 230 adoptavit, transposuit duo disticha, ita ut vs. 229 incipiat *Multa licet priscum;* v. 231 *Præsidet exigui*. Quod ego perperam factum existimans, pristinum ordinem restitui. — *Præsidet*, sc. portæ illi vetustæ (vel ante portam positus conspicitur) Deus aliquis (vel statua Dei) *exigui saxi imagine formatus*, qui *pastorali fronte*, parte anteriore statuæ, pastorem vel pastoralem Deum referentis, *nomina* aliqua *gerit*, sed ignota, quia ætas delevit. *Præsidere* igitur eo sensu accipio, quo Janus præsidere foribus cæli dicitur apud Nas. Fast. I, 125. — *Frontem* pro specie exteriore vel anteriore dici vulgatum est; videatur Noster, infra v. 568. — Sic Catullus, Carm. 37, vs. 10: « Frontem tabernæ scipionibus scribam », h. e. tabernæ anteriori parti inscribam. Ed. — Val. Maxim. VII, 2, 9. « in secessu, quam in fronte beatior ». Et Manil. IV, 309: « penitusque Deus, non fronte notandus », h. e. non sola facies cæli exterior, sed interior ac penitus observanda est.

230. *Pastorali nomina fronte gerit* B. et omnes antiquiores ad Burmannum usque. Sed interpretes varia correctione hunc versum tentant, Dammius et Kappius etiam suam

Multa licet priscum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui Castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala silvis,
Sive sinus patrios incola Faunus init.

intulerunt in textum. Cæterum de his vid. Excursus IV ad calcem hujus carminis.

232. *Hoc Inui Castrum*. Hujus mentionem injicit Maro, Æn. VI, 775: «Pometios Castrumque Inui». Ad quem locum observat Servius, Castrum novum «civitatem in Italia Castrum Inui esse, id est, Panos, qui illi colitur. Inuum autem latine appellari, græce Πᾶνα, item ἐφιάλτην græce, latine Incubum. Eumdem esseFaunum, item Fatuum Fatuellum; dicique Inuum ab ineundo passim cum omnibus animalibus, unde et Incubus dicatur». Observavit autem Cluverius, Ital. Ant. II, 2, p. 488, errasse Servium, cum eoque Rutilium, qui Castrum Inui, quod in Latio fuerit, ponant in Etruria, ubi Castrum Novum. Et saue signum pastoralis Dei, quod ante portam ejus castri invenit Rutilius, non Inui sed Silvani existimandum est, qui, quod idem Cluverius monet, in hoc tractu apud Cære oppidum cultus fuit, et teste Virgilio, Æneid. VIII, 597, lucum in collibus prope Cæritis amnem, antiqua religione sacrum, habuit. Confirmat etiam antiqua inscriptio, quam Sirmondus ad Sidon. p. 142 profert:

SILVANO AVG
SACRVM
C. IVLIVS
CASTRENSIS
EX VOTO

Nempe hic C. Julius, qui Castrensis h. e. Castro Novo oriundus est, Silvano Deo patrio votum facit. De Inui Castro porro confer. Drakenb. ad Sil. VIII, 361.

233. *Tyrrenis* O. P. Sz. Ba. *Tyrrhenis* B. S. et rel.

234. Illud *sinus patrios* obscurum Burmanno est, et quia Servius animalia iniri dicit ab Inuo, hinc forte legendum conjicit *Sive greges proprios incubo Faunus init*, vel *Seu simus pecudes incubo Faunus init*. Post hæc fatetur explicare se sensum hujus loci non posse, nisi *sinus* pro sinuosis locis capiantur: in quo non male conjecit. Vid. not. nostr.—*Sive sinus patrios*. Sive Faunus est, qui has regiones incolit, Deus patrius, quique recessus interiores silvarum inire et peragrare dicitur. *Sinus* nempe hoc loco sunt silvæ abditæ, et respondent silvis, quas ante nominavit, *Tyrrhenis*, et quæ ibi *Mænala* dicuntur, Ovid. Met. V, 608, vocat *Mænalios sinus*. Ab *ineundo* quidem nomen Inui deducit Rutilius, at non animalia respicit, ut Servius, sed quod Faunus continuo per agros et silvas incedere et vagari credebatur. Aperte Horat. C. III, 18, 3: «Faune... Per meos fines et aprica rura Lenis incedas, abeasque parvis Æquus alumnis». Et recessus, saltus, nemora frequenter *iniri* dicuntur, ut apud Ovid. Met. X, 695, Art. Am. III, 712, Fast. III, 266. Cæterum Pana, Faunum et Inuum eosdem esse, præter Servium confirmant Liv. I, 5; Macrob. Sat. I, 22; Aur. Vict. de Orig. Gent. Rom. cap. 4.

Dum renovat largo mortalia semina fetu,
  Fingitur in venerem pronior esse Deus.

Ad Centumcellas forti deflexmus Austro:
  Tranquilla puppes in statione sedent.
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
  Angustosque aditus insula facta tegit;
Adtollit geminas turres, bifidoque meatu
  Faucibus arctatis, pandit utrumque latus.
Nec posuisse satis laxo navalia portu,
  Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:
Interior medias sinus invitatus in ædes

237. *Centumcellæ* urbs est Tusciæ ad mare, Plinio, Ammiano, Lampridio et Antonio in Itin. memorata, et portu excellente celebris; nunc vulgari vocabulo *Cincelle*, et usitatiore nomine *Civita Vecchia*, i. e. Civitas vetus dicitur. Portum ejus, velut amphitheatrum, luculente, ut Noster, describit Plinius, Epist. VI, 31. *Portum Trojanum* vocat Ptolemæus, ejusque exstructio quomodo facta sit, ipse Plinius dicto loco narrat.

238. *Tranquilla hic puppes*, vel *Tranquilla puppes hic* conj. Heins.

239. *Montibus* legisse videretur Barth. saltem *molibus* interpretatur de montibus. — *Molibus*, aggeribus ingentium saxorum exstructis. Hor. Carm. III, 1, 34: «jactis in altum molibus». Juv. XII, 75: «Tandem intrat positas inclusa per æquora moles». — *Æquoreum amphitheatrum* portus est, qui exstructis circum circa molibus æquor, tamquam arenam, includit. Sic rupium et collium flexus sinusque circumductos *naturale theatrum* vocat Auson. Mos. 156. — Vid. huj. op. t. I, p. 253. Ed.

240. *Insula facta*, non nativa, sed opere humano composita. Id ipsum memorat Plinius l. c. «In ore (portus) insula adsurgit, quæ illatum vento mare objacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus præstet. Adsurgit autem arte visenda, etc.»

241. *Adtollit* illa insula *geminas turres*, noctu lucentes et duplicem ingressum monstrantes: *bifidoque meatu*, et dum divisum navibus decursum *arctatis* utrimque *faucibus* efficit, *pandit* aditum ac portum ad *utrumque* insulæ objacentis *latus*. *Bifido meatu divisum* Rhenum dicit Claud. XXVI Bell. Get. 336.

244. *Ne vaga aura vel ventilet*, ne vel minimo quidem motu quatiat, *rates tutas*, jam tuta in statione positas.

245. Heinsius corrigebat *insinuatus*. Burmannus, si Veteres, ut *erivare*, ita et *inrivare* dixissent, mallet *inrivatus*. — *Interior sinus invitatus*, i. e. portus illius *sinus*, vel recessus, *interior* intromissus vel inductus *medias in ædes*, in urbem mediam, ita ut ab ædificiis cingatur. Sic

Instabilem fixis aera nescit aquis;
Qualis in Euboicis captiva natatibus unda
Sustinet alterno brachia lenta sono.

Nosse juvat tauri dictas de nomine thermas:
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro,

Statius, Silv. I, 3, 2: « inserto geminos Aniene penates ». Santen. Sic fere Lucanus, I, 421: « qua litore curvo Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor ». Burmannus τὸ *invitatus* pro insolentiore locutione habet, fatetur tamen, ita τῷ *vocare* uti Ovidium, Am. II, 16, 35: « Et vocet in rivos parentem rusticus undam ». Immo sic verbo *adpellare* utitur Manilius, V, 684, de salinis loquens: « Adpellantque suo deductum ex æquore fluctum », ubi editi minus recte *appellunt* habent.

247. *Natantibus* Onuphrius et Almel. dederunt; sed Simlerus *natatibus* restituit ex antiqua Bonon. quod et reliquæ servant: *penatibus* l. *meatibus* conj. Schrad. — *Qualis*, quam tranquilla et ab aere immota est unda, *in Euboicis natatibus*, in aquis sinus Bajani vel Cumani, ubi portus immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, molibus circumpositis factus, et crebri natatus fiunt. De Euboico sinu, Prop. Eleg. IV, 1, 114. — Cæterum Euboica Neapolis origo omnibus patet. Ed. — *Captiva unda*, quæ molibus et aggeribus, quasi vinculis, coercetur, ut quieta sit et natatibus serviat. — Similiter Ausonius, Mosell. 323: « captumque sinu sibi vindicat amnem ». Ed. — Unda hæc *inclusa* dicitur Ovidio, Met. XIII, 902: « Seductos nacta recessus Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat unda ».

248. *Alt. solo* conj. Heins. *salo* Crus. Prob. p. 59. — *Sustinet*, leniter fert, *brachia* natantium *lenta*, lente mota, *alterno sono*, ita ut ad pulsum aquæ alternis brachiis motæ sonus fiat. Sic Statius, Theb. VI, 544, de Leandro natante: « In latus ire manus, mutaturusque videtur Brachia ». Ed. — Sic Propert. I, 11, 12: « Alternæ facilis cedere lympha manu ». Manil. V, 423: « Hic alterna ferens in lentos brachia tractus, Nunc plausa resonabit aqua ». Post hunc versum aliquot disticha deesse Barthio et Dammio videntur; sed qui connexionem hujus distichi cum præcedente, quam ipsi indicavimus, consideraverit, nihil desiderabit.

249. *Nosse juvat*, cupido incidit noscendi, *tauri thermas*, locum, qui ob aquarum calidarum scaturiginem dictus *Aquæ Tauri*: et oppidani apud Plin. III, 5, dicuntur *Aquenses* cognomine *Taurini*. Meminerunt etiam Tabulæ itinerariæ, Martyrologium Rom. et Gregorius M. Tria millia passuum a Centumcellis, vel a portu abesse, hic notat Rutilius.

251. *Vitiantur amaro*, i. e. marino vel salso. Burmannus notat apertam imitationem Ovidii esse, qui Met. XV, 286, de Hypani: « Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris ».

Lymphaque fumifico sulfure tincta calet:
Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem
Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Credere si dignum famæ, flagrantia taurus
Investigato fonte lavacra dedit,
Ut solet excussis pugnam præludere glebis,
Stipite quum rigido cornua prona terit:
Sive Deus, faciem mentitus et ora juvenci,
Noluit ardentis dona latere soli;
Qualis, Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta, virgineum sollicitavit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios.

252. *Lymphave* malint Barth. et Damm.

253. *Labantem* est in B. O. S. sed *lavantem* correxit Siml. Cast. Pith. et sic reliqui.

254. *Qua parte*, quatenus, et quos ad usus, utrum ad bibendum, an ad lavandum: quia odor lavanti gratus et salubris, sapor bibenti.

255. *Fragrantia* Sz. et Ba. fortasse per errorem. — *Flagrantia*, calida et æstuantia, quia supra thermas vocaverat: neque tamen *fragrantia*, quod nonnullæ edd. habent, spernere velim, propter odorem.

257. *Ut solet ad pugnam excussis præludere glebis* mavult Burm. — *Ut solet excussis*. Dicit, taurum eas thermas hoc modo investigare potuisse, quod ille solet *glebas excutere* et terram fodere pedibus, ubi iratus pugnam lacessit; quod Virgilius dicit *arenam spargere*; cujus locum Noster respexisse videtur, Æn. XII, 104: « irasci in cornua tentat, Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit Ictibus, et sparsa ad pugnam præludit arena ». Burmannus observat, insolentiorem hanc Rutilii constructionem esse, *pugnam præludere*, quum debuisset Virgilii exemplo *ad pugnam*. Sed sic ejusdem ætatis Avien. Descr. Orb. 1363: « venit ergo ad flumina Gangis, Discursuque sacro præludit prælia Liber ».

261. *Agenorei furti*, cum Europa Agenoris, Phœnicum regis, filia, *rapturus*, ablaturus, *gaudia* de concubitu; ut Cato in Diris, vs. 168, « Gaudia libavit dulcem furatus amorem »; et conf. Calpurn. IX, 7.

262. Post *freta* distinguendum esse censet Burm. — *Virgineum onus*, Europam virginem, quæ insidens fuerat onus suum, *sollicitavit*, blandiendo pellexit, ut coiret secum. —Sic Petron. in carmine quod huj. op. t. II, p. 119 protulimus: « Et qui sollicitat nuptas ad præmia peccat ». Ovid. Her. XVII, 4: « Legitimam nuptæ sollicitare fidem ». — Possit tamen quis non absurde interpretari *virgineum onus sollicitare*, virginem sollicitare ut sibi onus esset. Ed.

263. Grævius hæc duo disticha: *Ardua non solos* et *Elicitas simili*, trajecta putavit, et post vers. 270,

Auctorem pecudem fons Heliconis habet:
Elicitas simili credamus origine lymphas,
Musarum ut latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messalæ nobilitatus ager;
Intrantemque capit, discedentemque moratur

tamquam carmen a Messala postibus thermarum inscriptum, vel ipsius Messalæ verba, ponenda censuit. Quam tamen ad sententiam stabiliendam ei statuendum fuit, versu 264 aquarum Taurianarum eruptionem blanda quadam ambitione *fontem Heliconis* vocari. Quod minus verisimile esse, facile e contextu versuum intelligitur, nec probatur hæc sententia Burmanno.

264. *Auctorem pecudem*, equum. Nota est traditio poetarum, Pegasum, Bellerophontis equum, ungula terræ incussa, elicuisse fontem Heliconis, qui propterea Hippocrene vocatus. *Pecudem* generale nomen, etiam nobiliorum animalium, ut equi, esse Burmannus nonnullis locis aliorum probavit ad Gratii Cyneg. vs. 265, ubi canis bellicosus « pecus immane » vocatur. Statius, Theb. IV, 733, de equis æstu et siti vexatis, « perfurit arvis Flammatum pecus », ubi vid. Barthius. Infra, vs. 436, distinguit Noster *armentale pecus*.

265. *Nymphas* habent B. O. S. P. *lymphas* induxit Cast. et sequentes; sed tamen *nymphas* h. l. defendit, et perperam *lymphas* reponi scribit Heins. ad Ovid. Her. V, 31.

266. *Musarum ut latices*, interposito *ut*, solus Damm. dedit, quod ego servavi, quia comparatio sic poscit. *Fudit* conj. Grævius, reprobat Burm. — *Ungula fodit*. Sic recte legitur, ut apud Ovid. exstat, Fast. III, vs. 456: « Quum levis Aonias ungula fodit aquas ». Quod alii volunt, *fudit*, rectius de terra effossa, aut de fonte ipso diceretur; quemadmodum Avienus in Arat. Phæn. equo, pag. 94 Grot. « cornuque excita repente Lympha Camenalem fudit procul Hippocrenen ».

267. *Spiracula*: sic quævis aperturæ et ora terræ vocantur, unde aquæ, spiritus, vel exhalationes erumpunt. Virgil. Æn. VII, 568: « sævi spiracula Ditis »; et adposite Val. Flacc. III, 553, « procul ad nitidi spiracula fontis Ducit ». — Pro *antris* Schrad. conjicit *undis*. — *Pieriis antris*, fonti Pierio: namque *antra* dicuntur cavernæ, e quibus erumpunt fontes, eaque vel centies tribuuntur amnibus a poetis.

268. *Carmine Messalæ*. — Videatur Savaro ad Sidon. Carm. IX, v. 302. Ed. — Hic est Fl. Valerius Messala, uti adpellat vetus inscriptio, qui Præfectus Pr. A. C. 398 et sequentibus annis fuit, et nonnullis in legibus Cod. Theod. occurrit, Amicum Symmachi fuisse, demonstrant ejus epistolæ, lib. VII, 81-92. Sidonius Apollinaris inter poetas sui temporis refert Carm. IX, 306, et vocat « Messalam ingenii satis profundi ».

269. Pro *capit* Burmannus forte melius putat *rapit*, quod τῷ *moratur* aptius opponitur.

Postibus adfixum dulce poema sacris.
Hic est, qui primo seriem de Consule ducit,
Usque ad Publicolas si redeamus avos:
Hic et Præfecti nutu prætoria rexit;
Sed menti et linguæ gloria major inest.
Hic docuit, qualem poscat facundia sedem,
Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.

Roscida puniceo fulsere crepuscula cælo :

270. *Postibus adfixum sacris.* Sic ædem fuisse fonti huic Aquarum, tamquam Deo, sacratam significat. Et fontes inter Deos numeratos, ac templis simulacrisque cultos fuisse, tralatitium est. Probat Clitumnus a Plinio, Epist. VIII, 8, 5, Aponus a Claudiano, Idyll. VI, 67 seq. laudatus, qui utrique *numen præsens* iis adesse, atque etiam carminibus in parietibus ædis celebratos esse testantur. Unde Aquas Taurianas Messalæ carmine laudatas, non mirum.

271. *Primo de Consule*, de P. Valerio Poplicola, qui Collatino ob adfinitatem Tarquiniorum Urbe dimisso substitutus est, et propter magna in populum studia Poplicolæ nomen accepit. — *Seriem* scilicet generis et majorum suorum. Primum Consulem, auctorem generis Messalæ, laudans respexisse videtur ad Virgilii Eleg. in Mess. v. 37 seq. ubi paria leguntur. Poterat et memorare, primum Præf. Urbis fuisse e majoribus ejus, Messalam Corvinum, de quo Tacit. Annal. VI, 2. — *Duxit* conj. Kapp.

272. *Publicolas* B. O. S.' P. C. *Puplicolas* Sz. et Bar.

273. *Præfectus* hic legi volebat Schraderus.

275. *Facundia legem* vult Crus. Probab. pag. 60, et sic Schrad. — *Qualem facundia sedem*, quod pectus, nempe viri boni. Claud. Stil. II, 12, de Clementia : « Hæc Dea pro templis et thure calentibus aris Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes ».

276. Dammius comma posuit post *quisque*, cæteri omnes post *velit*. Pro *ut* Castal. in notis substituit *Vir*. — *Quisque disertus erit :* quisque pro quisquis, ut sæpe. Convenientius sententiæ est, si comma ponatur post *velit*. Talem nempe facundia sedem, tale pectus, poscit, ut, quisquis disertus erit, simul esse bonus velit. Respicit celebrem Catonis definitionem oratoris, « Est vir bonus, dicendi peritus ». Quam Cicero sæpe respexit, Quintilianus graviter inculcavit, et recentiores rhetores repetunt, ut Curius Fortunat. principio libri I, et Isidorus, Orig. II, c. 3. — Ad hanc definitionem quoque adlusum vidimus in Epithal. Laurentii, versu 29, hujus nostri operis tomo III, pag. 398, ubi hunc quoque Rutilii locum adduximus. Ed.

277. *Fulsere crepuscula*, matutina, diluculum, dubia lux antequam diescat. Hoc sensu crepusculum

Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paullisper fugimus litus Minione vadosum :
Suspecto trepidant ostia parva solo.
Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
Quas premit æstivæ sæpe paludis odor;
Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,

saltem a serioribus poetis nonnunquam sumitur, ut ab Avieno, in Prognost. p. 113 Grot. « At decedentis postrema crepuscula noctis ». Dubius locus est Ovidii, Heroid. XIV, 21.

279. *Munione* habent veteres B. O. S. Sz. *Mynione* P. *Minione* Albertus Leander legit, Cast. et seqq. — *Paullisper fugimus*, evitamus, *litus*, quod *vadosum Minione*, angusto alveo Minionis in brevia exeuntis. *Minio* fluvius Etruriæ, et oppidum ad ejus ostia; cujus mentio est apud Virg. Æn. X, 183.

280. *Suspenso trepidant ostia parva solo* conj. Crus. pag. 60 : *crepitant* conj. Wesseling. Observ. lib. II, cap. 30 : *hostia* pleræque veteres : *trepidant horia parva salo*, i. e. parvæ nostræ naves, quas supra vocaverat cymbas, edidit Damminus. Ita tamen legi non posse, quia *horia* numeri singularis est, observavit Wesselingius l. c. — *Ostia parva*, aquæ in ostio fluminis angusto defluentes, *trepidant* quasi impeditæ arenis, eoque indicant, *suspectum solum* subter esse, vadosum et difficile naviganti.—*Trepidare* dicuntur aquæ, quando arenis, calculis, ripæ flexibus illisæ difficulter fluunt, ut in illo Horatii, Carm. II, 3, 11, « obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo ». Et Quintil. Declam. XIII, 3 : « fusus ex proximo fonte rivus, trepidantibus inter radiantes calculos aquis ». Quam Dammius hoc loco commentus est lectionem, *trepidant horia parva*, i. e. parvæ nostræ naves in metu sunt, ea nimium coacta videtur. — *Trepidant* ad Brevium fervorem refero. Defendit se Wesselingius, ad Anton. Itiner. p. 498. Santen.

281. *Inde Graviscarum*. Graviscæ oppidum maritimum inter Minionem et Martam, ut demonstrat Itin. Ant. Nomen a plerisque singulari numero effertur, idque impositum eis propterea, *quod gravem aerem sustineant*, Servius ad Virg. Æneid. X, 184, monet, qui ob eamdem caussam *intempestas*, i. e. pestilentes, sine temperie, vocat. — *Fastigia rara* earum visa propterea dicit, quod Graviscæ humili loco sub montibus Cornetanis sitæ fuerunt, ut præ densis lucis eas tegentibus præter nonnulla ædificiorum fastigia nihil adpareret prætat naviganti. Vid. Cluverius, Ital. pag. 484, et Heynius in Excursu I ad Virgil. lib. X, p. 416.

282. *Quas premis· æstivæ sæve paludis odor* conj. Markland. ad Stat. Silv. IV, 3, 127. — *Æstivæ paludis odor*, h. e. odor, quem palus æstate potissimum, quando calor nimius est, emittit. Sic supra, vs. 221, *æstivos fluctus* dicebat, per quos æstate navigatur.

283. *Numerosa* legit Leander, quod satis placet Burmanno, quia

Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo custode, ruinas
Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.
Ridiculam cladis pudet inter seria caussam
Promere; sed risum dissimulare piget.
Dicuntur cives quondam, migrare coacti,
Muribus infestos deseruisse lares.
Credere maluerim Pygmææ damna cohortis,
Et conjuratas in sua bella grues.

particula *sed* infert aliquid oppositum *raris fastigiis* Graviscarum, et τὰ *viret* et *lucis* satis ostendunt, ibi nemorosam esse viciniam. *Sed generosa viret ..... vindemia* cogitabat Schraderus.

284. *Pineaque extremis fluctuat umbra :* umbra a silva pinea projecta in vadum cum eo fluctuante movetur. Valerius Flaccus, V, vs. 109 : « magnæ pelago tremit umbra Sinopes ». Stat. Silv. I, 3, 18 : « fallax responsat imago Frondibus, et longas eadem fugit umbra per undas ». Cf. amplior locus Ausonii in Mos. 189 seqq. — Et videantur adnotata, huj. op. t. I, p. 255. Ed.

286. *Mœnia fœda Cosæ.* Cosam civitatem esse Tusciæ, et numero singulari dici observat Servius ad Virg. Æneid. X, 168, qui plurali enuntiavit. Paullum a litore remotam, et in colle sublimi conditam esse refert Strabo, lib. V. Græcis geographicis plerumque duplici litera Κόσσα vel Κόσσαι scribitur, oppidani dicti Cosani. Cosam Etruriæ promontorium dicit Tacit. Ann. II, 39, ubi tamen Cluverius mavult *Cosanum promontorium* legere.

287. *Ridiculum clades* legit Leand.

290. *Muribus infestos.* Ridiculum vel incredibile videtur Rutilio, Cosanos magna murium vi coactos urbem relinquere. Et tamen similem cladem Balearicos olim a cuniculis expertos esse, Strabo, lib. III, pag. 144, et Plinius, VIII, 55, pro certo narrant. Hic etiam, lib. VIII, c. 29, ex Gyaro, Cycladum insula, incolas, et Heraclides, libello de Politiis, Chalcidenses a muribus fugatos esse refert, quum tam multi fuerint, ut non solum alias res, sed ferrum adeo corroserint. Plura ejusmodi calamitatis exempla nuper Jo. Beckmannus in commentario ad Aristot. de Mirab. cap. 22 et 24 congessit.

291. *Pygmeæ* pleræque veteres, Sz. Alm. Bu. *Pygmææ* Pith. Damm. — *Pygmææ damna cohortis.* Respicit notissimam fabulam de Pygmæorum gente cum gruibus dimicante, quæ ab ipso Homero profecta per ora omnium fere poetarum iit. Vid. Juvenal. XIII, 167, seq. Claudian. Bell. Gild. 475. Varias iis terrarum regiones et sedes adsignant, ut plura Plinii loca docent. Plenius rem excussit, et pluribus locis adductis declaravit Heynius ad Virg. Æn. X, 264 seq.

292. *In sua bella*, ipsis quasi propria, et fere perpetua, ut genti pugnaci.

Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.
  Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia, sermo retexit
  Sardoam, Lepido præcipitante, fugam :
Litore namque Cosæ cognatos depulit hostes
  Virtutem Catuli Roma sequuta ducis.
Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis
  Qui gessit sociis impia bella tribus;

293. *Signatus ab Hercule portus*, i. e. nominatus. Herculis portum subjacere Cosæ, eique propinquum esse stagnum marinum, et ad promontorium, quod sinui imminet, speculam ad capiendos thynnos erectam esse, tradit Strabo, lib. V, p. 225. « Portum Cosanum » vocat Livius, XXII, 11. Distinguendus ille a portu Herculis *Labronis*, seu *Liburni*, hod. *Livorno*. Quem fortasse confuderunt cum hoc portu Herculis Cosano docti viri, qui nonnulla trajecta in Rutilio esse suspicati sunt.

295. *Invia castrorum* Leand. item *Sardoum Lepido*. — *Inter castrorum vestigia*. Significat Rutilius, se, quum in portum Herculis pernoctandi caussa cum suis comitibus divertisset, conspexisse ibi vestigia antiqua castrorum, quæ quondam ibi habuit M. Æmilius Lepidus consul, quum a Catulo pulsus et in Sardiniam fugere coactus est, de iisque castris sermonem habuisse cum sociis suis. — *Sermo* noster *retexit*, repetit et in memoriam revocat caussas et acta ejus belli et fugæ. Sic Claud. XV B. Gild. 325 : «Talia dum longo secum sermone retexunt ».

296. *Lepido præcipitante fugam*, qua Lepidus præceps fugit in Sardiniam. De bello eo Lepidi cum Q. Lutatio Catulo collega videatur Appianus, Civil. I, c. 105 et 107 ; Florus, III, c. 23 ; Epit. Liv. 90, atque Exsuperantii libellus. Totum hunc locum Rutilii de quatuor Lepidorum ausis exposuit J. Lipsius, comment. ad Tac. Ann. XIV, 2.

297. *Cognatos hostes* adpellat, quia bellum civile erat, ut Lucanus in principio «cognatas acies », et Statius « fraternas acies » dixit.

299. *Ille tamen Lepidus*, nempe triumvir R. P. C. cum Antonio et Octavio.

300. *Socius* in vetustissima edit. legi ait Barth. Advers. VI, 26. Sed, credo, nemo alius invenit, et quæ mihi vetustissimæ sunt, Bononiensis et Panviniana, habent *sociis* : habet fortasse Mazochii Romana, quam nunc inspicere nequeo, sed illa vitiosissima, et nullius ponderis. — *Sociis impia bella tribus*; h. e. gessit bella, quorum tres socii, Triumviri, ipse cum duobus aliis, erant. Hunc modum loquendi, quo unus alicujus sodalitii seorsum quidem nominatur, sed tamen et reliquis sociis connumeratur, exposuit Jan. Rutgersius, Variar. lib. I, cap. 8, et ex eo Dilherrus, Elector. lib. I, cap. 20. Ego malim *sociis tribus* referre ad *bella*, ut sit descriptio illius belli, cujus tres socii fuerunt.

Qui libertatem, Mutinensi Marte receptam,
 Obruit auxiliis, orbe pavente, novis.
Insidias paci moliri tertius ausus,
 Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus, Cæsareo dum vult irrepere regno,
 Incesti pœnam solvit adulterii.

— *Impia bella*, quæ contra patriam gesta sunt. — Sic iu Eleg. V, v. 9, hujus operis tom. II, p. 259, « Fratribus heu! fratres, patribus concurrere natos Impia sors belli, fataque sæva jubent ». Ed.

302. *Urbe favente* B. S. Sz. Alm. *pavente* O. P. C. *urbe patente* malebat Heins. *orbe pavente* edidit Damm. quem sequimur. — *Obruit*, oppressit, *auxiliis novis*, legionibus suis, quibus Antoninm firmavit cootra patriam, et bellum civile redintegravit. Florus, lib. IV, 6: « quasi ignis incendio Lepidus accessit ».

303. *Tertius ausus*, Lepidus, Lepidi triumviri filius, Junia, Bruti sorore, natus, qui interficiendi Cæsaris Augusti, simul in Urbem revertisset, consilia inierat. — *Ausus insidias moliri paci*, quam restituerat Octavius, oppresso Antoonio, et Lepido ad privatam vitam redacto.

304. *Exegit* conjiciebat Heinsius. — *Excepit*, expertus est, pertulit, *fata congrua reis tristibus*, exitum reis miserabilibus cooveniootem. Oppressum et occisum esse, Epitome Livii 133 dicit. Velleius, II, cap. 88: « Mæcenas speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, et mira celeritate oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium ». Cf. Dio, lib. LIV, p. 607; Seneca, de Clement. I, 9; Sueton. Aug. 19.

305. *Irrepere tecto*, seu *lecto*, cooj. Schrad. — *Dum vult irrepere regno*, dum clam et dolo per furta et adulteria occupare vult imperium Cæsaribus debitum, et in locum Caii Cæs. se ingerere. Hic Lepidus Æmilii Paulli ex Julia nepte Augusti filius, ut Lipsius ad Tac. Ann. XIV, 2, vult; sed, ut Ryckius ad eumdem locum, M. Lepidi, qui consul an. 764 cum Statilio Tauro fuit, maritus Drusillæ, quæ soror Caii, et ab hoc destinatus imperii successor, sed convictus postea conjurationis in Caiom, itemque stupri in Agrippinam et Livillam, cum Getulico conjuratioois socio cæsus est. Suet. in Calig. cap. 24 et Claud. cap. 9, atque Dio, lib. LIX. Verbo *irrependi* eleganter utuntur scriptores de re clam et dolo acta, Claudian. in Entrop. I, 146: « quis non irrepere sacris Obsequiis doluit toties venale cadaver? » — Terentianus Maurus: « Qua potui tamen obrepens incepta peregi ». Ed. — Tac. Ann. I, 7, de Tiberio: « dabat et famæ, ut vocatus electusque potius a re publica videretur, quam per uxorium ambitum, et senili adoptione irrepsisse ».

306. *Incesti ..... adulterii* cum Agrippina et Livilla, sororibus Caii, quod incestum vocat, quia ipse Drusillæ, earum sororis, maritus erat, et cum istis etiam sanguine

Nunc quoque... Sed melius de nostris fama queratur:
  Judex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores?
  Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
  Quod Lepidum toties recidit ense malum.

Necdum decessis pelago permittimur umbris.

junctus. Nam Julia, mater ejus, soror fuit Agrippinæ, quæ mater Caii et sororum.

307. Quædam vett. edd. post *quoque* et post *melius* distinguunt, aliæ post *quoque* tantum, ut Barth. qui primum conj. *de notis*, mox vulgatam lectionem *nostris* repetit, et integrum versum sic distinguit: *Nunc quoque: sed melius de nostris fama queretur*. Quam distinctionem nos cum Burmanno et Damm. merito sequimur. Cæterum Burmannus adhuc conjicit *Nunc quoque*, *Di melius*, vel *Hunc quoque, sed melius*, etc. quasi descripturus quinti alicujus Lepidi scelera. *Queratur* Dammius et Kappius reposuit, recte, ut respondeat sequenti *notet*. — *Nunc quoque... Sed melius*. Est aposiopesis, qualis illa Virgilii, Æn. I, 135: « Quos ego... Sed motos præstat, etc. » Hoc enim vult: Nunc quoque exstant impii Lepidi, priscis illis similes; sed de nostris (nostrorum temporum) illis melius queratur fama communis, quam nos; et posteritas *semina dira*, genus illud infaustum et dirum, quod scelera majorum cum ipso semine propagat, *notet*, reprehendat, meritis probris adficiat. Cæterum obscura sunt istorum nebulonum, in quos invehitur auctor, gesta. Credibile est, eum Lepidos illos moribus, non nomine, designatos velle.

308. *Vindex posteritas* malebat Heinsius.

309. Signum interrogationis post *mores* antiquiorum pleræque edd. omittunt.

311. *Quidquid id est*. Nota formula. Virgil. Æn. II, 49: « Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes ». Ovid. Her. XIX, 203: « Quidquid id est, timeo: nec tu mea somnia ride ». — *Mirus Latiis annalibus ordo*, mirum est, talem quasi ordinem et continuam seriem hominum malorum unius gentis in historia Romana observari.

312. *Quod Lepidum toties*. Vid. Excursus V ad calcem hujus carminis. — Pro *recidit* Heinsius et Burmannus tentarunt *rescidit*. Alia vide in Excursu.

313. *Discussis* conj. Almel. *discussis* vel *detersis* Heins. *permittitur* B. O. S. Sz. *permittimur* C. P. Alm. et rel. conf. v. 321. — *Necdum decessis umbris*, quum nondum decessissent noctis tenebræ. Plenius Virg. Ecl. VIII, 14: « Frigida vix cælo noctis decesserat umbra ». Formavit auctor *decessis* ad aliorum rationem, quæ occurrunt apud antiquiores, ut sunt *sol occasus*; et pariter Ciceronis filius, Famil. epist. patris, lib. XVI, ep. 21, « Successa mihi omnia velis » dixit. Sic quoque

Natus vicino vertice ventus adest.
Tenditur in medias mons Argentarius undas,
Ancipitique jugo cærula curva premit.
Transversos colles bis ternis millibus arctat,
Circuitu ponti ter duodena patet:
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Isthmos
Ionias bimari litore findit aquas.
Vix circumvehimur sparsæ dispendia rupis;

defectus annis Phædro et aliis. Ed.— *Pelago permittimur*, mare ingredimur.

314. *Vortice* omnes antiquæ, Almel. et Bu. *vertice* scribendum putavit Barth. idque receperunt Damm. et Kapp. Atque hoc rectum videtur. — *Natus vicino vertice*, h. e. monte, qui mox nominatur mons Argentarius. Nasci in montibus videntur venti nautis, quia montium objectu quasi collecti et repulsi magis sentiuntur. Hanc opinionem passim servant poetæ; ut Ovid. Metam. III, 603: « Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto, Prospicio ».

315. *Mons Argentarius*, chersonesus in mare excurrens. Promontorium Argentarium Strabo vocat, augusta cervice continenti adhærens, peninsulæ ritu. Cervicis sive isthmi latera tangunt, hinc ab ortu solis Portus Herculis, illinc ab occasu stagnum marinum, λιμνοθάλαττα Straboni.

316. *Ancipitique jugo*, a duobus lateribus promontorii. — Leander *cærula rura*, quod recepit Alm. et Damm. Nisi obstaret metri ratio, Almel. legere volebat *cærula cava* ex Ennii Menalippe apud Macrob. Sat. VI, 4. Burmannus non hoc modo, sed et *rura* rejicit.—*Cærula curva*, mare, quod processu montis curvatur. Sic Lucilius, Ætn. 93: « Extremique maris curvis incingitur undis ». *Cærula* apud poetas substantivi vim habent, et ipse Noster, inf. II, 30, *cærula Etrusca* dicit. — *Premit*, submovet et sustinet, ut Seneca, Hippol. 25: « Qua curvati litora ponti Sunion urget ».

317. *Transversos colles*, h. e. si per transversum montem terrestri itinere eas, videbis *arctari* istos colles *bis ternis millibus*, tantummodo sex millia passuum emetienda esse; sed *circuitu ponti*, si maritimo itinere circum naviges, *patet ter duodena*, triginta sex millia passuum. — Pro *arctat* Leand. *effert*.

319. *Per geminos fluctus*, sc. porrectus. — *Ephyreius Isthmos*, Corinthiacus. Inde « Corinthus bimaris » Horatio, Carm. I, 7, 2.

320. *Finit aquas* conj. Burm. Putat et sic legi posse: *Quali inter geminos fluctus Ephyreius Isthmos Ionias bimari litore finit aquas*, ut *quali* jungatur cum *litore bimari*.

321. *Circumvehitur*, scilic. navis, Reusn. vid. vers. 313. — *Sparsæ dispendia rupis*, ambitus et obliquos flexus rupium, hinc inde sparsarum, quæ quoniam circumvehendæ sunt, dispendiosam viam faciunt. Sic *dispendia silvæ*, quæ per ambages et incerta viarum adeunda

Nec sinuosa gravi cura labore caret:
Mutantur toties vario spiramina flexu:
Quæ nunc profuerant vela, repente nocent.

Eminus Igilii silvosa cacumina miror:
Quam fraudare nefas laudis honore suæ.
Hæc proprios nuper tutata est insula saltus
Sive loci ingenio, seu domini genio;
Gurgite quum modico victricibus obstitit armis,
Tamquam longinquo dissociata mari.

est, et viatorem moratur, apud Lucan. VIII, 2: « Hæmoniæ deserta peteus dispendia silvæ ».

322. *Rura... carent*, i. e. litora, vel terra labore caret, conj. Alm. *ripa ... caret* Burm. — *Nec sinuosa gravi cura labore caret.* Hæc est e durioribus Rutilii locutionibus, nec tamen prorsus obscura, ut alia lectione mutari debeat. *Sinuosa cura* est cura velorum, vel velificatio flexuosa per varios sinus et anfractus litoris, quæ *gravi labore* non *caret*, ubi toties mutato vento et flexu litoris mutanda etiam vela et vento accommodanda sunt. Distichon sequens satis hoc declarat, et alius locus Nostri, v. 429, ubi *currere curamus velis* explicandum est, vento reverso curiose dirigimus vela, ut vento impleta cursum accelerent. Hinc *cura* magistro et rectori navis tribuitur, ut apud Val. Flacc. IV, 268: « spumanti qualis in alto Pleiade capta ratis, trepidi quam sola magistri Cura tenet ». — Vocem *sinuosus* explicat Gebhardus, Crepund. lib. III, cap. 8, et Quintiliano in proœmio libri VIII vindicat. Dicit autem *sinuosum* esse, quod per multos sinus, multasque ambages producit ac detinet. Eu.

324. *Quæ non profuerant* B. O. S. P. *Quæ nunc profuerant* mutavit Siml. et recepit Alm. et Damm. *Quæ modo* Cast. Burm. Kapp. *jam* volebat Barth.

325. *Igilii*, parvæ insulæ, quam Plinius, III, 6, cum Dianio vel Artemisia contra Cosanum litus, sive ante Argentarium promontorium collocat. Meminit et Cæsar Bell. Civ. I, 34. Hodie est *Giglio*. — *Sinuosa* Reusu. pro *silvosa*.

327. *Tutata est*, tutos præstitit saltus suos ab incursionibus hostium, Gothorum per Italiam grassantium. — *Nuper*, ante paucos annos.

328. *Sive loci ingenio*, naturali situ loci, utpote insula, non sine navibus adeunda: ut Claud. Rapt. Pros. I, 139, de Sicilia: « Commendat Siculis furtim sua pignora terris, Ingenio confisa loci ». — *Seu domini genio*, fortuna et numine Imperatoris, Honorii. Stat. Silv. V, 1, 74: « Et mitem Genium domini præsentis adoras ».

329. *Victricibus armis*, Gothorum et Alarici regis, qui Urbem ceperat. Insigni errore Cluverius, Ital. Ant. II, pag. 502, putat Totilam, Gothorum regem, innui, qui sub Justiniano Imperatore Romam cepit.

Hæc multos lacera suscepit ab Urbe fugatos;
Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat æquora bello
Contra naturam classe timendus eques.
Unum, mira fides, vario discrimine portum
Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.

Tangimus Umbronem : non est ignobile flumen;
Quod toto trepidas excipit ore rates :

331. *Lacera ab Urbe*, direpta et vastata a Gothis, ut *laceros fundos* supra dixit v. 29, et *lacerum imperium* Claud. Stil. I, 282.

333. *Populaverat æquora*, insulas in mari vastaverat, *bello terreno*, equitibus in eas trajectis, quorum bello terreno tantum usus est.

334. *Contra naturam*, quia equites classibus et bello navali non apti. — *Eques* vocatur hostis equitatu maxime constans, et terras pervolare adsuetus.

335. *Mira vides*, vel *vera fides* conj. Burmann. mox aliter tentat: *Unum, mira quies vario discrimine, portum*, etc. — *Mira fides*, res vera, licet maximopere miranda est : quod luculentius exprimit Ovid. Trist. IV, 1, 66 : « Vera quidem, vera sed graviora fide ». — *Unum portum*, unum locum in quem trajici posset, duobus populis fuisse sed *vario discrimine*, dispari fortuna, *tam prope Romanis*, qui in eo propinquum et opportunum perfugium reperiebant, *tam procul esse Getis*, qui eum ignorabant, aut obliti erant, quo minus invaderent, quasi remotissimus esset. Igitur fato quodam et felicitate singulari factum esse significat, ut Igilii incolæ et profugi Romani ab incursione Gothorum tuti essent; neque accurate mentem auctoris ceperunt Barthius et Burmannus, qui Gothos ab insulanis repulsos dicunt ad v. 333 et 334. Cæterum, quæ hic memorat Rutilius, a nullo alio scriptore attingi memini. Claudianus tantum significat, Italos multos metu Gothorum fugam in Sardiniam et Corsicam insulas meditatos esse, Bell. Get. v. 217 seq.

336. *Tam prope Romanis*, in eumdem modum Martialis de vicino suo Novio, lib. I, 87, 10: « nec urbe tota Quisquam est tam prope, tam proculque nobis ».

337. *Tangimus*, accedimus, ingredimur *Umbronem*, de quo fluvio Plinius, lib. III, 5 : « Umbro navigationum capax, et ab eo tractus Umbriæ ».

338. *Quod tuto* omnes edd. præter Burmannum, qui *toto* edidit, sed rationem adjectam in notis nullam invenio. Ipse tamen hoc probo et præfero alteri, et firmant sequentia. Sed *toto* postea Burmannus editor sua manu delevit, et pro eo reddidit *tuto*, ut scribit Santenius. — *Quod*, quia, *rates trepidas*, præ metu tempestatis ad litus proximum festinantes, *excipit toto ore*, toto qua patet ostio, siquidem om-

Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
  In pontum quoties sæva procella ruit.
Hic ego tranquillæ volui succedere ripæ:
  Sed nautas, avidos longius ire, sequor.
Sic festinantes ventusque diesque relinquit;
  Nec proferre pedem, nec revocare licet.
Litorea noctis requiem metamur arena:
  Dat vespertinos myrtea silva focos:
Parvula subjectis facimus tentoria remis;
  Transversus subito culmine contus erat.

ni parte alvei sui facilem nec ullo modo impeditum aditum præbet. Hæc explicatio, quæ et sequenti versu confirmatur, *toto*, legendum esse, non *tuto*, suadet. Nonne videtur Rutilius adludere ad hoc Virgilianum voluisse, Æn. VIII, 712, ubi Nilus dicitur « pandere sinus et tota veste vocare » fugientem Marcum Antonium?

339. *Tam facilis* omnes edd. Burmannus tamen in notis mavult *Nam*, quod recepit Kapp. — *Tam facilis* ad excipiendas naves *patet* et amplus est alveus, *pronis semper undis*, quia undæ semper ex mari in alveum revolutæ, vi fluctuum marinorum, naves in ostium devehunt.

341. *Hinc ego* conj. Kapp.

343. *Festinantem* omnes antiquiores, sed *festinantes* Damm. et Kapp. posuerunt: et hoc volebat Schrad. — *Relinquit*, destituit et moratur, quia pergere volentibus non sufficit: expressum hoc e Virg. Æneid. III, 568: « Interea fessos ventus cum sole relinquit ». Claud. Bell. Get. 353: « tenebris si cæca repressit Nox iter ».

345. *Metemur* Sitzm. et Barthii ed. mendose. — *Noctis requiem metamur*, locum capimus ad requiem nocturnam, ad pernoctandum, mansionem. — *Metari*, vocabulum a re castrensi petitum, proprie notat locum castris ponendis designare, hic ad mansionem nocturnam transfertur, quemadmodum similes phrases *castra movere* vel transferre de profectione vel mutata habitatione usurpari solent. Propert. IV, 8, 28: « Mutato volui castra movere toro ». Martial. V, 14: « Bis excitatus terque transtulit castra ». — Et vid. Epithal. Anspicii et Aellæ, v. 54, hujus op. nostri, t. III, pag. 391. Ed.

347. *Subrectis* conj. Heinsius et Gron. ad Sen. Thyest. 54. — *Remis* loco fulcrorum *subjectis*, ex adverso erectis, invicemque junctis in superiore parte et leviter decussatis, ita ut *transversus contus* super imponi posset, pro *culmine* futurus. — *Subrectis* quidem malebat Gronovius, sed idem valet *subjectis*: nam *subjicere* sæpe est in altum erigere, ut in hoc Maronis, Ecl. X, 74; « Quantum vere novo viridis se subjicit alnus »; et hoc loco *subjectis* melius convenit transverso conto, qui imponitur.

348. *Subito culmine*, in subitario

Lux aderat; tonsis progressi, stare videmur:
  Sed cursum proræ terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,
  Qua nil uberius Norica gleba tulit;
Non Biturix largo potior strictura camino,
  Nec quæ Sardoo cespite massa fluit.

culmine efficiendo, vel, quum subitum culmen fieret. Vide similem locutionem supra v. 80 et 285. Barthius quidem legendum existimavit *culmina*, vice culminum, nec id male; sed tamen nihil muto, præsertim quia vocula *pro* facile subintelligi potest.

349. *Tonsis progressi*, dum ad progrediendum remis tantum utimur, vento destituti, adeo tarde procedimus, ut *stare videamur*, quasi immobiles.

351. *Memorabilis Ilva metallis*. Ilva insula adjacens Tusciæ in conspectu Populoniæ, a Græcis Æthalia dicta, ut ait Plinius, III, 6, qui et ferri metalla ejus laudat libro XXXIV, 14. Pariter Virgil. Æneid. X, vs. 174: « Insula, inexhaustis chalybum generosa metallis »; qui quod *inexhausta* ejus *metalla* vocat, id Strabo, lib. V, p. 343, declarat, memorans, in Æthalia loca, unde metalla eruta sunt, rursus longo temporis tractu impleri. Add. Sil. Ital. VIII, 617. Plura de Ilva, quæ hodie *Elba*, vid. ap. Petr. Victorium, Var. Lect. lib. XIX, cap. 10; Cluverium, Ital. lib. II, p. 502, et Jo. Beckmannum ad Aristotelem, de Mirab. pag. 194.

352. *Qua nihil* omnes edd. priores Dammio, qui *nil* posuit. — *Norica gleba*, metalli ferax gleba, quæ effoditur in Norico, provincia ferri et chalybis fodinis celeberrima: inde « Noricus ensis » Horat. Carm. I, 16, 9.

353. *Strictura*, candentes favillæ magno igne, quo ferrum conditur, excitatæ; tum opus ipsum, quo strictura fit, et officina ferraria. — *Biturix strictura*, officina ferrum præparans in Biturigibus, hodie *Bourges*. Et apud Bituriges *magnas ferrarias* fuisse testatur Cæsar, Gall. VII, 22; qui et *ærarias stricturas* apud Aquitanos memorat Gall. lib. III, cap. 21.

354. *Sardonio* omnes antiquiores habent, sed in eo metri vitium notavit Grævius, atque hinc *Sardoo* posuerunt Burmann. et reliqui. Vid. Heins. ad Claud. Bell. Gild. 508, et ad Calpurn. Ecl. XI, 53. — *Nec massa* chalybis sc. potior est, *quæ cespite Sardoo*, de glebis Sardiniæ, *fluit*, excoquitur. — *Sardonico* vetus videtur fuisse scriptura. Σαρδονικὸς etiam agnoscit Suidas in Σαρδονίον πέλαγος. Antiquior lectio non facile immutanda erat. Per ο, non ω, scribitur ab Homero, ap. Suid., v. Σαρδώνιος γέλως, ubi *Kuster* docet frequentius τῷ ο uti poetas. Ipse Plato, Polit. I, p. 413, G. ἀκούσας ἀνεκάγχασε μάλα Σαρδόνιον. Ed. — Barthius dubitat, an cespitem pro massa ista, quæ æra continet, an pro gleba arida et incisa, vel cespite ustili, quem pro lignis urebant, habere debeat. — *Massa* de quovis metallo gravi dicitur; vid.

Plus confert populis ferri fecunda creatrix,
Quam Tartessiaci glarea fulva Tagi.
Materies vitiis aurum letale parandis;
'Auri cæcus amor ducit in omne nefas:
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
Virgineosque sinus aureus imber emit:
Auro victa fides munitas decipit urbes:
Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contra ferro squalentia rura coluntur:
Ferro vivendi prima reperta via est.
Sæcula Semideum, ferrati nescia Martis,

Ovid. Am. III, 8, 38, et Calpurn. IV, 120.

355. Barthius forte scribendum conj. *ferri fecunda eicatrix*, cujus emendationis intellectum non habeo. — *Ferri fecunda creatrix*, quæ ferrum gignit rude, mox excoquendum. Contra Valerius Flaccus nocentes populis fuisse, et bellum creasse ait, qui ferrum primi procuderunt, lib. V, 143: « sonat illa creatrix Prima manos belli, terras crudelis in omnes ».

357. *Fatale parandis*, vel *patrandis* conj. Burmann. — *Aurum letale*, perniciosum, pestiferum. — *Materies*, caussa vel adjumentum, *vitiis parandis*, quasi emeodis, irritandis: ut Ovid. Met. I, 140: « Effodiuntur opes, irritamenta malorum ». — Et Sulpicius Lupercus, in Elegia de Cupiditate, vs. 4 et 6, hujus operis tom. II, pag. 292, aurum « ferale pretium » et « turpis materiam sceleris » vocat. Horatius, Carm. III, 24, vs. 49, « summi materiam mali ». Ed.

359. *Legitimas tædas*, legitimi conjugii fidem, *expugnant*, corrumpunt et pelliciunt ad adulterium. « Expugnare toros » dicit auctor Epit. Hom. v. 259, ubi alia vide.

360. *Imber init* volebat Schrader. — *Aureus imber emit*, larga donatio pellicit virgines, ut eant in complexus illicitos. Adludit ad fabulam de Danae. Lucil. in Ætn. 88: « Jupiter ut Danaes pretiosus fluxerit imber ». Lactantius, Inst. Div. I, 2: « Danaen violaturus Jupiter, aureos nummos largiter in sinum ejus infudit: hæc stupri merces fuit ».

361. *Munitas decipit urbes*, incolas et defensores urbium munitarum, qui munitionibus iis confisi produntur a præfecto corrupto. — *Urbem* sæpe pro civibus poni notavit Servius ad Virg. Æneid. VIII, 37. Santen.

362. *Ambitus ipse furit*, furiose et impudenter invadit honores non meritos, *flagitiis*, fœdis corruptionibus auri. — *Flagitium* est, quod flagitatione aut sollicitatione aliqua impudente committitur.

364. *Vivendi reperta via est*, ratio vitæ tuendæ, victusque parandi: nempe agricolatione, quæ sine ferreo instrumento fieri nequit.

365. *Sæcula* prima et aurea *semi-*

Ferro crudeles sustinuere feras.
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
Si non sint aliæ, ferrea tela, manus.
His mecum pigri solabar tædia venti:
Dum resonat variis vile celeusma modis.

Laxatum cohibet vicina Faleria cursum,

deum, hominum Diis proximorum, *ferrati nescia Martis*, etsi bella et cædes mutuas, quæ ferro exercentur, ignorabant, *ferro* tamen utebantur, ad *ferarum* in se irruentium impetum *sustinendum* et arcendum. Sic Gratius, Cyneg. v. 13, primorum hominum vitam dicit « trepidam bello ferino » fuisse. —Vid. huj. op. t. I, p. 36, vs. 13. Ed.

369. *Sanabar tædia* B. S. vitiose: *solabar* O. C. P. Sz. et rel. — *Solabar*, levabam, *tædium* moræ, quam faciebat mihi *ventus piger* et vix promovens. Sic « solari fessum corpus auxiliis » dixit Grat. Cyneget. vs. 473.

370. *Celeuma* veteres B. O. S. P. C. Sz. *celeusma* Alm. et rel. — *Dum resonat vile celeusma*, dum remiges vile illud sonum et inconditum canticum, celeusma, modulantur, quo levare et hortari laborem solent, ubi tarda et pigra navigatio est. Martial. III, 67, 4, « Quorum per vada tarda navigantes, Lentos tingitis ad celeusma remos ». *Clamor nauticus* dicitur alibi Virg. Æn. III, 128; Lucan. II, 688; Val. Flacc. I, 186. Hoc celeusma tum temporis Christianorum vocem *Alleluia* resonasse, indicat Sidon. Apoll. lib. II, epist. 10. Sed errat Barthius, qui propterea *vile* a pervicaci idololatra nominari putat. Nam *vile* carmen est vulgare, sine ingenio et arte, quemadmodum Horatius, Art. Poet. 132: « Nec circa vilem patulumque moraberis orbem ». — Cl. Santenius, ut ipse refert, hoc loco *Ilva* tentavit pro *vile* in commentario, quem testante Wernsdorfio, edere intendebat ad Terentian. v. 1460, ubi de celeusmate agit, monetque a Rutilio expressum esse Æschylum, Pers. v. 391, et convenire ei cum Longo, lib. III, p. 87, et Sidonio, Epist. II, 10, pag. 148 et 152. Ed.

371. *Lassatum* habent antiquæ B. O. S. P. sed quia hoc contrarium verbo sequenti *cohibet* visum, *laxatum* dedit Cast. Sz. Alm. et rel. vid. vers. 35. *Falesia*, non *Faleria*, voluit hoc in versu legere Hier. Surita ad Antonini Itin. — *Laxatum*, quem laxiorem longioremque institueramus, *cursum*, nempe integro die continuandum, *vicina Faleria cohibet*, suadet ut cohibeamus, sistamus, abrumpamus, quamquam vix medius dies prætericrat. Perperam Dammius *laxatum* accepit de labore nautarum laxato; sed *cohibet*, quod contrarium est *laxato*, sensum, quem dedimus, poscit. — *Falesia*, sive ut Itinerarium scribit, *Faleria* portus, inter Vetulonios et Populoniam, prope habens stagnum Caldanum, sive aquas calidas Vetulonias, quas piscibus abundare scribit Plinius, lib. II, cap. 103, et Noster paullo post laudat.

Quamquam vix medium Phœbus haberet iter.
Et tum forte hilares per compita rustica pagi
Mulcebant sacris pectora fessa jocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osiris
Excitat in fruges germina læta novas.
Egressi, villam petimus, ludoque vacamus;
Stagna placent septo deliciosa vado.

373. Hoc et sequens distichon *Illo quippe* translocanda et invicem permutanda putat Kapp., atque hinc pro *Et tum* vult *Nam tum*. Ego hæc certe minus necessaria arbitror. *Rustica fagi* habent vetustæ B. O. S. P. pro quo *vagi* voluit Simlerus, contra metrum : rectius *pagi* emendavit Cast. quod Sitzm. et reliqui receperunt. Kappius tamen *facti* posuit. — *Hilares...pagi*, homines in pagis degentes, rustici et agricolæ. Calpurn. IV, 13: « nostro tantum memorabile pago». Horatius, Carm. III, 18, 11: « Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus ».

374. *Pectora fessa* a laboribus jam finitis arandi et conserendi agros. — *Sacris jocis*, verbis ludicris, conviciis et opprobriis, quibus uti mos erat in sacris rusticis. Conf. Horat. Epist. II, 1, 139 seqq.

375. *Osyris* scribunt fere omnes. —*Tandem renovatus Osiris*. Pulchre hoc exponit Dammius : Illo die finita erat aratio et satio autumnalis; jacta semina incipiebant propullulare in agris. Osiris dicebatur Ægyptios agriculturam docuisse, certe sic existimabant Romani. Tibullus, I, 7, 29: « Primus aratra manu sollerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum ». Hinc Osiris pro ipsa agricultura, vel satione frugum a poeta ponitur. Vid. Plut. de Iside et Osiride, et Jul. Firmicus, de Error. prof. relig. Ed. — *Renovatus Osiris* potuit dicere pro invento, quia Ægyptii Osirim suum in sacris modo mortuum vel amissum, modo inventum celebrabant : sed tamen et ager, quem h. l. designat Osiris, *renovari* dicitur arando et serendo. Ovid. Am. I, 3, 9: « Nec meus innumeris renovatur campus aratris ». Conf. Tibullus, III, 3, 6. Inde *novalia*.

377. *Petimusque luthoque* vel *lutoque* B. O. S. Ch. Sz. Alm. *petimus, lutoque vagamur* Pith. C. *ludoque vagamur*, i. e. per ludum, ludendo, emendavit Barth. idque sequutus est Damm. *lucoque vagamur* Heins. Dempsterus in Etrur. reg. IV, cap. 12, et Burm. Heinsius tamen ad Ovid. Met. XIII, 903, legit *lateque vagamur*. Ego *ludoque vacamus* emendandum duxi. — *Ludoque vacamus*, h. e. damus nos otio et ludo rusticorum jocantium spectando. Videatur Excursus VI ad calcem hujus carminis.

378. *Desidiosa* conj. auctor incertus in Observ. Miscell. III, 3, pag. 366, quod tamen vix pati adjectum *placent* videtur. — *Stagna placent*. Stagnum Caldanum, an aliud intelligat, perinde est, certe nativum stagnum, vel piscinam, intelligit; id vero *deliciosum*, jucundum et delectabile esse ait, quod *vadum* ejus, proxima ripæ et vadosa pars, *septum*

Ludere lascivos intra vivaria pisces
Gurgitis inclusi laxior unda sinit.
Sed male pensavit requiem stationis amœnæ
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Judæus agebat,
Humanis animal dissociale cibis.

et conclusum erat, ut piscium vario genere servando delicias popinales juvaret. Nempe celebrata antiquitus illa ratio piscium capiendorum servandorumque fuit, ut obstructis vel septis aquarum angustiis pisces eo aberrantes vel coactos concluderent. Quod genus perinde describit Ausonius in Mos. v. 331: « Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces Apricas scopulorum inter captare novales ».

379. *Inter vivaria* omnes, ego aptius putavi *intra*, quod quoque volebat Schraderus. — *Intra vivaria*, in stagno, quod plurium generum pisces vivos, ad usum culinæ parandos, continebat. Vivaria dicuntur quorumvis animalium vivorum receptacula; hic piscium, quæ in Italia maxime frequentia, et Romanis gulonibus acceptissima erant. Conf. quæ de piscinis Romanorum diximus in prœm. ad Halieut. huj. op. t. I, p. 200 seqq. Ed.— Erant et Cæsarum peculiaria, ut ex hoc Juven. adparet, Sat. IV, 50: « Non dubitaturi fugitivum dicere piscem, Depastumque diu vivaria Cæsaris ».

380. *Unda sinit*, omnes, quod optimum et convenientissimum nescio cur Dammius mutaverit in *facit*. Adposite Terentius, Adelph. III, 4, 14: « congrum istum maximum in aqua sinito ludere Paullisper »; alii, *Tantisper*. Ed.

381. *Sed male pensavit*; malam nobis gratiam retulit ob *requiem stationis amœnæ*, quod requiescere, et nos recreare loco illo amœno volueramus.—*Requies stationis*, ut supra 345 *requiem metari*. Sed potest etiam stationem hic vocare, quod requieverat forte ea in ripa stagni, ubi naviculæ piscatoriæ stabant.

382. *Convictor* vol. Heins. *durior* omnes, sed *dirior* legendum censet Drakenb. ad Sil. XIV, 126. — *Hospite durior Antiphate*, qui Læstrigonum rex pessime accipere peregrinos solitus, notus ex Hom. Odyssæa, X, 114 seqq. et Ovid. Met. XIV, 233, seq. Quia *conductor* hic memoratur, videtur ea aqua fuisse publica, cujus e piscibus vendendis vectigal pendebatur Principi: quemadmodum lacum Lucrinum publicam fuisse aquam, et conductorem Considium publicanum, memorat Valer. Max. IX, 1, 1. De conductoribus domus Augustæ lex est tit. 26 libri X Cod. Theod. Et Judæos conductores fieri potuisse, non est dubium, quoniam, ut leges eorum temporum docent, et Palatina militia, et Curialium munerum honore fungi, et, si literis instituti essent, advocationem exercere poterant. Vid. leg. 24, tit. 8 de Jud. et cælic. lib. XVI Cod. Theod.

384. *Animal* per convicium et probrum vocat Judæum, quasi diversum ab homine; unde et *dissociale cibis humanis* dicit, h. e. quod

Vexatos frutices, pulsatas impulat algas;
Damnaque libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obscenæ convicia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit:
Radix stultitiæ: cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione sua est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.
Cætera mendacis deliramenta catastæ

commnnibus hominum cibis vesci non potest, et eorum caussa dissidet a cæteris, nec convivia init cum aliis gentibus. — *Dissociale* pro *dissociabile* dixit, nimirum quod counjungi sociarique non potest: nam dissociale proprie est illud, quod non est sociorum. Cæterum humanis cibis præcipue accensere videtur carnem suillam, quam pecudem Romani cibi tantnm caussa natam esse credebant; vid. Cic. de Natura Deorum, II, 64. Hinc Juvenalis, XIV, 98, de Judæis: « Nec distare pntant humana carne suillam ». Contra « inhumanos cibos » Minucius iu Octav. cap. 8 dicit, qui potins sunt ferarum.

385. *Calcatas computat algas* malebat Heinsius.

388. *Propudiosa*, sine ullo pudore.

389. *Radix stultitiæ* gens, a qua nihil nisi stultum prolatum et illatum orbi est.—*Frigida* dici *sabbata* videntur duplicem ob rationem, quod ea Judæi ignave et sine opere, et quod jejunio transigere credebantur. Frigus attribuitur torpori et segnitiæ; contra opus et labor fervere, ardere dicitur: frigida etiam jejunia, quoniam nec vino incalescnnt, nec cibum adpetunt algente foco. « Jejunia sabbatariorum », i. e. Judæorum, ait Martialis, IV, 4, 7.

391. *Septima quæque dies damnata*, fœdata, quasi damno et pœna affecta, est *turpi veterno*, otio et torpore. — *Veternus* proprie est perpetua somnolentia, vel dormiendi necessitas, medicis *lethargus*: deinde pigritia et inertia nulli operi apta: quo sensu Virg. Georg. lib. I, 124: « Nec torpere gravi passus sua regna veterno ». Hac ignavia sabbata Judæornm inprimis notantur a Romanis. Ovid. Art. Am. I, 415: « Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis, Culta Palæstino septima festa Syro ». Juvenalis, XIV, 105: « cui septima quæque fuit lux Ignava, et partem vitæ non attigit ullam ».

393. *Mendacis deliramenta catastæ*. Catasta fnit pegma ligneum, in quo mangones servos venales collocabant ad inspiciendum: « tabulata catastæ » vocat Mart. IX, 60, 5; « machinas » Cicero, de pet. Cons. c. 2; « venalitium titulis pictum » Petron. c. 29. Hoc loco *catasta* pro illis, qui catastæ imponuntur, servitiis venalibus, hominibus vilissimis catasta dignis, quales vult esse Judæos. Conf. Juglerus, de Nund. serv. cap. 5. *Mendacia et deliramenta* Judæis, ut catasta dignis, tri-

Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Adversus surgit Boreas : sed nos quoque remis
Surgere certamus, dum tegit astra dies.
Proxima securum reserat Populonia litus,

buit, quoniam in catastis venditio mancipiorum multis mendaciis mangonum, tum ipsorum venalium dicteriis, nugis et nequitiis fiebat, multo etiam clamore turbæ. Unde Martial. IX, 30, 5 : « Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ Vincebant, nec quæ turba Serapin amat ». — Barthius *catastam* intelligit de quodam tormenti genere. Isidorus quidem in Glossis : « Catasta, equuleum, genus pœnæ ». Sed magis commoda Wernsdorfii interpretatio. Ed.

397. *Excisæ gentis* edidit Damm. — *Excisæ pestis*, pestilentis illius populi, postquam excisus est, *contagia latius* nunc, quam quidem antea, serpunt. Potest respicere ad privilegia et libertates eo tempore Judæis, sua quidem opinione, indigne concessas; verum per latus Judæorum Christianos hic tecte peti, ut Pithœus, Lipsius, Barthius, et Huetius in demonstr. Ev. Prop. III, § 21, opinati sunt, hoc e verbis Rutilii vix licet colligere. Plura diximus in præf. nostra.

398. *Victoresque suos*. Simile illud Horatii, Epist. II, 1, 56 : « Græcia capta ferum victorem cepit »

400. *Quum tegit* omnes antiquiores. Heinsius malebat *dum*, quod recepere Dammius et Kapp. atque ego probavi. — *Surgere certamus* : nos hoc intentius surgimus et nitimur remis, quo magis adversari ventus videtur, ut eum superemus. Virgilius *insurgere* solet. Æn. III, 207 : « Vela cadunt, remis insurgimus », h. e. innitimur, incumbimus; et v. 560, « pariterque insurgite remis ». Valer. Flacc. IV, 680, « eniti remis » ait.—*Dum tegit astra dies*, dum sol lucet, et astra nulla cernuntur. — Sic Lucanus, VIII, 202 : « Ostendit terras Titan et sidera texit ». Ed.

401. *Referat* legit Leander, quod quomodo hic locum habeat, difficulter video.—*Populonia*, quæ alias Populonium, urbs antiqua Etruscorum in promontorio, Rutilii tempore excisa et deserta, sed ad radices montis subjectum habens portum et navale, quod tum habitabatur multis, et ferrarias officinas habebat, in quibus ferrum ex Ilva insula translatum coqui et elaborari solebat. — Sic Servius ad Æn. lib. X, 174 : « Varro dicit de Ilva, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi, nisi transvectum in Populoniam, Tusciæ civitatem ». Ed. — Situm et originem ejus describit Strabo, lib. V,

Qua naturalem ducit in arva sinum.
Non illic positas extollit in æthera moles
Lumine nocturno conspicienda Pharos;
Sed speculam validæ rupis sortita vetustas,
Qua fluctus domitos arduus urget apex,
Castellum geminos hominum fundavit in usus,
Præsidium terris, indiciumque fretis.
Agnosci nequeunt ævi monumenta prioris:
Grandia consumpsit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris:

p. 223, quorum singula fere expressit Rutilius.—*Reserat litus*, i. e. patulum et conspicuum ostendit: alii *pandit* dicunt, ut Claudian. in Ruf. I, 123: « extremum qua pandit Gallia litus ».

402. *Qua*, ea parte ubi, *ducit in arva sinum*, recessum aliquem vel sinum maris in terram reductum efficit: supra, vs. 245: « Interior medias sinus invitatus in ædes ». — — *Naturalem* vocat non opere humano munitum. Sic *naturale theatrum* Auson. Mos. 156.

403. *In æthera* omnes antiquæ: *ad* Damm. et Kapp.— *Non illic... Pharos.* Non aliqua excelsa turris, Phari instar, illic ædificata, quæ nocturno igne procul in æquore conspiciatur. A Pharo Alexandrina ejusmodi turres nominari solent: ut apud Auson. Mos. 329, quem locum perperam Silio tribuit Castalio: «Sublimique minans irrumpit in æthera tecto, Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim». Et de turri in portu Ostiensi Juven. XII, 75: «Tandem intrat positas inclusa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum, Quæ pelago occurrunt medio».

405. *Speculum* habent antiquæ B. O. S. P. mendose: *speculam* posuit Cast. Sz. et rel. — *Sed speculam validæ rupis*, prominentem et excelsum locum in valida rupe *sortita*, nacta munere naturæ. — *Vetustas*, vetusti incolæ et conditores. — *Speculas* vocare solent Romani omnia montium excelsa, unde late prospectus patet. Virg. Ecl. VIII, 59: « Præceps aerii specula de montis in undas Deferar ». Florus, IV, 2, 76, « Herculis speculas » columnas sive promontoria dicit. Atque hinc Val. Flacc. VII, 190: « Caucaseis speculatrix Juno resedit Rupibus ». Strabo l. c. in promontorio Populonio θυννοσκοπεῖον esse memorat, speculam, e qua piscatores thynnos observent. — Etiam *speculas* de promontoriis usurpat Avien. Perieg. v. 473. Ed.

406. *Qua fluctus urget*; vid. not. ad versum 316.

407. *Fraudavit* est in vett. B. O. S. Leander correxit *fundavit*, et hinc Cast. P. Sz. etc.

408. *Præsidium terris*, ut agros et incolas a prædonum insidiis tutaretur. — *Indicium fretis*, ut navigantibus procul conspiceretur.

411. *Sola manent vestigia*, reli-

Ruderibus late tecta sepulta jacent.
Nos indignemur, mortalia corpora, solvi?
Cernimus exemplis, oppida posse mori.

Lætior hic nostras crebrescit fama per aures:
Consilium Romam pæne redire fuit.
Hic Præfecturam sacræ cognoscimus Urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.

qua sunt et cerni possunt, *intercepтis muris*, dum muri ipsi interea destructi sunt, interciderunt.

412. *Ruderibus latis* omnes antiquiores: *late* suasit Barth. idque cum Dammio recepi: *ruderibusque altis* conj. Kapp. — *Tecta sepulta*, ædificia ipsa obruta sunt ruderibus. Strabo suo tempore dicit oppidum hoc totum desertum fuisse, exceptis tantum templis et domibus paucis: Τὸ μὲν οὖν πολίχνιον πᾶν ἔρημόν ἐστι, πλὴν τῶν ἱερῶν καὶ τῶν κατοικιῶν ὀλίγων. Atque hæc etiam Rutilii ætate videntur interiisse.

413. *Non indignemur* veteres omnes usque ad Dammium. Heinsius malebat *Neve indignemur:* sed elegantissime Dammius interrogando extulit *Nos indignemur....... solvi?* quem sequuti sumus; vid. not. — *Nos indignemur?* Sic scribendum duximus pro *Non indignemur*, ut similior esset sententia loco Servii Sulpicii apud Ciceronem, quem Rutilius manifeste expressit, Epist. ad Fam. IV, 5: «Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant». Sic Auson. epigr. 35, 10: «Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt, Mors etiam saxis nominibusque venit». — Et Juven. X, 146: «sunt ipsis quoque fata sepulcris». Ed.

414. *Oppida posse mori.* Memini Lycurgum, orat. in Leocrat. pag. 181 edit. Reisk. similiter scribere: εἰ γὰρ δεῖ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, πόλεώς ἐστι θάνατος, ἀνάστατον γενέσθαι. — Pluribus exemplis hunc morem loquendi de urbibus vel provinciis excisis probat Piccartus, Peric. Crit. cap. 14. Ed.

415. *Crebescit* solus O. quod fortasse melius. — *Crebrescit fama*, plurium sermonibus agitata crescit. — Auct. Epith. Auspic. huj. Edit. t. III, p. 391, v. 50: «Fama movet mentes, incertaque murmura portat, Orta dehinc largo narratur fabula motu». Ed. — Barthius monet, ductum esse a ventis, qui *increbrescere* dicuntur, quum flaminibus augentur. Immo aura et venti pro fama et rumoribus poni solent. Virgil. Æn. III, 530, «crebrescunt auræ»; ita et Æneid. XII, 222, «crebrescere sermonem» dicit; et Horat. Serm. II, 5, 93: «Obsequio grassare; mone, si increbruit aura».

417. *Sacræ Urbis*, Romæ. — Vid. not. ad Carm. Cæsii Taurini, v. 12, hujus Edition. t. III, p. 317. Ed.

418. *Meritis* pro virtutibus, ut infra, vs. 546. Idem verbum usurpavit Claudian. Præf. de Bell. Get.

Optarem verum complecti carmine nomen;
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu veniat, carissime, Rufi:
Illo te dudum pagina nostra canit.

v. 18. Ed. — *Dulcis amice*. Intelligit Rufinm Volnsiannm, Ceionii Rufii Albiui filium, de quo supra vs. 168, et diximus satis in procem.

419. *Optarem verum* omnes edd. sed *Optarem veterum* emendat Cast. sic *Volusianum* nomen indieari existimans, quod Rutilius dicat Rufinm a *Volusi antiquo stemmate derivore* v. 169. — *Verum nomen* tuum gentile, quod est Volusianns: in quo tres priores syllabæ sunt breves, non convenicntes metro.

420. *Regula dura*, lex carminis, quæ certos pedes vel numeros syllabarum poscit, neque ad votum mutari potest.

421. *Cognomen versu Veneris* B. O. S. Sz. Alm. *Veneri carissime* Pith. Burm. *versans Veneris* Castal. *serva Veneri* conj. Barth. et Schraderus. Burmannus in notis conjecit *Cognomen versu Veneris earissime Rufi, Nullo conclusum* (vel *Non ullo clausum*) *pagina n. c.* Grævius conjecit *Cognomen versu Veneri carissime Rufi, Illoto dudum*, etc. Verum illud *Illoto* ab Heinsio profectum videtur, qui hoc in epist. ad Græv. t. IV Syll. p. 381, et in ora codicis notaverat, et in alio codice *Invito*, eo sensu, quo *invita Minerva* dicimus. Grævius in sequenti epistola *Illoto nudum* probat, nisi hoc sit mendosum, pro *dudum*. Heinsius deinde, p. 387, tentabat *Cognomen versu, a teneris carissime Rufi*. Denique Dammius scriptum edidit *Cognomen, versus servet, carissime Rufi*, quod sane liquidum est, et bene respondet pentametro, neque tamen vestigiis pristinæ scripturæ satis inhæret. Ego verissimum puto legere *Cognomen versu veniat, carissime, Rufi* pro *Rufii*. — Simili errore in Catulli Eleg. ad Manl. LXVII, 82: « Quam veniens una atque altera rursus hiems », verbum *veniens* in duabus editionibus Venetis antiquis in *Veneris* mutarunt librarii, notante ad eum locum Laurent. Santenio. Ed. — *Cognomen versu veniat*. Sic emendandum existimavi versum corruptissimum, et voci *Veneris*, vel *Veneri*, quæ in antiquis edd. legitur, et maxime vitiosa est, simile verbum ex ipsis scripturæ vestigiis substitui. Nam Venerii nomen Rufio omnino nullum fuit, et dubitari vix potest, Rutilium hoc loco imitari Ovidium voluisse, qui ex Pont. IV, 12, 11, similiter se Tuticano de nomine ejus metro non conveniente excusat; atque adeo verbum eo loco usurpatum ab Ovidio petiisse. Hic vero sic inter alia: « Nec potes in versum Tuticani more venire »: et paullo ante: « Quaque meos adeas, est via nulla, modos ». Idem Trist. IV, 10, 25: « Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos ». Ut ex his exemplis videmus, *venire* dicitur, quod, certis caussis et rationibus poscentibus, ut aptum et congruum ponitur. Sic ipse Noster usurpavit infra, vs. 546, « Quam quæ de meritis mixta figura venit », i. e. effingitur, ponitur apte composita e meritis vel virtutibus. Sententia itaque Rutilii hæc est: So-

Festa dies, pridemque meos dignata penates,
Poste coronato vota secunda colat;
Exornent virides communia gaudia rami:
Provecta est animæ portio magna meæ.
Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas:
Per quem malueram, rursus honore fruar.

Currere curamus velis, Aquilone reverso,
Quum primum roseo fulsit Eous equo.
Incipit obscuros ostendere Corsica montes,
Nubiferumque caput concolor umbra levat.

lum cognomen tuum, nempe Rufii, versu meo ponatur, illud scilicet, quod dudum pagina mea versu 168 usurpavit. Vid. præf. nostra.

423. *Festa dies*, qua amicus meus honorem capesset, *pridem dignata meos penates*, quæ pridem meam etiam domum dignatione et honore affecit, quando me ad eosdem honores processurum viri clarissimi salutarunt domi, et in curiam deduxerunt.

424. *Poste coronato*, foribus domus lauro ornatis, pro more in solemnibus cujusque publicis et privatis recepto, maxime in auspiciis magistratuum. Juvenal. VI, 79: «Ornentur postes et grandi janua lauro». Prudent. in Symm. II, 726: «Quos spargam flores, quibus insertabo coronis Atria? quæ festis suspendam pallia portis». Vid. Paschal. de Cor. lib. VIII, c. 7 et 8, et Sagittar. de Jan. c. 30.—*Vota secunda colat*, i. e. colat Deos, vota secunda nuncupando: *secunda* vocat, quæ fiant pro amico, quasi se altero, quum prima vota suscepta sint domi pro semet ipso, quum Præfectus fieret.

426. *Provectus est*, promota ad majores honores. — *Animæ portio magna meæ*: vulgaris hæc blandientium formula. Ovid. ex Pont. I, 8, 2: «Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ». Horat. Carm. I. 3, 7: «animæ dimidium meæ».

429. *Conamur* vel *certamus* conj. Heins. sed tenendus est idiotismus Rutilii *curare velis*, quia supra v. 322 *curam* vocavit accuratum laborem velificandi.—*Currere curamus velis*, operam damus velis pandendis et advertendis, ut curramus, *Aquilone* vento *reverso*. Rutilio *curare* peculiariter notat velificandi diligentiam. — Phrasin habes apud Juvenalem, III, 127: «si curet nocte togatus Currere». Ed.

430. *Fulsit Eous*, Lucifer. Virgil. Georg. I, 288.—Et Auson. Ephem. vers. 12: «...ante Quam jubar, et rutilus cælum illustraret Eous». Ed.

432. *Nubiferum caput*, montium Corsicæ, qui nubibus involuti videntur, *concolor umbra*, unius coloris atque æque nigra, ac caput illud nubilum, *levat*, attollit et conspiciendum nobis præbet, quia accedente umbra montium latiores notabilioresque nubes aut vapores, caput montium circumdantes, vi-

Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu,
Defessisque oculis luna reperta latet.
Hæc ponti brevitas auxit mendacia famæ:
Armentale ferunt quippe natasse pecus,
Tempore, Cyrnæas quo primum venit in oras
Forte sequuta vagum femina Corsa bovem.

Processu pelagi jam se Capraria tollit.
Squalet lucifugis insula plena viris.

dentur.—*Levat*, altum, elatum ostendit, ut supra versu 401 *reserat*, patulum ostendit. Ovid. Met. II, 226: « Aeriæque Alpes et nubifer Apenninus ».

433. *Dubitanda*, non clare conspicienda, de qua dubitent oculi, an recte viderint. Claudian. IV Cons. Hon. 184: «Visa etiam medio, populis mirantibus, audax Stella die, dubitanda nihil. — *Vanescere*, ut Ovid. Met. II, 117: « Cornuaque extremæ velut evanescere lunæ ».

434. *Defessis* multum tuendo et quærendo. Val. Flacc. III, 661: « vacuos cur lassant æquora visus? » Statius, Silv. I, 1, 88: « vix lumine fesso Explores, quam longus in hunc despectus ab illo ». Auson. Mos. 75: « Intentos tamen usque oculos errore fatigant ». — *Repente* pro *reperta* doctis aliquot viris placere ait Castal. sed male: nam *reperta oculis* dicuntur, quæ quæsita diu intente vix tandem agnoscuntur. Sic Virg. Æn. IV, 691: « oculisque errantibus, alto Quæsivit cælo lucem, ingemuitque reperta ».

435. *Fama* sexto casu conj. Cast. — *Hæc ponti brevitas*, angustia inter continentem Italiæ, et Corsicam. — *Brevis* pro angusto. Sic apud Claudian. Roma, Bell. Gild. 107, « Brevior duxi securius ævum ». Ed. — *Auxit mendacia famæ*, verisimilitudinem aliquam adstruxit fabulæ. Lucil. Ætn. 566: « avidi veteris mendacia famæ Eruimus ».

437. *Cyrnæas in oras*, in Corsicam, quæ Græcis Cyrnos.

438. *Femina Corsa*. Fabula vetus retulit, bovem aliquando e terra finitima Ligurum, æquore trajecto, in Corsicam pervenisse, quem persequens serva bubulci, Corsa nomine, nomen insulæ fecerit. Tangit fabulam Eustath. ad Dion. Perieg. vs. 458. Plenius exponit Isidorus, Orig. XIV, cap. 6. Veriora de Corsica narrat Seneca, Consol. ad Helv. cap. 8.

439. *Capraria* insula, aliis Caprasia, Græco nomine Αἴγιλα sive Αἴγιλον dicta, a capris feris vel silvestribus, quæ in ea gignebantur, et a quibus eas, quas in Italia alunt, ortas esse refert Varro, de Re Rust. lib. II, cap. 3.

440. *Squalet*, inculta, sentibus et dumis obsita, quia *plena lucifugis viris*, Eremitis, est, qui lucem et consortia hominum fugiunt, nec terræ colendæ student, sed radicibus herbarum et aquæ potu vivunt. Supra, v. 363, « ferro squalentia rura coluntur ». Virgil. Georg. I, 507: « squalent abductis arva colonis ». Rectius fortasse Salmasius

Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quænam perversi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt ex fato ergastula pœnas;

ad Tertull. de Pall. pag. 69, illud *Squalet* accipit de squalore et sordibus ipsorum monachorum, quas e tunica nunqnam deposita nec purgata contrahebant. Christiani generatim *latebrosa et lucifugax natio* per calumniam vocantur in Octavio Minucii Fel. cap. 8, quod secretos plerumque cœtus habeant, honores publicos non adpetant. Meminit monachorum Caprariæ insulæ Orosius, lib. VII, c. 36, ubi memorat, Mascezilem contra Gildonem proficiscentem adiisse Caprariam, et inde aliquot sanctos servos Dei, precibus permotos, secum sumpsisse, qui orationibus et jejuniis continuis victoriam a Deo impetrarent. Ad Eudoxium abbatem monachorum insulæ Caprariæ scribit Augustinus, Epist. XLVIII, ed. Bened.

444. *Quisquam sponte miser*, sic omnes veteres et Damm. *Quisquam est sponte* Alm. Burm. *Quisquam an sponte* conj. Heins. Burmannus malit *Quis fit sponte miser*, vel *quisnam est*, ut mox *Quænam*. Crusius, p. 60, dempta interrogatione vult *Quisque est sponte miser*, nempe quisque ex his monachis. — *Quisquam est sponte miser*. Grævius hic notat exprimi Martialis acumen, II, 80: «Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit: Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?» Similis est calumnia in Christianos, intrepide morientes, apud Minuc. Fel. c. 8: «Proh! mira stultitia et incredibilis audacia! spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura: et dum mori post mortem timent, interim mori non timent».

445. *Quæ nam* disjuncte B. O. P. C. — *Rabies tam stulta cerebri*. Insania et imprudentia cerebro attributa. Juvenalis, XIV, 57: «Quum facias pejora senex, vacuumque cerebro Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat». Petronius, cap. 75: «aliquando experieris cerebrum meum»; et *cerebrosus* ad insaniam facilis apud Horat. Serm. I, 5, 21.

446. *Tot mala posse pati* tentat Burmannus.

447. Huic et sequenti versui Dammius signum interrog. adposuit, quod non necessarium arbitror. — *Sive ergastula pœnas*. Sive hæc *ergastula*, hæ miseriæ et ærumnæ, quibus ipsi se damnant monachi, *ex fato* illis obtigerunt, ut sic *pœnæ repeterentur* ante actorum scelerum. Alii *ergastula* accipiunt de hominibus ipsis servili ingenio, et culpa vitæ male actæ notatis (ut supra *catastam* vidimus pro hominibus catasta dignis), qui quum ipsi se talibus miseriis destinant, fatum servile pati videntur, ut pœnas a semet ipsis repetant. Ergastula erant carceres et custodiæ servorum et

Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum adsignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus :
Nam juveni offenso, sævi post tela doloris,
Dicitur humanum displicuisse genus.

In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
Ingressus, dubii tramitis alta lego.
Despectat proræ custos, clavumque sequentem

noxiorum, ad grave opus in agris faciendum damnatorum. Et antiqua hæc est calumnia Gentilium in Christianos, plerosque eorum esse servitia mala, idiotas, opifices, Plautinam prosapiam.

449. *Adsignavit Homerus.* Non alium videtur Homeri locum respicere, quam Iliad. VI, 200 seq. sed ibi neque nimiæ bilis morbum, neque caussam aliquam ægritudinis Bellerophonteæ memorat. Errant haud dubie, qui Bellerophontem criminis alicujus pœnas luisse autumant. Ab Homero ipso nulla talis suspicio; potius præclara ejus facta et insidiæ magna virtute superatæ ibi memorantur. Solum hoc Homerus pronuntiat, exosum fuisse omnibus Diis. At odio Deorum non scelerum culpam, sed summam infelicitatem designari, norunt, qui poetas veteres legerunt. Neque Rutilius ipse hoc vult, sed Bellerophontem ait, ex injuriis aliorum dolore concepto, in μισανθρωπίαν incidisse. Cæterum memorabile est, etiam Ausonium, Epist. xxv, v. 70, Paullino, qui ad vitam secretiorem secesserat, morbum Bellerophontis objicere : « ceu dicitur olim Mentis inops, cœtus hominum et vestigia vitans, Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes ». Quod Paullinus deinceps purgat in rescripta epistola : « . . . non anxia Bellerophontis Mens est, nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux ». Et vid. Cic. Tusc. Quæst. lib. III. Ed. — Pluribus in rebus Rutilio Gallo cum Ausonio Gallo convenire, alibi vidimus.

451. *Juveni offenso* iniquitate et injuriis hominum, *sævi post tela doloris*, postquam inde acri dolore compunctus erat, tamquam telis, quæ animum vulnerant. Seneca, de Const. Sap. cap. 17: « Adversus alia male dicta, mores et vitam convulnerantia, frontis illi firmitas constitit ». Et Statius, Theb. I, 248: « ast illi sancia dictis, Flammato versans inopinum corde dolorem, Talia Juno refert ».

453. *Vero Vada nomine*, quia *vada* vocantur loca maris cœnosa, fundo nimis alto, herbis et algis supernatantibus, quomodo hæc *Vada Volaterrana*, sic enim dicuntur a Geographis, ipse Rutilius describit. Meminit Cicero, orat. pro Quintio, et Plin. III, cap. 5.

455. *Despectat* omnes antiquiores, et Burm. *Dispectat* conj. Barth. et recepit Damm. — *Clavum sequentem*, eo nempe, qui clavum in puppe tenet, voci *custodis proræ*

Dirigit, et puppim voce monente regit.
Incertas gemina discriminat arbore fauces,
Defixasque offert limes uterque sudes:
Illis proceras mos est adnectere lauros
Conspicuas ramis et fruticante coma,
Ut, præbente algam densi symplegade limi,
Servet inoffensas semita clara notas.
Illic me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis silvarum frangere lustra solet.

obsequente, qui, qua via navis in portum dirigenda sit, monet.

457. *Incertus* antiquæ editiones. *Insertus*, non nativus, sed insititius, voluit Barth. sed hoc ad *limes* referendum, ineptum est. Rectius *in certas fauces* correxit Castal. quem sequuntur reliqui, etiam auctor in Observ. Misc. III, 3, pag. 367, qui tamen in sequiore versu *limes utrinque* legit, sicut et Schraderus. — *Incertas fauces*, sinum in quo incerta et minus tuta navigatio est, *discriminat*, distinguit, viam tutam a vadis distinctam notans, *gemina arbore*, duabus arboribus vel trabibus utrinque defixis, *limes uterque*, series arborum vel sudium ex utroque latere continuata, et limitem viæ et vadi designans.

460. *Fruticante coma*, frondibus viridibus et densis.

461. Videbatur fortasse hic legendum esse *Et præbente ..... Servat inoffensas semita clara notas*, quia limus occultus algam perpetuo succrescentem præbet,. hinc servat, etc. Sed et vulgata lectio retineri potest. — *Densi symplegade limi*, complexione et cohæsione limi, qui æstu vel vento congestus applicat se et adhæret defixis trabibus. Hinc Symplegades a poetis vocatæ insulæ Argonautis objectæ in Ponto Euxino, quia subinde vento collisæ cohærere videbantur. — *Præbente algam*, quia e congesto compactoque limo multa alga succrescit.

462. *Inoffensas notas*, nulla offensione vel incursione navis lædendas, aut turbandas. Sic infra v. 538: «prætexitur alga Molliter offensæ non nocitura rati». Ovid. Trist. I, 9, 1: «Detur inoffensæ metam tibi tangere vitæ», ubi nonnulli legere malunt *inoffensam*. Burmannus ad hunc locum sic commentatur, ac si in texto *inoffensas vias* legisset, quod si aliqua editionum antiquarum offerret, recte præferri posset. — *Semita clara*, quæ conspicua et facile agnoscenda viatorem ipsa ducere videtur. Aliis *via lucere* dicitur, ut Propert. II, 14, 17, «Ante pedes cæcis lucebat semita nobis»; et conf. Nemes. Cyneg. 14.

463. *Rapidus Corus*, ventus inter Septemtriones et occasum flare solitus, atque imbres subitos suscitans. Seneca, Agamemn. 484: «Quid rapidus ora Corus Oceano exserens?» Idem in Hippol. 1132 «imbriferum Corum» vocat.

464. *Silvarum lustra*, silvas, in quibus feræ sua cubilia habent. Sic Virg. Georg. II, 471: «silvæ

Vix tuti domibus sævos toleravimus imbres :
  Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
  Per quem jura meæ continuata togæ.
Non exspectatos pensavit laudibus annos;
  Vitæ flore puer, sed gravitate senex.
Mutua germanos junxit reverentia mores,
  Et favor alternis crevit amicitiis.
Prætulit ille meas, quum vincere posset, habenas;
  Prædecessoris major amore fuit.
Subjectas villæ vacat adspectare salinas;
  Namque hoc censetur nomine salsa palus,

Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque ».

467. *Namque meus :* id est, jure enim meum vocare possum.—*Roma meo subjunxit honori,* quem mihi Roma successorem iu honore Præfecturæ dedit. Quum supra v. 417 seqq. coll. v. 168, successorem sibi in Præfectura Urbis datum Rutilius Rufinm, Albini filinm, nominet, hic Albinum; statuendum est, duo successores suos Rutilium memorare, diversis annis ea dignitate functos. Et quidem proxime Rutilio Albinnm successisse puto, non eum patrem Rufii, sed cognatum, de quo hoc loco agit, alterum fuisse Rufium Volusianm, annis aliquot interjectis, eoque ipso, quo Rutilius iter faciebat, succedentem, de quo superioribus locis egit.

468. *Per quem* jam occurrit v. 428. Ed. — *Jura togæ* adpellat jurisdictionem Præfecti Urbis, quia hæc togata potestas. Hæc *continuata* in Albino dicere non potuit, nisi hic proxime successit.

470. *Vitæ flore*, ætate florente, quam *florem tepidum ætatis* vocat Spurinna, I, 6. — *Sed gravitate senex*, ut Silius, VIII, 465 : « Ore puer, puerique habitu, sed corde sagaci Æquabat senium, atque astu superaverat annos ». — Alia similis sententiæ notantur ad Carm. XII, huj. Edit. t. III, p. 398. Ed.

471. *Mutua germanos;* quia *germanos*, similes et exacte convenientes, mores habebamus, hinc nos mutua reverentia observavimus.

472. *Alternis amicitiis*, mutuis officiis amicitiæ.

473. *Prætulit ille*, præ suis laudavit et magni fecit, *meas habenas*, magistratus mei rationes et acta. *Habenæ* pro imperio vel regimine, vulgatum poetis.

474. *Prædecessoris major amore fuit.* Ille contra, quum ego, qui eum in honore illo præcesseram, etiam magnopere amare significarem, hoc judicio et amore meo major et illustrior visus est. *Prædecessor* sequioris ævi scriptoribus est, qui alterum in officio præcessit; Veteribus *decessor* dicitur.

475. *Vacat adspectare*, otium mihi sumpsi spectandi, *salinas*,

Qua mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat:
Ast ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Quum pallent herbæ, quum sitit omnis ager;
Tum cataractarum claustris excluditur æquor,
Ut fixos latices torrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æstivo crusta calore coit;
Haud aliter, quam quum glacie riget horridus Ister,

paludes aquæ marinæ factas, in quibus sal coquitur a sole, *subjectas*, prope adjacentes *villæ*, quam dixi, Albini. Rationem ejusmodi salinarum exponunt Manil. lib. V, v. 682 seq. et Plin. Hist. Natur. lib. XXXI, cap. 7.

477. *Terrenis canalibus*, per canales tenues effossos in terra, *declive intrat*, ex alto decurrit in locum depressiorem.

478. *Multifidos lacus*, paludem pluribus paludibus intercisam, et in plures partes vel receptacula aquarum distributam.

479. *Ubi Sirius*, sol flagrantissimus tempore æstatis. Sirium pro sole ipso poni ostendit Junius, in Animadvers. I, 5. — *Ignes admovit* isti paludi, sive aquis lacu receptis.

480. *Squalent* conj. Heins.—*Quum pallent herbæ*, deficiente humore flavescentes. Ovid. Fast. I, 688: « Nec vitio cæli palleat ægra seges». Idem, Fast. IV, 940: « Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto Tosta sitit tellus, præcipiturque seges ».

481. *Quum cataractarum* B. O. S. C. *Tum* correxit Simlerus, et ita Pithœus et rel. editores.—*Cataractæ* proprie dicuntur lapsus fluviorum, qui ex alto fiunt cum impetu; quomodo *cataractas* Nili adpellat Lucan. X, 318: tum vox transfertur ad moles lapideas, vel asseres, quibus aquæ cursus cobibetur. Hoc sensu Noster *cataractarum claustra* dicit, et Plinius, Epist. X, 69: « Expeditum erat, cataractis aquæ cursum temperare ».

482. *Latices fixos*, consistentes, immotos, stupentes, quod adfluxu aquæ marinæ non amplius commoventur. Sic supra v. 246: « Instabilem fixis aera nescit aquis ». — *Horrida* omnes antiquiores, sed Burmannus in notis conj. *torrida*, quod merito receperunt Dammius et Kappius.

483. *Nativa coagula*, aquæ, quæ ex se et sua natura virtutem istam insitam habent, ut possint coagulari vel concrescere, *concipiunt acrem Phœbum*, admittunt, recipiunt vim solis ferventis. Horat. Serm. I, 6, 125: « Ast, ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit ».

484. *Colore* Chyt. et Sz. fortasse vitio operarum. — *Crusta calore coit.* Bene observat Barthius imitatum esse Lucretii lib. VI, 625: « Una nocte vias quoniam persæpe videmus Siccari, mollisque luti concrescere crustas ». Pro glacie *crustam* nonnulli codd. Ovidii habent, Trist. III, 10, 38: « Lubricaque

Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.
Rimetur solitus naturæ expendere caussas,
Inque pari dispar fomite quærat opus:
Vincta fluenta gelu, conspecto sole, liquescunt,
Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.

O, quam sæpe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram:
Victorinus enim, nostræ pars maxima mentis,
Congressu explevit mutua vota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris
Et colere externos, capta Tolosa, lares.

immotas crusta premebat aquas »; sed vulgatæ habent *testa*.

486. *Plaustra vehit.* Luculentius congelatum Istrum describit Naso, Trist. III, 10, 33 et seq. « Perque novos pontes subter labentibus undis Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves ». Conf. ex Pont. IV, 7, 10.

487. *Solitas* B. O. S. P. Sz. *solitus* emendavit Cast. Alm. rel. *natura* B. O. S. Sz. Ba. *naturæ* Pith. Cast. Alm. Burm. Damm.

488. *Opus dispar*, diversum effectum, *in pari fomite*, in simili vel eodem principio caloris, in sole. — *Quærat*, inquirat, scrutetur.

489. *Juncta fluenta* B. O. S. P. C. Sz. Alm. Burm. *Vincta* vult Cast. Canneg. ad Avian. 29, 2. et Schraderus, deditque Damm. — *Conspecto sole*, quando sol adversus, oppositus, et tamquam in conspectu est: *conspecta* dicuntur, etiam ab inanimatis, quæ prope adstant, vicina illis vel opposita sunt. Juven. II, 81: « Uvaque conspecta livorem ducit ab uva ». Sic et Lucilio, v. 333, nubes supra Ætnam stans *prospectare* illum, dicitur: « Prospectat sublimis opus vastosque recessus ».

493. *Gentis* conj. Burm. — *Nostræ pars maxima mentis;* vid. supra vs. 426. Burmannus autem, quia in hac usitatissima formula apud alios non *mentis*, sed *animæ* vel *vitæ* pars dici soleat, propterea hic præstare dicit *nostræ pars maxima gentis*, ut præcipuæ dignitatis virum in Galliis fuisse significet. At partem maximam eo significatu dici, æque insolens videtur. Nam *gens* est vox collectiva, atque adeo maxima pars ejus non potest dici, nisi numero. — Infra quidem, vs. 510, eumdem dicit *patriæ* suæ *partem*, sed ob caritatem, quia æque carum ac patriam habet. En.

494. *Congressu suo*, quum eo in loco me convenit, *explevit*, satiavit, *mutua vota*, quibus ambo jam diu optaveramus, nos visere invicem.

495. *Errantem*, extorrem patria, nec sedes tutas in Gallia habentem. —*Considere Tuscis agris*, sedem figere et habitare in prædiis, quæ in Tuscia paraverat.

496. *Excolere* B. O. S. *Et colere* Cast. Pith. Sz. Alm. et rel. — *Capta*

Nec tantum duris nituit sapientia rebus :
  Pectore non alio prosperiora tulit.
Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,
  Et quæcunque ferox arva Britannus arat :
Qua Præfectorum vicibus frenata potestas

Tolosa a Gothis, principe Ataulpho, qui per Constantium in Gallias vocati, Aquitania a Tolosa usque ad Oceanum occupata, sedem regni Tolosæ fixerunt, ut memorant Idacius Olympiade 299, et Jornandes, Geticorum, cap. 31. Tolosæ igitur Victorinum ante habitasse innuit Noster, reducem ex Britannia, quam pro Præfecto rexerat.

497. *Nec tantum duris* omnes. Heinsins maluit *in duris*, quod recepit Kappius.

498. *Pectora non alio* vetustæ. *Pectore* legit Siml. Pith. Cast. rel. *Pectora non alius* præfert Heins. ad Ovid. Met. IX, 99, male, certe non commode ad sensum.—*Pectore non alio*, eadem sapientia et moderatione : nam pectus sedes consilii et sapientiæ, pro ipsaque sapientia ponitur. Horat. Epist. I, 4, 6, « Non tu corpus eras sine pectore »; et Ovid. Metam. XIII, 290, de Ajace: « rudis et sine pectore miles ».

499. *Consulis Oceanus* B. S. Chy. vitiose. *Conscius* correxit Siml. et dedit Pith. cum seqq. — *Conscia Thule.* Thule quidem nominari antiquioribus poetis insula ultima orbis habitati, quamvis incognita et incomperto situ, videtur, sed sequioris ævi, ut Rutilius hoc loco, et Claudianus multis locis eo nomine designant insulam maxime borealem, et Britanniæ, Scotiæ, Orcadibus adjungunt. Vid. Claudian. in Ruf. II, 240, et IV Cons. Hon. v. 32. Islandiam esse, quæ hodie dicitur, demonstravit Isaacus Thilo, Borussus, singulari diss. Lipsiæ an. 1660 proposita.

500. *Quicumque* omnes antiquæ, etiam Alm. et Burm. quamvis jam Castalio correxerat, et Barthius dederat *quæcumque* : probat hoc tamen Burmann. et usurpavit Damm. *quacumque* malebat Heinsius.

501. *Qua*, insula, terra, regione, *Præfectorum vicibus frenata potestas.* Præteritis superiorum editorum diversis interpretationibus, nos his verbis describi putamus magistratum, qui Vicarius Britanniarum, nomine dignitatis proprio, appellabatur. E Notitia dignitatum imperii intelligitur, qui sub dispositione Præfecti præt. integras diœceses provinciarum regebant, Vicarios esse dictos. Et sub Præfecto præt. Galliarum erant Vicarii Hispaniarum, Galliæ et Britanniæ. Quorum singulis porro suberant Consulares et Præsides provinciarum cujusque diœcesis. Et qui sub dispositione Vicarii Britanniarum erant Consulares et Præsides, in Not. dignit. imperii, sectione XLIX, edit. Labb. p. 95 recensentur. Hoc loco igitur Vicarii *potestas* dicitur *frenata vicibus Præfectorum*, hoc est, talis, quæ imperio superiore et dispositione Præfectorum præt. quasi *freno*, adstricta et temperata erat, quia *vices* eorum in sua diœcesi agebat. *Frenare* pro regere, moderari, coercere adeo sollenne poetis est, ut exemplis non opus sit. Ausonius in Mos. v. 408

Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tamquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmæ est, illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.
Illustris nuper sacræ Comes additus aulæ,
Contempsit summos, ruris amore, gradus.
Hunc ego complexus, ventorum adversa fefelli,

Vicariam videtur « Præfecturam secundam » vocare.

502. *Fœdus* conj. Heins. *Perpetui magnum fœnus amoris* mallet Burm. —*Perpetuum magni*. Potestas Vicarii bene administrata hunc Victorino fructum perpetuum attulit, ut etiam nunc eum Britanni magno amore prosequantur.

503. *Sors illa* legit Heins. ut olim sortiri provincias solebant : sed hic non provinciam atque ejus administrandæ munus, sed ipsam terram, Britanniam, intelligit Rutilius, quæ frequenter extrema pars orbis dicitur.—*Pars illa*, orbis Romani, Britannia. — *Extremum discessit in orbem*, in fine extremo imperii Romani sita est; ut *orbem extremum* Hispaniam Bæticam Calpurn. IV, 43, Pontum Ovidius ex Pont. I, 3, 49, vocat. Verbo *recessit* sic usus est Ovid. Met. I, 61 : « Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit ».

504. *Tamquam medio rector in orbe.* Sed ille Victorinus talem se rectorem gessit, quasi medio in imperio Rom. provinciam, inter gentes cultissimas, observantibus eum et facta sua judicantibus acerrimis quibusque viris, et tamquam in conspectu Principis et Senatus regeret. Commode huc Barthius advocavit Theodosii ad filium monitum apud Claud. IV Cons. Hon. 268 : « Hoc te præterea crebro sermone monebo, Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas; cunctis tua gentibus esse Facta palam ».

505. *Plus palmæ est*, majorem laudem meretur. — *Plus* eo sensu cadenti latinitati usurpatur. Ed.

506. *Minor est displicuisse pudor*, minus verendum est, ne prave facta observentur et puniantur.

507. *Illustris nuper.* Nuper quidem ille Victorinus numero *Comitum aulæ sacræ* Imperatoris *additus* est, et gradu tituloque Viri *Illustris* honoratus. Comites tum temporis vocabantur, qui in aula alicui officio præerant, ut comitatum Principis bonore aliquo administrando augerent. Hic intelligitur Comes *Domesticus*, domesticorum, vel Palatinus, uti nominant Eutrop. X, 9, 1, Zosimus, V, 47, et plures inscriptiones; eratque hic in ordine Virorum Illustrium. Legatur Guther. de Offic. Dom. Aug. lib. I, cap. 10 et 17.

508. *Ruris amore*, vitæ tranquillæ in prædiis rusticis agendæ. Burmannus *amorem ruris* studium agriculturæ interpretatur, quod certe solum intelligere nolim.

509. *Ventorum adversa fefelli* : effeci, ut me minus adficerent, obli-

Dum videor patriæ jam mihi parte frui.

Lutea protulerat sudos aurora jugales:
  Antennas tendi litoris aura jubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
  Mollia securo vela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon,
  Inter Pisanum Cyrniacumque latus.
Aversor scopulos, damni monimenta recentis:

tus sum, non sensi. Ut Horat. Serm. II, 2, 12: «Molliter austerum studio fallente laborem»; et [illegible], 7, 114: «Jam vino quærens, jam somno fallere curam».

512. *Antennas* cum velis. — *Littoris unda* B. O, S. P. *aura* posuit Barth. et rel. ut supra v. 314, «Natus vicino vertice ventus adest». — *Litoris aura*, veniens a litore ventus, ideoque secundus navigaturis. Vid. not. ad vers. 314.

513. *Aplustria*, ornamenta puppi navis imposita, ἄφλαστα Græcis, inter quæ adnexa ligno vexilla, vel tæniæ oblongæ per aera ludebant. — *Inconcussa vehit*, ita impellit et provehit, ut fluitent æquabiliter et leniter, nec vehementer concutiantur. Non confundenda ea cum velis mali, quæ Noster versu seq. diserte distinguit, quamquam Silius, X, 324, «lacero aplustria velo» dicit, quod ipsum tamen de tænia baculo adligata capiendum est. Cæs. Germanicus in Phænom. p. 64, Grot. «Fulgent Argoæ stellis aplustria puppis»; et Juven. X, 136, «victæque triremis Aplustre». Plenius de aplustri ejusque forma agunt Dan. Heins. et Drakenb. ad Sil. l. c. Schefferus de mil. nav. II, cap. 6, p. 157; Cuperus in Apoth. Hom. p. 50. — Et similiter Lucanus, III, 585: «cujus dum pugnat ab alta Puppe Catus, Grajumque audax aplustre retentat, Terga simul pariter missis et pectora telis Transfigitur». Et aliquando *aplustria* pro velis usurpantur. En.

514. *Mollia vela*, molliter inflata, nec nimis tensa vento. — *Securo rudente*; tuto a nimia vi venti.

515. *Gorgon* quæ hoc loco insula dicitur, Cluverio eadem est ac *Urgo* Melæ, Plinii et Martiani Cap. inter Caprariam et Macræ fluminis ostium. Stephanus Ὀργὼν nominat: hodie *Gorgona*. — *Ponti medio circumflua*, ut Silius, XII, 355: «Insula fluctisono circumvallata profundo»; et Statius, Silv. II, 2, 78: «pelago circumflua Nesis».

516. *Cyrnaicumque* omnes vetustæ. *Cyrniacumque* C. Sz. Alm. et seqq. *litus* conjicit Siml. at contra metrum.

517. *Adversus scopulos* B. O. S. C. Burm. Hæc verba Castalio præcedenti pentametro adnectit, et post *scopulos* distinguit; quod tamen contra morem Rutilii esse videtur. *Adversus scopulus* Pith. edidit, non malo sensu, idemque recepit Damm. *Avertor* vel *aversor scopulos* conj. auctor. ign. in Observ. Miscell. vol. III, p. 368; bene sane. — *Adversus scopulos*, quod habent anti-

Perditus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper, juvenis majoribus amplis,

quæ edd. obscurum est: *Adversus scopulus*, quod Dammius recipiens explicat, hic scopulus mihi erat odiosus, usui linguæ non videtur conveniens, quo quidem *adversus* contrarium, adversantem, oppositum, notat, sed an odiosum et invisum, hoc dubito. Nihil aptius loco et sententiæ inveni, quam emendationem in Observ. Miscell. prolatam, *Aversor scopulos*, quam præterea juvat elucens imitatio Virgilii, Æn. III, 272: «Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna, Et terram altricem sævi exsecramur Ulyxi».

518. *Perditus*, amissus erat, perierat civibus suis et humano generi, *vivo funere*, quasi morte sublatus, dum vivit et spirat. Sollenne est inertem, latentem et obscuram vitam pro morte haberi. Sen. Epist. LXXXII: «Otium sine literis mors est, et vivi hominis sepultura». Hinc *sepultos* sæpe dici exsules, quasi vita civili privatos, observavit Heins. ad Ovid. Ib. v. 16. Sic apud Apuleium, Met. IV, p. 157, Psychæ ad perpetuam solitudinem, et vitam occulte cum Cupidine agendam deductiu *feralium nuptiarum choragium*, nempe exsequiis simile, nuncupatur. — Cf. quæ notavimus huj. op. t. II, p. 299, ubi hunc versum adduximus. Ed. — Cæterum apte cum Nostro versum Manilii de Andromeda, lib. V, 548, comparat Barthius: «Virginis et vivæ rapitur sine funere funus».

519. *Noster enim nuper, juvenis*, qui antea noster erat vel patria, vel religione, vel utraque. Heinsius hic Paullinum describi putavit. Sed ille tum quidem, quum hæc scriberet Rutilius, provectior ætate, jam diu Consulatu functus, et tunc Episcopi munere præditus erat, ut vix potuerit juvenis appellari. Nec qui vitam Paullini accurate scripserunt, ejus secessum in Gorgonem insulam memorant. Postea tempora pluribus monachis eam insulam sicut Caprariam frequentatam esse, e Gregorii M. epistola 60 libri IV, intelligimus. — Insigne exemplum secessus in asperam insulam ad solitariam vitam agendam, Hieronymus refert de Bonoso quodam, familiari quondam suo, secum educato et instituto, quem propterea magnificis effert laudibus, in epistola ad Ruffinum (quæ est XI libri II, edit. Epistolar. Hier. Col. Agrip. 1674, pag. 176): «Ecce, inquit, puer (Bonosus) honestis sæculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprime inter æquales erat, contempta matre, sororibus, et charissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes et nuda saxa, et solitudo terrori est, quasi quidam novus paradisi colonus insedit, etc.» Pluribus ascetis hunc morem in insulas secedendi fuisse, indicat Ambrosius, Hexaem. lib. III, cap. 5: «Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque prætexit mare, in quibus ii, qui se abdicant intemperantiæ sæcularis illecebris, fido continentiæ proposito eligunt mundum latere, et vitæ hujus declinare dubios anfractus. Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium continentiæ, portus securitatis, etc.» Wernsd. in Add. Ed.

Nec censu inferior, conjugiove minor,
Impulsus furiis, homines Divosque reliquit,
Et turpem latebram credulus exsul amat.
Infelix putat illuvie cælestia pasci;
Seque premit læsis sævior ipse Deis.
Nunc, rogo, deterior Circæis secta venenis?

521. *Impulsus furiis*, insania nescio qua.—*Homines Divosque* Dammius explicat omnia optabilia *reliquit;* nisi forte per *Divos* etiam religionem paganam significat deseruisse.

522. *Latebram agit* omnes edd. quod tamen durius putat Burm. atque ejus loco tentat *adit* pro *adiit*, ut conveniat τῷ *reliquit*. Ego facilius emendarem *Et turpi in latebra...agit*, vel potius *Et turpem latebram...amat.*— *Credulus exsul*, qui patria et societate humana relicta in spontaneum exsilium abiit, dum temere credit, hunc suum discessum placiturum Deo nimium quantum. Sic Dammius: sed Burmannus: nimis facilis et credulus Christianorum placitis: sic enim *mulieres credulas* Christianis objicit Cæcilius apud Minuc. Fel. c. 8. — *Turpem latebram agit* durior omnino locutio est, nisi *latebra* pro vita latebrosa, otio secreto et ignavo accipiatur. Et sic fere Seneca, Epist. XIX: «Nunquam usque eo te abigam, generis humani furore damnato, ut latebram tibi aliquam parari et oblivionem velim: id age, ut otium tuum non emineat, sed adpareat». Similiter Claud. XXVI B. Get. 305: «Sed nunquam oblita decoris Obscuram latebram pietas ignava requiret». Tutius existimavi scribere *latebram amat*, idque ex usu scriptorum Lat. est, qui *amare* de locis centies usurpant. Virg. Georg. II, 486: «Flumina amem silvasque inglorius». — Idem, Æn. III, 134: «Hortor amare focos», i. e. libenter incolere domos. Et magis apposite Regianus in epigr. de luco amœno, in Burm. Anthol. vol. I, p. 492: «Bellipotens Mavors, Veneri gratissime, furtum Hic securus ama, locus hic amplexibus aptus». Ed. —Rursus Virg. Ecl. V, 76: «Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit». Calpurnius, V, 14: «amantes lustra capellas».

523. *Illuvie*, i. e. squalore, qualem adfectabant veteres monachi in victu videlicet, cubitu et vestitu vilitatem et duritiem præferentes. Sic Barth. Propter eas sordes Eunapius in libro de vitis philosophorum monachos sui temporis dicit ὑώδη βίον vivere. — *Cælestia*, Deos cælestes, ut *humana* sæpe pro hominibus.—*Pasci*, delectari, gaudere iis.

524. *Seque premit*, ἑαυτὸν τιμωρούμενος se gravius punit, quam ipsi Dii, ab eo relicti et læsi, punirent. Sic Burm.

525. *Num, rogo*, omnes vett. *Nun* intulit Barth. Alm. Damm. cum Crusio, sed reprobat Burm. quia *rogo* postulet *Num*. Idem *secta* includit duobus incisis, ut sit vocativi casus, quo adloquatur sectam hanc; at hoc non necessarium. — *Circæis venenis*, i. e. incantationibus. *Circæ pocula* vocat Horat. Epist. I, 2, 23.

Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Inde Triturritam petimus: sic villa vocatur,
  Quæ jacet, expulsis insula pæne fretis.
Namque manu junctis procedit in æquora saxis;
  Quique domum posuit, condidit ante solum.
Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
  Pisarum emporio, divitiisque maris.
Mira loci facies: pelago pulsatur aperto,
  Inque omnes ventos litora nuda patent:
Non ullus tegitur per brachia tuta recessus,

Et Christianismum paganos magicarum incantationum incusasse, constat ex Apologetis.

527. *Triturrita villa*, quæ in Itinerario *Turrita* vocatur, contigua portui Pisano, ad Arni ostium, in peninsula manu structa, ut hic testatur Rutilius. *Villa* principis alicujus Romani, sed cujus, ignoratur, cum circumjacentibus ædificiis rusticis, tribus turribus insignis.

528. *Quæ latet* omnes edd. ante Dammium, qui *jacet* substituit e conjectura Heinsii. Burmannus autem vult *patet*. « Qua jacet exclusis insula pæne fretis » conj. Crusius, p. 61.—*Quæ jacet*. Omnino *latet*, quod vetustarum editionum est, ferri nequit, quia descriptioni Triturritæ contrarium est. *Patet* Burmanni aptius quidem, sed tamen urbi late conspicuæ melius conveniret, quam angustæ Triturritæ. *Jacet*, quod Heinsius voluit, aptissimum, certe tutissimum est, quia mediam significationem habet; et de quibusvis terris vel insulis dici potest. Sic Ovid. Met. VIII, 577, de quinque insulis: « Quinque jacent terræ; spatii discrimina fallunt ». Male sollicitatur *expulsis*: nam hoc de jactis in altum molibus diserte adhibet Petron. Bell. Civ. v. 88: « Expelluntur aquæ saxis ».

529. *Manu junctis*, i. e. arte et opere constructis. Supra, v. 240, *insulam factam* dicebat.

531. *Quem turba frequentat* tentat Schrad.—*Portum* intelligit, quem infra II, 12, *portum Pisanum* nominat, Claudianus, Bell. Gild. 417, « portum Etruscum »; et v. 483, « Alpheæ navalia Pisæ ».

532. *Pisarum emporio*, quod ibi locus est nobilis mercatura Pisanorum.—*Divitiisque maris*, quia ibi merces et divitiæ per mare importatæ exponuntur.

533. *Facies*, species, habitus. Ed. — *Pulsatur* pleræque antiquæ. Barthius correxit *pulsantur*, ad *litora* referens, idque sequitur Dammius; sed tamen Alm. et Burm. retinent *pulsatur*, quoniam hoc ad locum potest referri.

534. *Litora nuda patent*, quia non brachiis vel aggeribus in mare excuntibus teguntur: ut versu sequente declarat.

535. *Nonnullus* B. S. melius *Non ullus* O. P. C. Sz. et cæt.—*Brachia* dicuntur omnes aggeres, moles,

Æolias possit qui prohibere minas :
Sed procera suo prætexitur alga profundo,
Molliter offensæ non nocitura rati;
Et tamen insanas cedendo interligat undas,
Nec sinit ex alto grande volumen agi.

TEMPORA navigii clarus reparaverat Eurus :

opera, quæ ad latera munitionum, vallorum, portuum porrecta procurrunt. Suet. Claud. 20 : « Portum Ostiæ exstruxit, circumdato dextro sinistroque brachio ». Ovid. Met. XI, 229 : « Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus, Brachia procurrunt ».

539. *Interrigat* B. O. S. P. Sz. *interligat* ex *interrigat* fecit Castal. quem sequuntur Alm. Burm. et Damm. Heinsius volebat « Et tamen insanæ cedendo iter implicat undæ ». Burmannus conj. *cedendo intercipit undas*, ut vim earum frangat, cedendo mollitie sua. Idem incidit Crusio, p. 61, qui simul *strangulat* profert. — Pro *interligat* Santenius elegantem conjecturam adfert *mitigat*, ipse tamen τὸ *interligat* non spernit. Alium vidi ponere *interplicat*. Servius in Centimetro, cap. 9, versum hunc producit : « Fontes ligabant gramina lætificos », ubi similiter verbum *ligare* indicare videtur, gramina vel algam inter undas prominentem, eas quodammodo coercere et impedire. En. — *Interligat*, quod hic Castalio posuit pro *interrigat*, omnino aptissimum est. Vult enim poeta algam inter undas eminentem eas quodammodo sistere, coercere, vincire, ne possint ruere cum impetu : quo sensu alias poetæ *ligari sopore membra*, *ligari aquas frigore* dicunt : et apposite Lucan. V, 434 : « alto torpore ligatæ Pigrius immotis hæsere paludibus undæ ».

540. *Grande volumen* sc. aquæ, magnum fluctum : quomodo Apuleius, Met. V, p. 104 Pric. « Sed mitis fluvius confestim eam innoxio volumine super ripam florentem herbis exposuit ». Et Avienus, Or. mar. v. 596 : « Nunquam excitentur fluctuum volumina ». De fumo usurpavit Ovid. Met, XIII, 601 : « nigrique volumina fumi Infecere diem »; de nubibus Statius, Theb. I, 351 : « Plurimus Auster Inglomerat noctem, et tenebrosa volumina torquet ».

541. *Navigii* omnes meæ antiquæ, *navigiis* habere Onuphrium dicit Siml. sed meum exemplar non aliter : esse tamen illud in ed. Reusn. testatur Burm. *Repararat Eous* malebat Heins. ut supra v. 430, et infra II, 29. — *Tempora navigii*, h. e. navigationis. Navigium sequior latinitas dixit pro navigatione, ut demonstravit J. Fr. Gronovius, Obs. in Eccles. cap. 25, e quo hos maxime locos adducimus : Auctor de orig. gent. Rom. « quod ejus consilio impulsuque matres Trojanæ tædio longi navigii classem ibidem incenderint ». Dictys Cret. lib. V, cap. 16 : « Inter quæ Antenor cum suis Græcos orare, omitterent iras, atque urgente navigii tempore in

Sed mihi Protadium visere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoscere signis,
Virtutis speciem corde vidente petat:
Nec magis efficiet similem pictura colorem,
Quam quæ de meritis mixta figura venit.
Adspicienda procul certo prudentia vultu,
Formaque justitiæ suspicienda micat.
Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem:
Testis Roma sui Præsulis esse potest.
Substituit patriis mediocres Umbria sedes:

commune consulant ».—*Clarus* Eurus, observante Burmanno, est serenitatem adferens, ut *clarus Aquilo* Virg. Georg. I, 460.

542. *Sed mihi Protadium.* De hoc Protadio quæ digna memoratu sunt enarrantur Exc. VII ad hoc carmen.

544. *Virtutis speciem* vetustæ cum Sz. Alm. Damm. *specimen* Cast. Ba. Burm. *corde videre putet* Heins. *corde videre notet* vult Burm. — *Virtutis speciem*, sic recte legitur, non *specimen*. *Species* est ipsa exterior figura vel effigies, quam hoc loco vult intelligi Rutilius; *specimen* illius exemplum. — *Corde vidente petat*, i. e. studeat imaginari sibi, formare, fingere animo. Hoc sensu prævalet omnino *petat* iis, quæ Heinsius et Burmannus ejus loco ponere voluerunt.

545. *Similem colorem*, similem effigiem per colores *efficiet*.

546. *Missa figura* malebat Heins. — *Quæ venit*, data opera efficitur, *mixta figura de meritis*, apte colorata figura pluribus virtutibus collatis tamquam coloribus, facta. Simili locutione Claud. XVII in paneg. Mall. Theod. v. 136: « Malli, sincera bonorum Congeries »; et Laud. Stil. I, 33: « sparguntur in omnes, In te mixta fluunt; et, quæ divisa beatos Efficiunt, collecta tenes ». — Sic et Boethius, de Consolatione Phil. lib. II, cap. 4: « Vir totus ex virtutibus factus ». Ed.

549. *Quin fortasse minus* Heins. perperam: supra v. 91: *Quod regnas, minus est.*—*Sit fortasse minus*, fortasse minus laudis habeat, si quis memoret, Galliam cum inter laudatissimos cives numerasse. Formulam scriptoribus frequentem esse *minus est*, variis locis adductis adseruit Burmannus, ut hujus loci nihil mutandum sit. E contrario auctor eleg. de Mæc. v. 31: « Majus erat potuisse tamen nec velle triumphos »; et Noster supra v. 505: « Plus palmæ est etc. »

550. *Præsul* summum magistratum, et quidem Urbis, notat, quod additur *Roma.* Et significat Symmachus Epist. IV, 23 ad Protadium: « Etsi secundum mores et natales tuos honorum culmen indeptus es, etc ».

551. *Substituit patriis.* Pro patriis iisque amplissimis possessionibus, quas habuit in Gallia, dedit ei Umbria mediocres.—*Paternas sedes*, id est, villas sive prædia, dicit Statius, Silv. IV, 5, 54.

Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
Pro parvis animo magna fuere suo.
Exiguus rerum rectores cespes habebat,
Et Cincinnatos jugera pauca dabant.
Hæc etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabriciique foco.
Puppibus ergo meis fida in statione locatis,
Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes.

552. *Fecit utraque* B. S. *utramque* O. P. C. Sz. Alm. Bu. Damm. — *Fecit utramque parem*, i. e. fecit, ut pari animo nunc angustas res ferret, atque olim lautas et amplas.

554. Heins. *magna fovetque suo*, ut mox vers. 592, « duplici sedulitate fovent ».

555. *Regum rectores* B. O. S. P. Barth. *rerum* Sz. Alm. et rel. sic volebat Rutgers. Var. Lect. III, 7, et Heins. *cespes alebat* conj. Schrad. quod mihi probatur, ita ut *cespes* pro agello sit. Ed. — *Rerum rectores.* Sic recte emendatum est pro *regum*. Neque enim *regum* rectores appellari potuerunt imperatores, de quibus hic sermo est, Cincinnati, Serrani, Fabricii. At *res* nominari solent pro imperio et orbe Romano. Virg. Georg. II, 534: « rerum facta est pulcherrima Roma »; et Æn. I, 282: « Romanos rerum dominos, gentemque togatam ».

556. *Et Cincinnatos jugera pauca dabant.* De L. Quintio Cincinnato Livius, lib. III, c. 26, et Columella in præfat. « Q. Cincinnatus obsessi Consulis et exercitus liberator ab aratro vocatus ad dictaturam venit ». Plin. Hist. Nat. XVIII, 4: « Aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato Viator attulit dictaturam, et quidem, ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiamnum ore ». Conf. Pers. Sat. I, 73, et Apoll. Sidon. Epist. VIII, 8.

557. *Ferantur*, pro *feruntur*, vult Burm. et scripsit Kapp.

558. *Fabriciique foco.* Sequi videtur Virgilium, qui eosdem duo conjunxit Æn. VI, 844, « parvoque potentem Fabricium? vel te sulco, Serrane, serentem? » Plinius, l. c. « Serentem invenerunt dati honores Serranum, unde cognomen ». Nomen erat C. Atilius. De Curio idem narrant alii, quod hic de Fabricio. Laudant eosdem Cicer. in Cat. c. 16; Val. Max. lib. IV, c. 4, 5 et 7; Claud. IV Cons. Hon. 413 seqq.

560. *Qua solet ire pedes*, h. e. qua via terrena ducit, et pedibus solent ire viatores: peditem accipio pro quovis viatore. — Sic *pedibus ire*, *pedestre iter*, *pedestris pugna*, *pedestres copiæ* navigationi et navalibus copiis opponi apud scriptores Latinos solent. Ed. — Similiter Ausonius, Epist. V, 11: « Dum potui Romam pedes ire, pedesque reverti ». Ed. — Argutatur haud dubie Damm., dum explicat, *vehor ipse Pisas*, *qua* via Protadius *solet pedes ire* in eam ur-

Præbet equos, offert etiam carpenta, Tribunus,
  Ex commilitio carus et ipse mihi,
Officiis regerem quum regia tecta Magister,
  Armigerasque pii Principis excubias.
Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
  Quam cingunt geminis Arnus et Auser aquis;
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt:

bem; quasi velit Rutilius paupertatem et continentiam Protadii pingere, qui exemplo veterum ducum Romanorum, vehiculo aut equo rarissime utentium, soleret pedibus iter facere. Enim vero Rutilius hoc significat, maluisse se terrestri itinere Pisas proficisci, quam navibus, quamquam hoc facile poterat, quum in portu Pisano et Arni ostio adpulisset, qui fluvius ipsas Pisas præterfluit. Caussa ejus consilii erat, quod sibi commodum equi et carpenta offerebantur. Igitur navibus uti quum nollet, has ante dicit fida in statione locasse.

561. *Tribunus* intelligitur militum, qui in præsidio ejus regionis erant.

562. *Ex commilitio*, ex eo tempore, quo mecum, vel sub imperio meo ordines militares duxerat. Alias commilitium quamvis societatem et communionem officii significat. Ovid. ex Pont. II, 5, 72: « Et commilitii sacra tuenda putas ».

563. *Officiis regerem*. Describit Magistrum Officiorum, qua de dignitate plura diximus quum in procem. ad Rutil. tum huj. op. t. I, part. 2, p. 333 sqq. — Pertinebat ad eum Palatii disciplina, et scholarum militarium dispositio, igitur et *armigeræ excubiæ*, quæ versu sequente dicuntur, sive protectores; perperam enim Dammius his aliud Rutilii munus, Præfecti prætorio, indicari putat.

565. Pro *contemplor* Reusn. in descript. Ital. p. 151, habet *quis nescit*. — *Alpheæ originis*. Explicet hoc Servius, qui ad hæc Virgilii, Æn. X, 179: « Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ, Urbs Etrusca solo »; « Alpheus, ait, fluvius est inter Pisas et Elidem civitates Arcadiæ, ubi est templum Jovis Olympici, ex quibus locis venerunt, qui Pisas in Italia condiderunt, dictas a civitate pristina ».

566. *Cingit* Reusn. ibid. *Ausur aquis* B. O. S. P. Sz. A. D. *Æsar*. Cast. *Auser* Reusn. ib. et Burm. *Ausar* vel *Auser* legit Cluver. Ital. Ant. lib. II, p. 461. — *Arnus et Auser*. De Auseris fluvii nomine, quod varie apud auctores scribitur, non laboro. Cluverius *Ausar* præferre videtur. Situm urbis et cursum fluviorum hodie diversum ab eo, quem Rutilius indicat, esse, monet P. Victorius, Var. Lect. XVII, c. 3, et Noris. ad Cenot. Pis. p. 9.

567. *Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt*: i. e. formant eam figuram soli, quod est inter hos fluvios, quæ ex lato in angustum coit, quasi figura pyramidis jacentis. Descriptionem pyramidis habes apud Auson. in Mos. v. 312. Sic Europam et Asiam conjunctas formam coni habere Priscianus e Dionysio

Intratur modico frons patefacta solo;
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.
Ante diu, quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.
Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
Pisani proprio quam posuere foro.

scribit, Perieg. v. 264: « Ast ambas unam si terras esse putemus, Adsimulent conum laterum compagibus æquis ».

568. *Intratur modico frons:* h. e. anterior terræ illius inter duo flumina pars, ubi primum intrant, qui adeunt, modico soli spatio sensim se aperit, primo acuta et angusta est, mox fit latior. Plane aberrat Dammius, qui *frontem* de ostio conjunctorum in unum fluminum, *modicum solum* de modico spatio alvei, *intrantes* de navigantibus accipit.

570. *Solus*, amisso altero nomine.

571. *Trojugenas nepotes* volebat Schraderus, et provocabat ad Pervig. Ven. 69: « Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit ». — *Trojugenas penates*, principes gentis a Trojanis oriundos. Hos enim intelligunt maxime, ubi penates nominant, quia majores cujusque gentis inter penates ejus et communi in penetrali colebantur. Inde et *penetralia* dicuntur translata, quæ teste Festo sunt Deorum Penatium sacraria. Ovid. Met. XV, 34: « patriumque simul transferre parabat In sedes penetrale novas ». Cæterum Virgilium sequitur Noster, qui Æn. I, 6: « Inferretque Deos Latio ».

572. *Sedibus* conj. auctor in Observ. Miscell. III, 3, p. 369, quod in adjecta nota refutatur. — *Insereret.* Hoc verbum ab arboribus, earumque insitione, ad gentes et familias, earumque adventitios alienigenas, ut ipsa stirpis, propaginis et alia nomina, translatum frequenter usurpatur, ut a Suet. Tiber. 3: « Insertus est et Liviorum familiæ »; et Calig. 23: « Succensebat, si qui imaginibus eum Cæsarum insererent ». Metaphoram plenius exsequitur Statius, Silv. II, 1, 101: « Vidi ego transertos alieno in robore ramos Altius ire suis ».

575-578. Quatuor hi versus in edit. Pii Bononiensi non habentur, atque eos primus Panvinius inseruit ex libro Gabr. Fæmi, testante Castal. — Sed mero errore librarii vel typothetæ hos versus omissos esse, facile hinc adparet, quod extremum verbum versus 574 est *genus* et quarti omissi extremum *genis.* Quæ verba similia facile confundi a librario potuerunt in describendo, ut inde a *genis* scribere pergeret, quum inde a *genus* debuisset. Ed. — *Imago* h. l. est statua, *sancti genitoris*, patris ob virtutes et optima de re publica merita mihi etiamnum post fata sancte vene-

Laudibus amissi cogor lacrymare parentis:
Fluxerunt madidis gaudia mœsta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
Fascibus et senis credita jura dedit.
Narrabat, memini, multos emensus honores,
Tuscorum regimen plus placuisse sibi:
Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum,
Nec jus Quæsturæ, grata fuisse magis:
Ipsam, si fas est, postponere Præfecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.
Nec fallebatur, tam carus et ipse probatis:
Æternas grates mutua cura canit;

randi. De patre hoc Rutilii Claudio Lachanio plora diximus in præfat.

577. *Laudibus*, sc. ejus statuæ basi inscriptis, ut mos erat.

578. *Gaudia*, quæ capiebam ex laudibus ejus, *mœsta* simul et dolore mixta ob ejus amissionem et desiderium, *fluxerunt* egesta lacrymis. Sic *lacrymosa gaudia* dicit Claud. XXVI Bell. Get. 407. Idem, XV Bell. Gild. 228: « permixto tremuerunt gaudia fletu ». — Et vid. Petr. Troj. Hal. 17, huj. op. t. III, p. 650. Ed.

580. *Jura dedit*, juri dicundo præfuit, magistratu functus est. *Credita fascibus senis*, commissa et attributa potestati Proconsulari, quæ sex fascibus pro insigni utitur. Etruriam pro Consule vel Prætore rexisse indicat, vel, ut ea tempora loquebantur, Consularem Tusciæ fuisse.

582. *Plus placuisse*, intellige cæteris provinciis et honoribus a se gestis; vel positum existima pro *plurimum*. Sic *potius* in principio poematis vidimus, et v. 505, « Plus palmæ est ».

583. *Opum curam sacrarum*. Dignitate Comitis sacrarum largitionum functum esse ait, qui thesauros majestatis Imperatoriæ administrabat, et olim vocabatur Præfectus ærario. Descriptionem ejus muneris longam habes apud Stat. Silv. III, 3, 87 et sqq. « Jam creditur uni Sanctarum digestus opum, partæque per omnes Divitiæ populos, magnique impendia mundi, etc. »

584. *Jus Quæsturæ*, officium Quæstoris Palatii, de quo egimus ad v. 171. Sic supra v. 157 « jura Quirini », et 468 « jura togæ » dixit.

585. *Præfecturam* Urbis, an Prætorii intelligat, incertum.

587. *Tam carus et ipse probatis* B. O. P. C. Sz. Bu. D. *et ipse: probatis* Chy. et Reusn. *Nec fallebatur: nam carus et ipse probatis* conj. Burm. — *Tam carus et ipse probatis:* quum iis, quos longo usu probaverat, et tamquam optimos mortalium expertus fuerat, tam carus ipse fuerit, atque hodie etiam sit.

588. *Æternas laudes* volebat Heins. — *Mutua cura*, Tuscorum, qui pro cura, quam ille habuit, salutis suæ, ipsi mutuam memoriæ ejus ad posteros servandæ curam habent.

Constantemque sibi pariter mitemque fuisse,
Insinuant natis, qui meminere, senes.
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent, et duplici sedulitate fovent.
Hæc eadem, quum Flaminiæ regionibus irem,
Splendoris patrii sæpe reperta fides:
Famam Lachanii veneratur, numinis instar,

— *Æternas grates canit*, assiduas illi adhuc mortuo gratias agunt, crebris sermonibus laudes ejus celebrantes.

589. *Constantemque sibi pariter mitemque*, i. e. severum ac tenacem justitiæ et pœnæ, ubi leges poscerent, exigendæ, sed tamen ut a crudelitate longissime abesset. Commode Burmannus hoc distichon Catonis, I, 7, adducit, ubi eadem conjunguntur: « Constans et lenis, ceu res expostulat, esto: Temporibus mores sapiens sine crimine mutat ». — Talia in Stilichone commendat Claudianus. Ed.

590. *Insinuant natis*, narrant assidue et blande commendant. *Insinuare animis* dicit Claudian. XLI, Epist. 3 ad Olybr. v. 22.

591. *Degenerasse paternis* malebat Heins. *ipsum parentem* Burm. — *Gradibus*, honoribus, ut v. 568. — *Non degenerasse parentis*, non me descivisse a gloria parentis, quod eosdem, atque ille, gradus honoris obtinuissem. Cum tertio casu *degenerare* construunt sequiores poetæ, ut Claud. de IV Cons. Hon. 368, « patri non degeneraret Achilli ». Propertius quidem similiter in vulgatis, IV, 1, 78: « Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquis »; sed quartum casum *propinquos* ibi defendunt, et sic melioris sæculi scriptores dicere contendunt Brouekh. et Burmann. sec. Præterea videndi Just. Zinz. Promuls. c. 13; Barth. ad Stat. Silv. III, 1, 160, et Heins. ad Ovid. ex Pont. III, 1, 45. *Turpare* pro degenerare usurpavit Statius, Theb. VIII, 433: « Hic et mente Lacon, erudi torrentis alumnus, Nec turpavit avos ».

592. *Duplici sedulitate*, studio et officio parentis simul, et mei ipsius gratia.

593. *Flaminiæ*, nempe viæ, quæ fert per superiorem partem Etruriæ, versus mare Adriaticum, Ariminum usque.

594. *Sæpe reperta fides*, sæpe reperi, plurium adseveratione audivi confirmari, *splendoris patrii*, gloriam illam, qua enituerit pater meus.

595. *Lachanii* nomen sibi incognitum adfirmat Burm. sed forte *Lacanii* legi posse, quæ gens in lapidibus nota: *nominis* habent B. O. S. Chy. sed *numinis* vult Siml. quem sequuntur alii. — *Lachanii*. Hoc nomen patris Rutilii esse, series orationis facile docet. Quod Burmannus substituere vult nomen *Lacanii*, id versui non aptum secundam longam habet, ut nomen *Lacaniæ* probat apud Martial. V, 44. — *Numinis instar*, colit Manes ejus defuncti, quasi inter Deos patrios et Penates suos. Sic etiam Ovid. Metam. XIV, 124: « Numinis instar eris semper mihi ».

Inter Tyrrhigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet provincia mores,
Dignaque, rectores semper habere bonos.
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati,
Felix tam simili posteritate pater.
Hujus vulnificis, satira ludente, Camenis

596. *Turrigenas* B. O. S. P. Ba. *terrigenas* Cast. Sz. Alm. Burm. *Tyrrigenas* Damm. *rurigenas* vol. Heins. *Tyrrhenos* tentabat Schrad.—*Lydia tota*, i. e. Etruria, ut *Lydium* Tibrim pro Tuscn vocat Virgil. Æn. II, 781, quia Tyrrhenus princeps Lydorum coloniam in eam Italiæ partem duxit, et Tuscos ex suo nomine Tyrrhenos vocavit, ut notat Servius ad l. c. et ad Æn. I, 71. Verisimilius est principem illum Tyrrhum vocatum, quod etiam est Tyrrhi, regii pastoris, nomen apud Virg. Æn. VII, 485, et Rutilium hoc loco *Tyrrhigenas* nominare, non *terrigenas*, ut significet, Etruscos Lachanium tanto honore adfecisse, ut quasi inter principes gentis suæ viros et posteros Tyrrhi referrent. Hinc *Tyrrhigenæ* Rutilii idem fuerint, qui *Tyrrhidæ* apud Virg. l. c. Quod nonnulli *terrigenas*, i. e. indigenas substituunt, id propterea ineptum videtur, quia *terrigenas* poetæ alii vocare solent non indigenas aut incolas alicujus terræ, sed monstra, gigantas, Terræ filios, aut certe primos et silvestres homines, quos e terra natos existimabant. Vid. Lucret. V, 1410; Ovid. Her. VI, 35; Met. V, 325, VII, 36; Val. Flacc. II, 18, VII, 629.

599. *Decius* videtur esse Cæcina Decius Albinus, qui Præf. Urbis sub Honorio et Theod. II memoratur in Cod. Theod. et Inscr. Grut. p. 287; quique a Macrobio cum Postumiano loquens inducitur Saturn. I, 2, et ad quem epistolæ Symmachi exstant lib. VII, 35 ad 60. Ad *Lucillum* Symmachi epistola est lib. VIII, 21, ubi eum in Flaminiæ regione vivere iubuit. Sed in aliis monumentis Lucilli illius nomen vix occurrit Cæcinæ vel Decio junctum.—Et de Deciorum familia pleraque incerta esse, dudum fassus sum huj. op. t. II, p. 18 sq. Ed.

600. *Corythi* B. S. C. Sz. A. Bu. *Coryti* O. P. D.—*Per Corythi populos*, Etruscos intelligit. Respexisse videtur locum Virgilii, Æneid. IX, 10: «extremas Corythi penetravit ad urbes, Lydorumque manum, collectos armat agrestes», quibus verbis Etruria describitur. Fertur autem Corythus fuisse antiquus rex Italiæ, a quo oppidum et mons dictus, quia ibi sepultus fuit, pater Dardani, qui in Phrygiam profectus Ilium condidit. Vid. Servius ad Virg. l. c. et ad Æn. VII, 207 et 209.

601. *Redditur* malebat Heins.

603. *Hujus*, nempe Lucilli, patris Decii, quem proxime nominavit. Falso Casaubonus de Satir. poesi hæc verba ad Decium filium retulit, atque hinc cum inter satiræ Lat. scriptores nominavit.—De eo

Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem:
Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.
Non olim, sacri justissimus arbiter auri,
Circumsistentes reppulit Harpyias?
Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,

Lucillo Satirico vide quæ conjecimus in adnotatis ad hujus operis tomum III, p. 20. Ed. — *Vulnificis Camenis*, carminibus vitia hominum lacerantibus: sic *secuisse urbem* Lucilium Satiricum ait Persius, I, 114. — *Satira ludente*, etiam hoc ad dictionem Persii, qui Horatium dicit circum *præcordia ludere* I, 117.

604. *Turnus* Satirarum scriptor Vespasianorum ætate celeber, et fragmenti Satiræ hodie exstantis auctor, de quo ubertim egimus hujus operis tomo II, p. 50 sqq. Ed.

605. *Instituit veterem* B. O. S. P. Sz. *Restituit* Cast. Alm. et rel. vid. supra v. 215. — *Censoria lima*, acris censura et reprehensio vitiorum: dictio Martialis, qui lib. V, 80, 12, de libro suo: « Quem censoria cum meo Severo Docti lima momorderit Secundi ».

606. *Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.* Non inepte tamen contra censet Seneca, qui, de Clementia lib. I, c. 23, scribit: « Summa prudentia..... velut incredibile scelus, et ultra audaciam positum præterire, quam, dum vindicant, ostendere posse fieri ». Ed.

607. *Non olim sacri* pleræque edd. vett. *Nam olim* Siml. contra metrum. *Namque olim* Cast. Reusn. Vossius, de Arte Gram. lib. II, 2, p. 168. *Nunc: olim sacri* scribit Barth. et τὸ *nunc* refert ad præcedentia: nunc, ait; collapsam morum disciplinam restituit, olim vero, etc. Hunc sequitur Damm. *Nunc, olim* legebat Heins. Burmannus vult *Nonne* vel *non* pro nonne cum adposito signo interrog. post *Harpyias*, et *olim* de tempore nuper elapso capit. Kappius post *olim* distinguendum putat, et explicandum: olim non ita erat. Ego Burmannum sequor. — *Sacri arbiter auri*, comes sacrarum largitionum de quo supra v. 583.

608. *Harpyias*. Neptuni et Terræ filiæ Harpyiæ finguntur a poetis, rapaces, volatiles, virgineo vultu, et manibus uncis. Tres enumerat Servius ad Virg. Aello, Ocypeten et Celæno. Formas et rapinas earum describunt Maro, Æn. III, 213 seq. et Valer. Flac. IV, 425 seq. Noster earum nomine notat avaros et iniquos judices vel præfectos, qui ærarium variis fraudibus expilant, imitatus Juvenalem, qui pariter rapacem magistratus vel Præsidis cohortem Harpyiam nominat, Sat. VIII, 130: « Nec per conventus, et cuncta per oppida curvis Unguibus ire parat nummos captura Celæno ». Cæterum in voce Harpyia, quam tribus tantum syllabis efferunt Veteres, Rutilium notos syllabarum modos indocte mutasse, et quadrisyllabum fecisse, Jo. Schraderus observat in præf. ad libr. Emend. p. 40. Idem de similibus nominibus *Orithyia*, *Ilithyia*, monet P. Burm. sec. ad Prop. I, 20, p. 189.

Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt:
Quæ luscum faciunt Argum, quæ Lyncea cæcum:
Inter custodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareia præda fefellit,
Totque simul manibus restitit una manus.

Jamque Triturritam Pisæa ex urbe reversus,
Aptabam nitido pendula vela Noto,
Quum subitis tectus nimbis insorduit æther;

610. *Pede glutineo*, glutine velut peruncto, viscato, cui tamquam visco, quidquid tetigit, adhæret. Petiit hanc dictionem Rutilius a Catullo, qui Carm. XXV, 9, Thallo furi ungues glutineos adscribit, quum eum ob pallium et sudarium ablatum monet: « Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte ». Sic Prudentius, Psychom. 455, Avaritiam dicit, « Quidquid luxus edax pretiosum liquerat, unca Corripuisse manu »; et mox, « velox dextra rapinas Abradit, spoliisque ungues exercet ahenos ». Similis pedi glutineo est « piceata manus » hominis furacis apud Martial. VIII, 59, 4. « Viscata hamataque munera » Plinii, Epist. IX, 30, et Paneg. cap. 43.

611. *Quæ luscum faciunt Argum*: quæ ita dextre et callide furantur, ut nemo satis oculatus esse possit ad observandas earum fraudes, et quibus Argus non plus videt, quam si unum tantummodo haberet oculum. Sic Damnius. Argus centum oculis, Lynceus acutissimis præditus, noti sunt e fabulis.

612. *Inter* ipsos *custodes*, ærario et thesauris adpositos, sed male observantes, et fortasse conscios et conniventes, *publica furta*, rapinæ pecuniæ publicæ, committuntur et quasi *volant*, i. e. rapidissime et celerrime, ne quis animadvertat, exercentur.

613. *Briareia turba* pro *præda* conj. Burm. quia hæ voces commutari solent: sic et Schraderus. — *Briareia præda*, i. e. tam copiose et potenter facta, quasi ab homine centum manibus prædito, qualis fertur prædo ille validissimus Briareus fuisse: quem et Ægæona nominatum Gigantibus, Jovem regno depellere conatis, adnumerant. Vid. Virgil. Æneid. X, 565 seq. et Stat. Theb. II, 595 seqq. Claudianus, de Raptu Proserp. III, 188: « centum Briareia turba lacertis ». Unde et hic *turba* possis pro *præda* legere.

616. *Aptabam*. Verbum hac in re proprium esse ostendit Burm. ad Ovid. Met. XI, 656; *curam velorum* a Nostro appellari, monuimus ad vs. 322. — *Nitido Noto*, sereno, placido, quem Leuconotum vocant, « album Notum » Hor. Carm. I, 7, 15, sicut Noster supra v. 541, *clarum Eurum*.

617. *Insorduit* omnes: verbum nunquam, aut raro aliis usurpatum putat Burm. reliquit tamen Rutilio, licet ad morem aliorum poetarum malit *Quum subitis nimbis in-*

Sparserunt radios nubila rupta vagos.
Substitimus : quis enim, sub tempestate maligna,
Insanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus navalia silvis,
Sectandisque juvat membra movere feris.
Instrumenta parat venandi villicus hospes,
Atque olidum doctas nosse cubile canes.
Funditur insidiis et rara fraude plagarum,
Terribilisque cadit fulmine dentis aper,

tectus inhorruit æther. Schraderus *contectus.* Crusius, pag. 62, corrigit *Cum subitis contractus nimbus inhorruit austris.* — *Insorduit.* Perperam hoc verbum Rutilio eripere tentant, quia insolens est. Nam suppar ei usurpavit Sidonius, Epist. V, 13 : « Dejectu caducæ frondis agger insorduit ». Et de nimbo adhibuit Noster, quia noverat alios pari in re verbo *fædare* uti, ut Claud. de Rapt. Proserp. I, 162, de Ætna : « Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum Fœdat nube diem ». Virgilius « fœdam tempestatem » dicit Georg. I, 323.

620. *Insanituris fretis*, mari, quod prævidebamus hac sub tempestate maligna procellosum et turbidum fore. « Insanientem Bosporum » Horatius vocat Carm. III, 4, 30; et infra Noster, II, 24 : « Tyrrheni rabies Adriacique salis ».

621. Crusius l. cit. sic refingit : « Otia vicinis terimus nemoralia silvis, Sectandisque juvant arma movenda feris » ; aut « juvat bella movere feris ». — *Otia navalia*, otium a navigando, vel potius moram navigationi injectam. — *Terimus:* hoc verbum de otio molesto et infructuoso, quod ægre ferimus, usurpatur : uti in hoc Statii, Silv. III, 5, 60 : « Heu! nunc illa terit viduo quod sola cubili Otia, tam pulchræ terit infecunda juventæ ». Symmachus, Epist. II, 32 : « Ego ab omnibus negotiis feriatus, triste otium tero ».

622. *Spectandisque* dedit Goetz. ingenio inventum, an incuria admissum, incertum.

624. *Olidum cubile*, quod odorem feræ ibi cubantis (*vaporem ferinum* vocat Grat. Cyn. v. 223) servat, et cani sagaci sentitur. Festus, « sagaces canes, qui ferarum cubilia præsentiunt ». Sic et « odoratum pratum » Nemesianus, Cyneg. 235, dicit, quod feræ impressa vestigia cum odore habet.

625. *Rara fraude plagarum*, pro raris plagis, quibus deceptæ irretiuntur feræ. « Plagarum astus » vocat Gratius, v. 24. *Raræ plagæ* et *rara retia* dicuntur propter spatia, foramina vel aperturas, quæ sunt inter nodos et fila retium, atque etiam *maculæ* dicuntur : binc ipsi *nodi rari* apud Nemes. v. 301.

626. *Fulmine dentis.* Frequens est poetis spiritum æstuantem oris, tum etiam dentes fortium animalium ignes, flammas, fulmina appellare. Vid. not. nostr. ad Epit. Hom. 601.

IV. 11

Quem Meleagrei vereantur adire lacerti,
   Qui laxet nodos Amphitryoniadæ.
Tum responsuros persultat buccina colles,
   Fitque, reportando, carmine præda levis.
Interea madidis non desinit Africus alis
   Continuos picea nube negare dies.
Jam matutinis Hyades occasibus udæ;
   Jam latet hiberno conditus imbre Lepus,

627. *Meleagræi* veteres cum Alm. et Burm. sed *Meleageri* D. et K. — *Quem Meleagrei.* Meleager nobilis venatu apri Calydonii.

628. *Qui laxet* B. S. C. Sz. Ba. Alm. Burm. D. *laxat* O. P. *lasset* conjecerat Heins. deinde correxit in *laxet*, ut habent veteres. — *Laxet nodos*, i. e. nervos et tendines ex nimia contentione et nisu distendat et lasset: *nodi* enim sunt ligaturæ nervorum. Nemes. Cyneg. vs. 169: « quum membrorum nexus nodosque relaxant ». — Similiter Lucanus, IV, 632, de Hercule et Antæo: « Herculeosque novo laxavit corpore nodos ». Ed. — Respicit autem ad aprum Erymanthium ab Hercule sublatum. Pariter Val. Fl. I, 374, dicit « Erymanthei sudantem pondere monstri Amphitryoniaden ».

629. *Buccina* venatoria, quæ in signum victoriæ canebat, *persultat*, fortiter personat clangore suo *colles responsuros* per Echo, quæ vocis imago resultare dicitur offensa. — Vid. Exc. II ad Calp. Ecl. IV, v. 28, huj. op. nostri, t. I, part. 2, p. 469. Ed. — Moris hujus buccina canendi in venatu nulla mentio in venaticis poetis. Victoriæ tamen mentio apud Grat. v. 246, et lætitiæ signa data, hic versus Ovidii doceat, Art. Am. II, 1 et sq. « Dicite Io Pæan!... Decidit in casses præda petita meos »; et conf. Metam. VIII, 420. — Pro *colles* Dammius *montes* posuit, nescio qua causa, quove casu.

630. *Fitque reportanda* B. S. Sz. *reportando* O. P. Ba. D. et K. *reportanti* Cast. Alm. Burmann. Barthius *reportandum carmen* capere vult de echo, per collium anfractus emissas voces reddente. *Reportantum* malebat Heins. Ego teneo, quod simillimum antiquæ scripturæ est, *reportando*. — *Fitque reportando*, dum reportant venatores aprum, *præda levis carmine*, labor portandæ prædæ levatur cantando in triumphi modum. Pompam aliquam ductam in reportanda præda, etiam cum clamore, loci aliquot ostendunt. Virgil. Georg. III, 375; Seneca, Hippol. 79; Stat. Thebaid. VIII, 751.

632. *Continuos dies*, continuo serenos.

633. *Hyades udæ*, stellæ in capite Tauri pluviam ferentes, *occasibus matutinis* latent, occidunt mane, quum sol oritur.

634. *Hyberno... hymbre* B. S. — *Jam latet Lepus*, astrum Leporis jam occidit cosmice, qui quum occasu suo hiemem et imbres denuntiat, tum jam instare magnam tempe-

Exiguum radiis, sed magnum fluctibus, astrum,
Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloso subjungitur Oarioni,
Æstiferumque Canem roscida præda fugit.
Vidimus excitis pontum flavescere arenis,
Atque eructato vortice rura tegi.
Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,
Destituenda vago quum premit arva salo;
Sive alio refluus, nostro colliditur orbe,

statem significat. — *Imbre hiberno conditus*, quia ruente jam imbre conditur.

635. *Magnis fluctibus* plerique excusi: sed elegantius ratus est Castal. *Exiguum radiis, sed magnum fluctibus astrum*, ut ad *exigunm* referatur magnum, hoc fluctibus, illud *radiis*. Et probabat *magnum* Heinsius, ego propter oppositionem adeo necessarium puto: recepit etiam Damm. — *Magnum*, sine vetustæ editionis auctoritate textui obtrusum, quum magis etiam poeticum sit *magnis*, ut res, non verba opponantur. Ed. — *Magnum fluctibus*, potens fluctibus et procellis excitandis. — *Fluctus* nescio an accipiendi sint de fluxione imbris. Sant.

636. *Madidam humum*, litus pluviis madidum, *linquit*, ut in mare progrediatur.

637. *Oarioni* B. S. C. Sz. Alm. Burm. *Orioni* O. P. D. K.—*Subjungitur Oarioni*. Amplius hoc declarat Avienus in Arat. p. m. 45: « Parvulus in stellis Lepus est quoque; namque ubi magnus Emicat Orion, gemina ad vestigia subter Urgetur cursu rutili Canis ».

638. *Roscida præda fugit*, h. e. Leporis astrum, de quo sermo est, pluvias adferens occasu suo. Nam de eodem Germanicus, v. 339, ut Noster: « Auritum Leporem sequitur Canis, et fugit ille »; et hic pariter Leporem in sideribus *prædam* vocat, quando de Chirone vel Centauro, v. 416: « dextra Seu prædam e silvis portat, seu dona propinquæ Placatura Deos, cultor Jovis, admovet aræ ». Nam in adjecta imagine apud Grotium, p. 75, cernitur capreolam et leporem gestare.

639. *Pontem* editiones Chytræi et Reusneri, perperam.

641. Procellam excitati et tumidi maris, quam occasus Leporis efficiat, tantam sæpe esse dicit, quantus accessus recessusque Oceani est, certo tempore fieri solitus. Hujus æstus deinde caussas quærit, et sic, quod toto libro consuevit, hic agere perseverat, ut e singulis, quos in itinere suo locos vel casus adit, caussam vel occasionem arripiat, nonnulla utiliter et jucunde quærendi. Caussas æstus Oceani refert Mela, lib. III, c. 1; Lucan. I, 409 seq. Plin. lib. II, c. 99. — Et conf. quæ diximus ad Epist. Did. vs. 70, hujus op. t. III, p. 366. Ed.

643. *Sive* hæc caussa æstus Oceani est, quod ille *refluus* et repulsus ab *alio orbe* nobis ignoto, cui adlisus ante fuerat, *nostro* orbi colliditur.

Sive corusca suis sidera pascit aquis.

Hanc caussam non memini inter memoratas ab aliis referri. Sed tangit Macrob. Somn. Sc. II, c. 9.

644. *Sidera pascit aquis.* Veteres credebant sidera ali humoribus magisque accendi, et solem igitur attrahere aquas marinas. Hanc caussam sic exprimit Lucan. I, 415: « Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat ». — Plura adducuntur in notis ad Incerti votum ad Oceanum, vs. 10, hujus operis t. III, p. 321. Ed.

CLAUDII RUTILII NUMATIANI

V. C.

DE REDITU SUO

ITINERARIUM.

LIBER SECUNDUS *.

NONDUM longus erat, nec multa volumina passus,
Jure suo poterat longior esse liber:
Tædia continuo timui cessura labori,

* Inscriptiones libri II in editionibus priscis variant. Bononiensis sic: *Rutilii Claudii Numatiani de reditu suo, Itinerarii liber secundus.* Onuphrius Panv. post *Numatiani* addit *Galli V. C.* et post reliqua *ad Venerium Rufum.* Simlerus ut Bononiensis, præponit tantum *Itinerarii* vocem nominibus Rutilii. Castalio sic: *Claudii Rutilii Numatiani Itinerarii liber secundus.* Reusnerus sic: *Rutilii Claudii Numatiani iter Romanum, fragmentum*, et videtur adeo in opinione esse Onuphrii, qui duplex iter a Rutilio descriptum putabat, primum Roma in Galliam, alterum e Gallia Romam; quod erroneum est. Reliqui fere inscribunt ut Onuphrius, vel Simlerus. Alii nulla inscriptione utuntur, et simpliciter *Liber II* ponunt, ut Sitzm. Almel. Burm. Damm. quod optimum factu est.

1. *Nec multa volumina passus*, nec sæpe, membrana circum bacillum volvenda, contrahi debebat. Indicat librum suum volumen fuisse, quod charta plana, sed convoluta, constabat, non codicem e pluribus paginis compactum.

3. Editi omnes *timuit:* sed rectius meo sensu legitur *timui*, ut auctor de semet ipso loquatur. Sic melius hic versus cohæret cum sequente, meliusque convenit, quod versu 9 dicitur, *Partimur*. Pro vers. 3 et 4 Kappius versus 9 et 10 huc retulit. Ego vero ordinem versuum antiquum, qui satis bene se habet, deserere nolui. — *Timui tædia*, ne tædium e defatigatione legendi oriretur, *cessura continuo labori*, quod

Sumere ne lector juge paveret opus.
Sæpe cibis adfert serus fastidia finis :
Gratior est, modicis haustibus unda, siti.
Intervalla viæ fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
Quem satius fuerat sustinuisse semel.

Tandem nimbosa maris obsidione solutis
Pisano e portu contigit alta sequi.
Adridet placidum radiis crispantibus æquor,

obrepere lectori debet, ubi tam longum opus continuo labore perlegendum est. Bene huc conferas Prudentii versum, in Symm. lib. I extr. «Sed jam tempus iter longi cohibere libelli, Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen».

4. *Juge opus*, *continuum*, et serie non interrupta cohærens.

8. *Millia multa* citat Vossius de Histor. Lat. — *Millia crebra lapis*, columna lapidea milliaris, quæ spatia et mensuras viarum designat. Hinc nota illa dictio apud Romanos, tertio, quarto ab Urbe lapide. Columnas eas primum positas a C. Graecho Tib. F. in tribunatu, lege lata de coloniis deducendis, ac viis muniendis, refert Plutarch. in C. Graccho, cap. 7. Cæterum sententia hujus versus expressa e loco Quintiliani videtur, qui Instit. IV, 5, 22: «Non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia».

9. *Ruborem* B. S. C. Sz. Alm. Burm. D. *rumorem* O. et P. forte culpa librarii. Pithœus in notis scribit *tumorem*, pro eoque vult *timorem*. Posse etiam *pudorem* legi putat Kappius. — *Trepidum ruborem* nostrum, illum pudorem sollicitum, quo veremur, ne opus longius lectorem offendat, *partimur per bina opuscula*, dividendo opus nostrum in duo libros minorem levioremque efficimus, ut minor metus sit, ne liber ita distinctus tædium creet: quamvis *satius fuerat*, opera cum primo libro finita, nec altero libro addito, semel eo rubore vel metu defungi.

11. *Nimbosa maris obsidione solutis*, h. e. difficultate illa et periculo exeundi in mare, quod propter nimbos et procellas hactenus clausum erat. — *Obsidio* vocatur omne impedimentum, quo prohibemur libere exire et agere. Ita Plinius, Paneg. c. 81, 2, de feris venatione submotis: «submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor».

12. Grævius censet esse scribendum *Pisano e portu*, etsi τὸ *e* in omnibus edd. omissum. Dammius vero recepit.

13. *Radiis* solis *crispantibus*, leviter moventibus se et errantibus per undas. *Crispare* fere est vibrare, trepidare, ultro citroque motitare. — Ita in Voto ad Oceanum, t. III,

Et sulcata levi murmurat unda sono.
Incipiunt Apennini devexa videri,
Qua fremit aerio monte repulsa Thetis.
Italiam, rerum dominam, qui cingere visu,
Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernæ similem procedere frondi,
Arctatam laterum conveniente sinu.
Millia per longum decies centena teruntur

p. 322, vs. 19 : : « Ac tantum tremulo crispentur cærula motu ». Ed.

14. *Murmuret unda sono.* Sic Carm. supra cit. v. 24 : « Te sulcante viam rostro submurmuret unda ».

15. *Apennini devexa*, loca, ubi videtur mons ille deverti ad mare. Intelligit non ipsum montem, sed promontorium quoddam, e quo Apennini juga prospici possunt.

16. *Aerio monte*, præcelso, ut « aerias Alpes » dixit Virgilius, Georg. III, 474.

17. *Rerum dominam*, ut « rerum rectores » Romanos supra dixit I, 555. — Pro *cingere* malebat *jungere* vel *stringere* Heins. ad Claud. Bell. Gild. 356, et in Advers. lib. I, pag. 55. *Cingere* tamen retinendum, et pro, totam lustrare positum putat Burm. — *Cingere visu*, circumire oculis et totam complecti. — Similiter Sabinus, Epist. II, 49 : « oculis circumdat sidera ». Ed.

18. *Cernere mente*, fingere animu figuram quamdam et imaginem ejus; vid. sup. I, 544.

19. *Quernæ similem frondi.* Idem adfirmat Plinius, III, 5, de Italia loquens : « Est ergo folio, maxime querno, adsimilata, multo proceritate amplior, quam latitudine ». Et frequens hic mos Veterum fingendi quasdam formas terrarum e similitudine aliarum rerum. Sic Europam et Libyam Avienus nuci pineæ comparavit, Peloponnesum folio platani : Sardiniam adsimulare solent sandalio vel plantæ pedis, Siciliam triquetro, unde et Trinacria : Pontum Euxinum arcui Scythico comparat Mela, I, 19. Immo totum orbem terrarum fundæ similem pronuntiat Dionysius, Perieg. cum eoque Avienus et Priscianus in principio operis. Plures ejusmodi similitudines congessit Andr Schottus, Obs. hum. III, 27.

20. *Arctatam laterum.* Sic Priscianus, Perieg. 12 de tellure : « Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque, Adsimilis fundæ ». Et videatur Nostri lib. I, vs. 317.

21. *Millia decies centena*, intellige passuum, quod nomen fere semper omitti solet, ut v. 8 et 26, et lib. I, 317, 318. Sic Lucilius in Ætna, vs. 481 : « Illæ paullatim bis sena in millia pergunt ». Plinius, III, 5, longitudinis Italiæ ab Alpino fine ad Rhegium usque colligit decies centena et viginti millia passuum. — Pro *teruntur* Schraderus conjecit *feruntur*. — *Teruntur* verbum proprium de viatoribus et viis publicis. Horat. Epod. IV, 14 : « Et Appiam mannis terit ». Propert. II, 23, 15 : « Cui sæpe immundo sacra con-

A Ligurum terris ad freta Sicaniæ:
In latum variis damnosa amfractibus intrat
Tyrrheni rabies Adriacique salis.
Qua tamen est juncti maris angustissima tellus,
Triginta et centum millia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phœbus uterque diem:
Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
Cærulaque occiduis frangit Etrusca jugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque Dei machina tanta fuit;
Excubiis Latii prætexuit Apenninum,

teritur via socco ». Claudian. XXVI Bell. Getic. 341, « panditque terendam Vix æstate viam ».

23. Pro *damnosa* Heinsius malebat *clamosa*. Ego hic mallem *In latus at variis*, ut respondeat versui 20 *Arctatam laterum*. — *Damnosa*, radens, auferens terram et curvans in sinus. Horat. Carm. I, 33, 16: « fretis acrior Adriæ Curvantis Calabros sinus ».

24. *Salis* habent B. S. C. Sz. Chy. Burm. *sali* O. P. Reusn. Alm. D. sed *salis*, quod toties solet mare vocare Virgil. non videtur deserendum. *Adriaticique* Sitzm. et Barth. dederunt, contra metrum.

25. *Juncti maris*, minus distantis et utrimque propinqui.

26. *Triginta et centum*. Secundum Plinium l. c. minima latitudo Italiæ est 136 millium passuum, maxima 300 millium.

27. *Obliquatur*, latera sua oblique vertit *in* et versus *undas diversas*, mare Dalmaticum et Etruscum. Sic Virgil. Æn. V, 16: « obliquatque sinus in ventum ». Similiter Apennini tractum describit Lucanus, II, 399 sq. « Mons inter geminas medius se porrigit undas Inferni superique maris, collesque coercet, etc. » Add. Claud. VI Cons. Honor. 287 sq. Similiter de monte Tauro Asiam dividente Priscianus in Perieg. vs. 632: « Nunc obliqua means, nunc recto limite currens ».

28. *Phœbus uterque*, Oriens et Occidens, quos poetæ solent duo diversos soles facere. Loca sunt obvia. Sed Petronii *sidus utrumque*, de Mutat. Reip. vs. 2, perperam de utroque sole explicari, notavi. — Vid. huj. op. t. II, pag. 90, et ibi adnotata. Ed.

33. *Excubiis prætexuit*, præposuit, circumdedit ad custodiam: excubitorem Latio velut adsignavit montem Apenninum. Plinius, Paneg. cap. 52, 2, de statuis Trajani ante templa collocatis: « tibi maximus honor excubare pro templis, postibusque prætexi ». — *Latiis* habent veteres. *Latii* correxit Cast. sequuti sunt Demsterus de Etrur. reg. IV, 4. Ba. Alm. Burm. D. Sed non adeo respuendum erat *Latiis* veterum edd. et videtur hoc more Rutilii

Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis:
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit, quæ pretiosa tulit.
Jam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosque habuit Roma futura Deos.
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.

dictum, nt infra v. 46 *Latiæ neci*.

34. Pro *viis* aliquando *jugis* legendum cogitaverat Heinsius, sed induxit. Burmannus vero mavult *feris*, ut et Schraderus. — *Montanis viis*. Capienda hæc sunt pro ablativis absolutis: nempe, quia viæ ad claustra illa dneentes non nisi montanæ sunt, perruptis tamen scopulis et rupibus superandæ, hinc *claustra* illa *vix adeunda* sunt. Non igitur est, eur *viis* valde sollicitetur. Sæpius sie loquentem Rutilium vidimus, ut vs. 285, 300, 348.

36. *Arctois minis*, hostibus, qui invadere Italiam a septemtrione possent. Cæterum expressa hæc verba e Juven. Sat. X, 152: « opposuit natnra Alpemque nivemque ». — Pulcherrima similitudo, quæ seqnitur. Ed.

38. Pro *semel* Heinsius malebat *temere*. Pro *tulit* forte melius *dedit*. — *Nec semel inclusit*, nec uno tegumento aut membrana. Hinc *abstrusa vitalia* Lucano, IX, 778: « laterum textura, cavumque Pectus et abstrusum fibris vitalibus omne ».

41. *Stiliconis* habent quidem antiquæ edd. sed cum adspiratione scribendum lapides antiqui docent. Et sic scripsit Castal. et Burmann.

42. *Quod fuit* B. S. Chy. Sz. Alm. *qui* O. P. C. et cæteræ edd. — *Proditor arcani qui fuit imperii*. Ex hactenus dictis auctoris patet, non singulare arcanum imperii hic significari, sed imperium ipsum dici arcanum, h. e. tectum, custoditum, et undique munitum, præsertim ab Alpibus et Apenuinis montibus, quos supra nominatos hie potissimum respieit Rutilius. Hoc enim maxime suspiciosum Romanis in Stilichone erat, quod Alarico in Italiam irruente per Alpes, nullo præsidio nec exercitu objecto, putabatur Gothis liberum in Italiam aditum aperuisse. Quam ealumniam attingit et diluit Stiliehonis oratio apud Claud. Bell. Get. 278-288, et cf. Zosim. V, 29. Arcana dici proprie solent, quæ interius condita et præmunita arceantur ab aliorum interventu; neque *arcanum regni*, quod vocat Claud. XXVI, Bell. Get. 103, aliud est, quam interius aliquod et occlusum penetrale Romæ: « procul arceat altus Jupiter, ut delubra Numæ, sedemque Quirini Barbaries oculis saltem temerare profanis Possit, et arcanum tanti deprendere regni ». Minime igitur probabile, quod sentinnt nonnulli interpretes, Rutilium « imperii arcanum »

Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor:
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiæ barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illatæ cladis liberiore dolo.

vocare libros Sibyllinos, quorum meminit v. 52. — Notandus tamen Seneca, qui in Thyeste, arietem ab Argonautis raptum vocat *arcanum*. Et Jovis *Arcani* mentio est ap. Murat. in Thes. Inscr. t. I, p. 181. Ed.

43. *Romano generi dum nititur esse superstes*, dum studet imperium Rom. ejusque constitutionem pessum dare, dummodo ipse emineat.

44. *Summis miscuit ima*, i. e. omnia perturbavit.

45. Barthius hic scribendum putat adhibita parenthesi: *Quumque timet quidquid (se fecerat ipse timeri) Immisit Latiæ*. Heinsius legebat *quidquid subjecerat*, vel *suffecerat*, *ipse timori*. Burm. conj. *quidquid sibi fecerat ipse timoris*. *Quidquid* vero Rutilio notat quantum, vel quodcumque. — *Dumque timet*, ne id sibi fiat, *quidquid ipse* superbia et crudelitate sua *fecerat*, *timeri se*, ut ipse timeretur. Sic satis commode involutam hanc orationem explicat Dammius, ut mutatione aliqua vel emendatione verborum, quam tentant alii, vix opus sit. Facilius sensum adsequaris, si *quidquid* per *quantum* explices: *Dumque timet* tantum, *quantum se fecerat*. Cæterum expressisse hic Rutilius videtur notissimum versum Laberii in Cæsarem, apud Macrob. Sat. II, 7: « Necesse est multos timeat, quem multi timent ». — Et similiter Plin. Paneg. cap 18: « quæ persuasio fuit illorum, qui, hostilia quum facerent, timebant ». Ed.

46. *Latiæ neci*, ad perniciem Romanorum, saltem multorum illustrium necem, *immisit*, admisit, vel adlexit in Italiam, *barbara tela*, Gothos armatos. Orosius, lib. VII, cap. 37, de Rufino et Stilichone loquens: « Quid uterque egerit, quidve agere conatus sit, exitus utriusque docuit, quum alius sibi, alius filio suo adfectans regale fastigium, ut rebus repente turbatis, necessitas rei publicæ scelus ambitus tegeret, barbaras gentes ille immisit, hic fovit ».

47. *Visceribus nudis*. In Italiæ interiora, omni præsidio nudata, barbaros milites, qui re ipsa hostes erant, adduxit, et Romanis immiscuit. Respicit Gothorum, Alanorum, Hunnorum aliorumque Barbarorum numeros, quos Stilicho vel fœdere, vel mercede adductos Romanæ militiæ adjunxerat, et quorum multos ipse in comitatu et satellitio suo habebat. Vid. Zosim. V, 34; Oros. VII, 37; Paul. Diac. Hist. Misc. XIII, 25.

48. *Liberiore dolo*, h. e. quia, si clandestini hostes fœderis prætextu in militiam recepti essent, et Roma ipsa satis præsidii non haberet, *dolus* ille, quo *cladem inferre* Romano imperio volebat, jam *liberior* erat, quia occultior, a periculi metu, et propriæ culpæ suspicione

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
 Et captiva prius, quam caperetur, erat.
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
 Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam consumpti funere torris;
 Niseum crinem flere putantur aves.

49. Crusius in Probab. Crit. p. 63 corrigit *parebat*, idque exigere dicit sequentia : si captiva erat, ergo parebat. At hoc adversum metro est et mihi ipsa sequentia suadere videntur, ut *patebat* retineamus. Nam quæ patet, parata et opportuna est adeunti et capere volenti; atque hinc captiva prius, quam capiatur. Sic in Satyra Sulpiciæ, v. 60, legendum conjecimus *Lydis dum Smyrna patebat*, i. e. capta erat. — *Satellitibus*, Gothis inter stipatores Stilichonis et ipsos Principis protectores adsumptis. Dicit autem *satellites* ex usu horum temporum, quod iidem administri erant factionis contra imperium, cujus ducem fuisse Stilichonem putat Rutilius. Quem sensum vocis ex legibus hujus temporis declarat Jac. Gothofredus in Discursu ad legem *Quisquis de majest.* cap. 9.—*Pelliti* dicuntur Gothi, quia hi pellibus indui solebant. Claud. Bell. Get. 481 : « Crinigeri sedere patres, pellita Getarum Curia »; et IV Cons. Hon. 466 : « metitur pellita juventus ». — Roma *patebat* Gothis, quia hi præsidiis Romanis immixti libere intrare Romam, aliasque urbes Romanas, poterant. — Biennio enim post Stilichonis mortem Romam cepit Alaricus, anno 410. Ed.

51. Serv. Gallæus, de Sibyllis pag. 278, alibi legi dicit, libro tamen non nominato : « Ne tantum patriis sæviret proditor armis, Sancta Sibyllinæ fata cremavit Opis ».

52. *Fata*, oracula, quibus fata Romanorum canuntur, *Sibyllinæ opis*, librorum Sibyllinorum, e quibus Romani dubio rei publicæ tempore consilium et opem petere solebant. *Fata et remedia Romana* in iis libris fuisse scribit Servius ad Virg. Æn. VI, 71 : et Tibull. II, 5, 15 : « Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est, Abdita quæ senis fata canit pedibus ». De ipso facinore Stilichonis, quod hic memoratur, lege sententiam nostram in Excursu VIII.

53. *Consumpti funere torris* : quod torre fatali, igni imposito et consumpto, necem filii Meleagri procuravit. *Lignum fatale* vocat Ovid. Met. VIII, 479, ubi hanc fabulam enarrat, *stipitem fatiferum* Pentadius, Eleg. I, vs. 21 (hujus operis t. II, pag. 317. Ed.)

54. *Crimen* O. S. Alm. Burm. *crinem* prima Bon. P. C. Sz. D. *crimen* autem ferri nequit, quia hoc non Nisi, sed Scyllæ fuit. — *Niseum crinem*, fatalem crinem Nisi, regis Megarensis, quem ei abscidit et hosti Minoi tradidit filia Scylla. — *Flere putantur aves* illæ, ab avi, in quam Scylla mutata est, prognatæ. Fabulam narrat Ovid. Met. VIII, 6 et sqq. « Interea Minos Lelegeia litora vastat, etc. »

At Stilicho æterni fatalia pignora regni,
    Et plenas voluit præcipitare colus.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
    Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille;
    Hic mundi matrem perculit, ille suam.

Sed diverticulo fuimus fortasse loquaces:
    Carmine propositum jam repetamus iter.

55. *Æterni fatalia pignora regni*, libros Sibyllinos, qui sancte conservati æternum præstare imperium Rom. poterant. Sed falso libros Sibyllinos a Rutilio pro pignoribus imperii haberi, ostendimus in fine Excursus VIII ad calcem hujus carminis.

56. *Colos* antiquæ: *colus* C. Sz. Alm. Burm. Conf. lib. I, 134. — *Plenas præcipitare colus*, ad finem propere perducere fata Romana, quæ diutissime adhuc durare poterant. Adludit ad colos Parcarum, quando illæ adhuc sunt plenæ, ut diu stamina inde queant duci. Sic Dammius. Phrasi usus est Statius, Theb. V, 150: « Idem animus solare domos, juvenumque senumque Præcipitare colos ».

57. *Tartarei*, in Tartarum, sceleratorum locum, detrusi. « Tartareum carcerem » vocat Calpurn. I, 52. — *Cessent*, jam desinant excruciare Neronem. Nomine *Tartarei* sæpe sceleratos et exsecrandos homines designant sequiores scriptores, præsertim Amm. Marcellinus.

58. *Consumat faces*, omnes, quotquot adsunt, Furiarum faces experiatur, donec ipsæ deficiant. Sic Stat. Theb. XI, 2: « furias virtutis iniquæ Consumpsit Capaneus », h. e. furiis omnibus morte sua satisfecit virtutem ejus impiam punientibus. Idem, Theb. X, 813, dicit « jugulo ensem consumere », i. e. totum recipere. Tacit. Hist. III, 24, « ignominiam consumere », i. e. omnem contrahere, ut nulla sit reliqua. — Sic Val. Fl. I, 832: «...chaos quod pondere fessam Materiem, lapsumque queat consumere mundum». Ed.

61. *E diverticulo* conj. Schrad. — *Diverticulo*, divertendo vel digrediendo a re proposita ad aliam. *Diverticuli* ejusmodi notionem plenius explicat Livius, IX, 17: « ut ab rerum ordine declinarem, varietatibusque distinguendo opere, et legentibus velut diverticula amœna et requiem animo meo quærerem ». Sic et loquutus Juven. XV, 72: « A diverticulo repetatur fabula ».

62. *Proposito* omnes antiquæ, etiam Burm. *propositum* conj. Sitzm. probavit Heins. et P. Burmannus sec. ad Propert. II, 23, 82, pag. 448; recepit denique Dammius et Kappius. Et vero sententia ipsa poscit, ut *propositum* conjungatur cum *iter*, tum similes poetarum loci. Ovid. Her. XVI, 118: « Propositumque pia voce morantur iter ». Propert. II, 30, 14: « Nos modo propositum, vita, teramus iter ».

Advehimur celeri candentia mœnia lapsu :
Nominis est auctor Sole corusca soror.
Indigenis superat ridentia lilia saxis,
Et lævi radiat picta nitore silex.
Dives marmoribus tellus, quæ luce coloris
Provocat intactas luxuriosa nives.

Reliqua desiderantur.

63. Huuc versum Reusnerus in Descript. Ital. sic plane mutatum exhibet : « Pone metalliferæ candentia mœnia Lunæ ». Videtur ei memoria versus Statiani succurrisse, Silv. IV, 4, 23 : « Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ ». — *Celeri lapsu*, cursu navis ; ut Virgil. Æn. VIII, 91 : « Labitur uncta vadis abies ». — *Candentia*, ob marmor candidum : quod verbum proprium marmoris Lunensis esse, observat Servius ad Virgilii Æn. VIII, 720.

64. *Sole corusca soror.* Oppidum Lunæ significat, quod « primum Etruriæ, portu nobile » vocat Plin. IV, 5; isque portus marmore candidissimo et metallis celebratus, quod dudum monuimus ad Aratn Porphyrii (huj. operis tomo I, pag. 686, sq. Ed.) — Laudat inprimis Silius, VIII, 480 sq. « Tunc quos a niveis exegit Luna metallis, Insignis portu, quo non spatiosior alter, Innumeras cepisse rates, et claudere pontum ».

65. *Candentia* Reusn. — *Ridentia lilia :* ridere omnia dicuntur poetis, quæ sunt splendida, serena, jucunda adspectu. Virgil. Ecl. IV, 20 : « Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho ».

66. *Lævi nitore*, splendore, qui ex lævitate est. — *Picta*, naturaliter variata lineis quibusdam et venis.

67. *Luce coloris*, lucido candore. Claudian. Stilich. III, 133 : « quæ luce metalli Æmula vicinis fastigia conserit astris ». — Sic *nivem eboris* dixit Apul. de Mundo. Ed.

68. *Provocat*, quasi in certamen cum hoc candore marmoris sui, *luxuriosa*, et abundanti, *intactas nives*, nullo vel pedis humani vel aeris tactu vitiatas. Ovid. ex Pont. II, 5, 38 : « sunt tua pectora, lacte Et non calcata candidiora nive ».

EXCURSUS I

AD RUTILII ITIN. LIB. I, vs. 113 et 114.

Vere tuo nunquam mulceri desinit annus;
Deliciasque tuas victa tuetur hiems.

Interpretes priores Rutilii hos duo versus aut plane prætereunt, aut obiter et tamquam in superficie considerant, sensum eorum interiorem non adsequuntur; quum in *vere* illo, quod Romæ tribuit Rutilius, nihil aliud fere cogitant, quam teporem vernum et temperiem cæli fere continuam, quam tamen qui potuerit Rutilius Romæ propriam dicere? aut saltem florum et arborum per omnem annum virentium et Romæ bene cultarum copiam intelligunt. Qua quidem mente recte Casp. Barthius Martialis epigramma 80 libri VI ad illustrandum Rutilium advocat, quod meretur, ut hoc loco integrum recitemus :

Ut nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas :
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, et odoræ gratia Floræ,
Tantaque Pæstani gloria ruris erat.
Sic quacumque vagus gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.
At tu, Romanæ jussus jam cedere brumæ,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas.

Hic nempe videmus perinde ver tribui Romæ, idque poni in florum copia, in sertorum tonsilium et rosarum usu tam frequente Romæ, ut iis totum iter, per urbem gradientis,

rubere videretur. Nempe vulgare poetis est *ver* dicere pro florum copia, ut, quando Juvenalis scribit, VII, 207:

> Di majorum umbris tenuem et sine pondere terram,
> Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver.

Neque tamen solum hoc sufficit ad mentem Rutilii prorsus intelligendam, ubi Romæ tribuit *ver suum*. Nam et aliis locis et urbibus, præsertim Italiæ, communis esse poterat temperies verni caloris et florum copia, quoquo modo parata (1): ver Romæ proprium constiterit necesse est in arte et cura aliqua Romanis peculiari, aut in quodam luxuriæ et deliciarum genere, quo sibi Romani ver facere, aut ver naturale imitari, hoc est, commoditatem, temperiem, amœnitatem veris quavis anni parte procurare potuerint: quemadmodum alio loco Rutilius dicit Romam sibi diem facere, v. 200:

> Illic perpetui soles, atque ipse videtur,
> Quem sibi Roma facit, purior esse dies.

Ex parte quidem hunc sensum attigit Dammius, perspicax Rutilii interpres, et de vere, cura atque impensis servato, cogitavit, quando verba *victa hiems* sic μεταφράζει, *cujus duritiem tu solertia et impendiis tuis frangis, ne possit nocere arboribus tuis*. Sed tamen neque modum hujus veris procurandi, vel hiemis frangendæ exposuit, neque omne luxuriæ genus, quod verba Rutilii significant, complexus est. Etenim duplex luxuriæ genus, quo hiemis rigorem avertere vel lenire volebant, duobus versibus respicere videtur: unum, quod in habitatione et ædibus adversus frigoris et tempestatis vim defendendis versabatur; alterum, quod in arboribus et viridariis tuendis. Quando nempe Rutilius dicit: *Vere tuo nunquam mulceri desinit annus,* habitationem et vitam Romanorum spectare videtur, atque hoc significare: «Tu tuis artibus atque impensis ita temporibus et tempesta-

(1) Siquidem Virgilius, Georg. II, 149, perpetuam fere temperiem Italiæ laudat: « Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas ». Ed.

tibus imperas, ut Romani in ædibus suis vitam jucunde, tamquam in vere perpetuo agant, neque æstatis aut hiemis molestia adficiantur ». Sensum hunc facile confirmat M. Senecæ locus, Controv. V, 5 : « Ut domus, ad cælum omne conversæ, brumales æstus habeant, æstiva frigora, et non suis vicibus intra istorum penates agatur annus ; alunt in summis culminibus mentita nemora et navigalium piscinarum freta. » Diversa enim Romani in villis et ædibus suis cubicula habebant instructa, in quibus et sole atque calore frui hiberno tempore, et umbra frigoreque recreari per æstatem possent; illa hibernacula, hæc æstiva adpellabant: quod Stanislaus Kobierzyckius, de luxu Roman. lib. II, cap. 9, e Vitruvio, Varrone, Columella, Plinio jun. copiosius probavit. Altera ratio veris servandi et hiemis mitigandæ Romæ in arboribus et hortis domesticis spectabatur, atque altero Rutilii versu exprimitur:

Deliciasque tuas victa tuetur hiems.

Arboreta enim et pomaria inter exedras consita conservabant viridia, quod non solum parietibus et laquearibus, ut ipse Rutilius loquitur, sed et specularibus objectis defendebantur, quæ et hiemis injurias arcebant, et largiorem solem impertiebant. Clare hoc docent Martialis versus, lib. VIII, Ep. 14:

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
  Mordeat et tenerum fortior aura nemus;
Hibernis objecta Notis specularia puros
  Admittunt soles, et sine fæce diem.

—Tale etiam est Epigramma 68, lib. VIII: « Qui Corcyræi vidit pomaria regis, etc. » Quod hoc disticho finitur :

Quid non ingenio voluit natura licere?
  Autumnum sterilis ferre jubetur hiems ». Ed.

Victa igitur *hiems* parietum, tectorum, specularium munitione; eaque *tuebatur*, i. e. educabat servabatque *delicias*, i. e. poma, flores, olera, quibus maxime delectabantur Ro-

mani, si præmatura et sub hieme nata essent. Unde non satis habebant tueri stirpes per hiemem, etiam producere flores et fructus studebant arte adhibita, et vere non exspectato. Testatur L. Seneca, Epist. cxxii: « Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam? fomentoque aquarum calentium, et calorum apta imitatione, bruma lilium, florem vernum, exprimunt? » Sic cucumeres Tiberio Principi, qui eos mira voluptate expetebat, per hiemem servatos, et nullo non die præbitos esse, Columella, lib. XI, cap. 3, et ex eo Plinius, lib. XIX, c. 5, memorant, hac scilicet ratione, ut olitores pensiles eorum hortos hieme, serenis diebus, rotis promoverent in solem, rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta revocarent. Hoc sane erat, quod Rutilius ait, *delicias victa hieme tueri.*

EXCURSUS II

AD RUTILII ITINERARIUM, I, vs. 148.

Quia et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.

Solis calorem ait Africæ fere proprium et perpetuum esse, eoque terram illius fecundam atque divitem effici. Hæc ratio satis aperta est, et pluribus poetarum locis celebratur. Alterum, quod Rutilius adjicit, *sed magis imbre tuo,* obscurius est, et prioribus interpretibus non intellectum. Castalio et Sitzmannus per *imbrem Romanum* significari putant stragem et sanguinem fusum exercituum Romanorum, quondam in Africa cæsorum, quo luxuriabat humus et pinguior reddebatur. Barthius opinatur per adulationem hoc *imbre tuo* dici a poeta, ut indicet, in gratiam Romæ pluere

in Africa Jovem, ne Urbi commeatus uberior desit. Sed quam levia hæc sint et vana, unusquisque videt, et Barthius postea meliorem interpretationem se invenisse prodit in comment. ad Stat. Theb. VIII, 410. Vir doctus, cujus adnotationes nonnullas margini Rutilii adscriptas habui, conjecit, *imbrem* fortasse indigitare argentum et beneficia Romanorum, atque huc versum Rutilii 360 advocavit, quo quidem qui *aureus imber* dicitur ex fabula Danaes, parum sufficit ad eam imbris significationem huic loco dandam. Quamquam aliorum poetarum locis subinde liberalitatem publicam cum imbre comparari fatendum est, ut maxime fit in hoc Claudiani I, in Cons. Prob. v. 43:

> Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
> Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
> Quippe velut densos currentia munera nimbos
> Cernere semper erat.

Et XXIV, de Laud. Stilic. III, 231:

> Tua copia vincit
> Fontem Hermi, lactumque Midæ, pluviamque Tonantis.

Verum tamen, quæ cum flumine, imbre, nimbo comparari potest, largitio, propterea non potest nudo nomine *imber* adpellari, neque facile perspici potest, quæ potuerit esse Romana largitio tam continua in Africam, ut eam faceret divitem. Nam pecunia et argentum, quo emeretur frumentum ex Africa importandum, intelligi nequit, quia ipsa ejus advectio annui tributi loco erat, et a Præside provinciæ cogebatur. Quum de fertilitate Africæ loquatur Rutilius, et unam ejus caussam ponat *Solem suum*, necesse est, *imbre* alteram intelligat. Sed cur hic imber Africæ contingens imber Romæ dicatur, hoc nimirum est, quod altius indagandum videtur. Et Grævius in adnotatione ad hunc locum fatetur, rectissime hoc a Casp. Gevartio, in Elect. lib. I, cap. 4, quæsitum esse. Qui notat philosophos observassè, Boream nubes in Italia collectas in Africam vehere, ideoque imbrium ibi caussam esse. Idem dudum

monuerunt duo antiqui scholiastæ, Lucani, ad lib. IX, 423, et Pap. Statii, ad Theb. VIII, 411, unde cognoscimus, hanc ipsam opinionem Romanorum fuisse, ut crederent, imbres suos cum Africa communicari, quoniam nubes ex Italia vento Aquilone sublatæ deferantur in Africam. Hinc nimirum, ut Rutilius imbres Romæ, sic Statius l. c. *Italos imbres* dicit Africæ adferri:

.... tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Quum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

Habet hoc Statius ex imitatione Lucani, cui quum propter materiam propositam plurimum negotii cum Africæ situ et natura est, tum hanc fertilitatis ejus caussam duobus locis explicavit. Nempe libro III, v. 68 de Africa:

Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Quum medium nubes Borea cogente sub axem,
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Dicit Libyam tum *magnum annum*, i. e. magnum anni proventum *ferre*, accipere, quando Austri, qui in Africa sicci sunt, æstum augentes, cessent, contra Boreas humidus nubes ab extremo axe ad medium cogat, unde magni imbres effundantur. Sed has nubes in Italia, quæ ab Aquilone præjacet Africæ, credebant colligi, ut clarius innuit Lucanus, lib. IX, 420:

.... Libyæ quod fertile terræ est,
Vergit in occasus: sed et hæc non fontibus ullis
Solvitur; Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.

Nostris serenis nihil aliud significat, quam imbribus ex Italia abactis in Africam, quia, dum Aquilone flante in Italia serenitas est, in Africa pluit.

EXCURSUS III

AD RUTILII ITINER. I, v. 213-216.

Cujus Aremoricas pater Exsuperantius oras
Nunc postliminium pacis amare docet,
Leges restituit, libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

De Exsuperantio quia nonnulla scriptores alii memorant, ea nunc placet ad illustrationem hujus loci conferre. Singulariter ejus vitam exposuerunt auctores Historiæ literariæ Galliæ, tomo II, pag. 141 seq. sed quæ illi memorant, his partim accuratius judicii examen adhibendum, partim addenda alia videntur, quæ ad hunc Exsuperantium recte possunt referri. Pictavio eum oriundum fuisse dicunt, idque referre Phil. Labbeum, Nov. bibl. t. I, p. 50, de quo quia certis testimoniis nihil constat, nihil amplius ipse adfirmo. Hoc certum est, fuisse eum Rutilio, poetæ nostro, propinqua cognatione conjunctum. Nam Rutilius patrem fuisse Palladii juvenis docet, qui se Roma abeuntem in portum Ostiensem usque comitatus erat, quemque ipse *generis sui spem et decus*, et *adfectu filium*, *stirpe propinquum* vocat. Hunc filium Exsuperantius, studiis eloquentiæ bene innutritum in Gallia, miserat Romam, ut Romani juris formam addisceret, Rutilius autem, qui magistratu Romæ fungens continuo secum habuerat, quum e portu exire in mare vellet, eumdem studiis suis remisit Romam. Quum ita institui filium Romæ, et rei publicæ gerendæ præparari voluit pater, inde licet colligere, ipsi Exsuperantio non vulgarem doctrinam et usum rerum Romanarum adfuisse. Data est A. C. 404 lex Arcadii, Honorii et Theodosii A. A. A. ad Exsuperantium, Julium et cæteros Decuriales Urbis Romæ, Cod.

Theod. lib. XIV, tit. 1, l. 4 de Decuriis Urbis Romæ. In hac ut Exsuperantium, patrem Palladii, agnoscamus, ætas et annus legis, et officii, quod ille gessisse dicitur, genus bene conveniunt. Nam Judex fuisse Decuriæ, vel primus Decurialium, probatur, quem locum, ut lex 1 ejusdem tit. docet, nemo adipiscebatur, nisi literatus et studiorum liberalium usu atque exercitatione pollens, inprimisque eloquio probatus. Quumque per legem 3 ejusdem tit. in singulis Decuriis Romæ bini Decuriales ex singulis quibusque urbibus, maximis scilicet, et metropolibus, provinciarum esse deberent, fuit fortasse Exsuperantius e Decurialibus Galliæ Lugdunensis in Decuriam Urbis Romæ adlectus; unde illi ad alios honores, Romæ et in provincia gerendos, via patefacta est, ut deinceps ad magistratum summum in Aremoricis proveheretur. Incertum est, quæ dignitas vel potestas ea sit, quam Exsuperantio tribuit Rutilius, Præfectus vel Vicarius Galliæ, an tertiæ Lugdunensis vel Aremoricæ Rector fuerit. Quæ autem merita ejus in Aremoricos commemorat, virum sapientem juxta ac fortem, et juris Romani prudentem demonstrant. Aremoricos ferocius plerumque aliis populis Galliæ se gessisse, passim historici testantur, et, quod Christoph. Bowerus, Comment. ad Venantii Fortun. lib. III, carm. VI, pluribus ostendit, impressione et occupatione Gothorum, quibus cedere nolebant, ita concitati sunt, ut turbæ, seditiones, fugæ frequentes fierent, nec imperio et legibus Romanorum obtemperaretur. Summam eorum, quæ Exsuperantius bene ordinavit, his verbis exprimit Rutilius: *Oras*, inquit, *Aremoricas*

Nunc postliminium pacis amare docet.

Quæ verba duplicem interpretandi rationem admittunt: Aremoricos longis adhuc bellis et seditionibus adsuetos, legibus et libertate recta restitutis, docet nunc pacis, velut in exsilium pulsæ, et nunc postliminio redeuntis, dulcedinem amare. Aut si primarum editionum lectionem *pacis amore* retineamus, alius postliminii sensus et hæc sententia

emergit : Inducto pacis amore, et compresso, qui adhuc fugas et seditiones suaserat, terrore, docet eos postliminium, redire ad lares suos, et domi quiete et libere vivere. Libertatem etiam Aremoricorum contra Gothos ab Exsuperantio defensam, quominus his fines suos vel irrumpentibus jam, vel irrumpere minantibus, cedere et parere cogerentur, id versu 216 indicari videtur :

> Et servos famulis non sinit esse suis.

Famulos enim Romanorum Gothos adpellare Rutilius, pro suo in eos animo, quem alias declarat, poterat, quia Barbari et Romanis ante subjecti erant, et concessione Romanorum sedes in Gallia nacti. Quamquam qui famulos de ministris et comitibus Præsidis intelligere malunt, eos non inepte judicare existimamus. Videtur Exsuperantius deinceps ad Præfecturam prætorio Galliarum adscendisse, in eaque constitutum amisisse vitam. Nam Prosper Aquit. in Chronico ad annum Christi 424 et Consulatum Castini et Victoris memorat, Exsuperantium Præfectum Arelatæ tumultu militari interfectum esse, Joanne, qui mortuo Honorio imperium invaserat, non ulciscente.

Quæ præterea auctores Historiæ liter. Galliæ de Exsuperantio narrant, non temere admittenda videntur. Dicunt Hieronymi quamdam epistolam ad Exsuperantium, qui militari officio fungebatur, scriptam (1), ad hunc nostrum pertinere, ex eaque colligunt, voluisse Hieronymum cum eo amicitiam contrahere, eumque hortari, ut paganismo relicto Christianam fidem sequeretur. Dicunt nomen Exsuperantii, tempus scriptæ epistolæ, officium, quod Exsuperantio tribuat Hieronymus, locum denique, ubi eum vivere innuat, omnia in hoc conspirare, ut ad Præfectum Galliæ scribi existimemus. Sed ubi accuratius dicta epistolæ expendimus, pleraque videmus disconvenire. Inspiciamus modo argumentum, quod ei præponit Erasmus. Qui Hieronymum dicit adhortari Exsuperantium, *ut, relicta militia*

(1) Hieron. Epist. xcix, p. 799, et t. I Opp. fol. 95, edit. Basil. 1516.

Imperiali, conferat se ad perfectam Christiani vitam, *unaque cum fratre suo Quintiliano Bethlehem commigret*. Nempe in principio memorat, Quintiliani, qui Bethlehemum ad Hieronymum venerat, vitam asceticam acturus, amicitiam facere, ut etiam fratrem ejus Exsuperantium, licet absentem et ignotum, diligat, quem sciat, *sub paludamento et habitu militari agere opera prophetarum*. Igitur statim vitam et pietatem Christianam in Exsuperantio laudat, neque hominem paganum adloquitur: in militiæ gradu constitutum esse significat, non autem dignitate Præfecti aut magistratus. Porro autem verbis et sententiis e Scriptura sacra repetitis, et ad Christi et Apostolorum dicta adludentibus, hortatur eum ad cupiditatem opum et divitiarum abjiciendam, et sanctiorem perfectioremque vitam sectandam. Quæ omnia, nisi homini Christiana disciplina jam imbuto dicantur, inepta sunt, et inania, immo ridicula. At ille non hominem ethnicum ad Christianam religionem perducere cupit, sed Christianum a militia, quam adversari perfectioni Christianæ putat, revocare, et militem Christi facere, hoc est, ascetam et monachum, qui religionem Christi, a sæculi negotiis sejunctam, in paupertate et solitudine exerceat. Quando vero in fine epistolæ Hieronymus optat, ut Exsuperantius cum sancto fratre Quintiliano cito ad se naviget Bethlehemum, mira profecto est auctorum, quos diximus, sententia, qui id dictum bene convenire Galliæ, in qua degebat Exsuperantius, putant, quasi non ex omnibus aliis Europæ regionibus, si Bethlehemum contendisset Exsuperantius, ei navigandum fuisset. His consideratis nos quidem in epistola Hieronymi non Exsuperantium illum, de quo agimus, ethnicis addictum sacris, nedum Præfectum Galliarum invenimus.

Majore cum veri specie adfirmare possumus, *Julium Exsuperantium*, cujus nomine inscriptum opusculum *de Marii, Lepidi ac Sertorii bellis civilibus*, nonnullis Sallustii exemplis, tum quibusdam historiæ Romanæ scriptorum collectionibus inseri solet, esse ipsum illum Exsuperantium, qui a Rutilio laudatur. Dignus enim hic libellus stylo et

ingenio ejus ætatis est, qua Rutilius et Exsuperantius vivebant, quæque contracta e majoribus libris breviaria amabat, ut pluribus exemplis docuimus (t. III, huj. op. p. 466. Ed.). Nam breviarium quoddam historiarum Sallustii nunc deperditarum esse, quum plures eruditi agnoverunt, tum inprimis Ausonius in Protreptico ad nepotem suum, Idyll. IV, v. 61, argumentum historiarum Sallustii recensens, confirmat, qui Sallustium a Lepidi et Catuli Consulatu orsum, per duodecim annorum seriem Lepidi tumultum, bellum a Sertorio in Hispania motum, et Catilinæ facinus memorasse testatur: denique plures sententiæ, quæ e libris Sallustii hodie exstantibus repetitæ in eo libello leguntur, idem significant. Porro libelli istius componendi ratio et finis talem mihi videtur auctorem prodere, qualem Rutilius Exsuperantium, Præsidem Galliæ, legum et libertatis vindicandæ studiosissimum, describit, qui ut rei publicæ bene gerendæ prudentior et ad omnes casus instructior fiat, antiqua historiæ Romanæ monumenta, ea præsertim, quæ τὸ ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν sectantur maxime, qualia inprimis Sallustii fuisse, periti antiquitatis fatentur, diligenter legit, eaque quo felicius mandet memoriæ, et in usus suos convertat, summam rerum gestarum ex iis colligit, et singulari libello, qui et aliis inserviat, exponit. Talem vero esse Julii Exsuperantii, quem habemus, ipsa ejus lectio docet, quo præcipua virorum, rem publicam vindicandæ libertatis obtentu turbantium, exempla, eorumque casus, fata et eventus, summatim et breviter enarrantur. Neque hoc minus adtendendum est, quod Rutilius, lib. I, 295 seq. historiam Lepidi, a Catulo pulsi et in Sardiniam profugi, tum aliorum ejusdem nominis, qui bellum civile moventes, et pacem publicam turbantes, pari fato occubuerunt, attingit, quarum rerum commemoratio partim ipso eo opusculo, de quo loquimur, continetur. Harum autem notitiam Rutilius propterea sectatus esse videtur, quod libellum Exsuperantii, cognati sui, accurate legerat, ejusque studia valde æmulabatur. Denique vero observamus, exemplum hujus opusculi manu scriptum primum in codice et bibliotheca Gallicana,

Petri Pithœi, ad calcem Sallustii de bello Catilinario et Jugurthino, inventum esse. Quod indicio esse videtur, etiam scriptum olim in Gallia esse, et auctorem habere virum in Gallia antiqua clarum, qualis omnino est Exsuperantius, de quo hactenus egimus, Præses Galliæ Lugdunensis. Certe alii Exsuperantio tribuere hunc libellum vix licet, quamquam plures ejus nominis ex antiquitate recensent Papebrochius in Actis Sanct. tomo VII Maii, p. 261, et Fabricius, Bibl. Lat. lib. IV, cap. 2, § 3, p. 282.

SUPPLEMENTUM

AD EXCURSUM III.

Melchior Goldastus in Centuria Philologicarum Epistol. num. XL et XLI, duas epistolas Joannis Doringi ad Joach. Vadianum scriptas exhibet, quibus ille Lucii Exsuperantii *Historiam Jugurthinam, stylo admodum conciso ac facili conscriptam*, ex exemplari summæ vetustatis, nonnullis in locis mutilo, quod se Basileæ in Cœnobio Prædicatorum ait reperisse, sua manu descriptam mittit Vadiano, et vehementer ab eo contendit, ut proxime in lucem edat. Hujus testimonii de invento per Doringum Exsuperantio, miror admodum, Fabricium in Bibl. Lat. non meminisse, quamquam video epistolas Doringi a Martino Hanckio citari, de Rom. Rer. Script. lib. II, P. II, c. 100, p. 424. Sed dubium est, per historiam Jugurthinam, quam Doringus nominat, utrum ipsius Sallustii bellum Jugurthinum, sub nomine Exsuperantii repertum, intelligendum sit (nam huic etiam additum fuisse Exsuperantium in codice Pithœano novimus), an fuerit ista peculiaris Exsuperantii historia de Jugurtha, forte e Sallustiano libro contracta et expressa eum in mo-

dum, quo idem libellum de bello civili Marii, Lepidi et Sertorii e Sallustii historiarum libris contraxit. Prius illud, Sallustianum opus fuisse, vix credibile est, siquidem Sallustii bellum Jugurthinum diu ante cognitum, et vulgatis in exemplaribus suo auctori tributum exstitit, neque adeo Doringus, si inventus liber idem ac Sallustianus fuit, habere eum pro novo et nondum edito potuit. Et diversum a Sallustio scriptorem repertum, e verbis Doringi in altera epistola adparet, quibus Sallustium et Exsuperantium comparat: « De Sallustio, inquit, et de Exsuperantio plane tecum sentio, et uterque dictione eleganti pariter ac plane Laconica historicus Latinissimus ». Quoniam vero non legimus, Vadianum, alias veterum scriptorum non ignavum vindicem, de edenda historia Exsuperantii Jugurthina, quod Doringus rogaverat, cogitasse, nec deinceps aliud Exsuperantii opusculum innotuit, quam quod hodie habemus, et e bibliotheca Pithœi venisse dicitur, de bello civili Marii, Lepidi et Sertorii, a Sylburgio et Grutero inter historiæ Romanæ scriptores minores, et cum Sallustio, sæpius editum; proximum est, ut credamus, hoc ipsum illud esse, quod Doringus historiam Jugurthinam nominet, qui scilicet appellabat sic, quod mentionem belli Jugurthini statim in principio libelli fieri, exitumque ejus obiter in eo memorari legerat. Sic etiam inscripsit, qui primus illud opusculum edidisse videtur, Frid. Sylburgius, tomo II Historiæ Romanæ scriptorum, Francof. an 1588, nempe: Julius sive Lucius Exsuperantius de bello Jugurthino, Mariique, Lepidi, et Sertorii bellis civilibus. Subjiciamus adhuc judicium Casp. Barthii, qui dudum in commentar. ad Claud. de Nupt. Hon. et Mar. v. 332, pag. 847, patrem Palladii, Exsuperantium auctorem opusculi historici esse professus est: « Exsuperantius is, inquit, Epitomator, uti volunt, Sallustii, potest ut is sit, qui a Rutilio pater Palladii laudatur, lib. priore Itinerarii, v. 214, quum ea ætate illud decurtandorum auctorum priscorum studium jam increbuisset ». WERNSDORF. IN ADDENDIS. ED.

EXCURSUS IV

AD RUTILII ITINER. I, vs. 230.

Qui pastorali nomina fronte gerit.

Mira varietate interpretes et editores hunc versum fingere et emendare adlaborarunt. Sed quo accuratius illius positum et nexum, factasque in eo emendationes considero, hoc minus eas intelligo necessarias esse, atque hic sane, quod alias sæpe, experior, difficilibus scriptorum locis sæpe melius gnava interpretatione, quam improbo emendandi studio succurri. Casp. Barthius inesse ei mutationem vocum vicinarum putat, dicendumque fuisse *qui fronte gerit pastoralia nomina.* Sed *pastoralia nomina* vix dicere Rutilius potuit, quia mox subjicit, nomen istud ætate deletum fuisse. Alii interpretes, quia descriptionem aliquam formæ et habitus Dei eo versu contineri existimarunt, verba ejus mutare studuerunt. Grævio videtur hæc manus Rutilii fuisse: *Qui pastorali numina fronte tegit*, h. e. qui sub habitu pastorali Deus est. (In edit. Almelov. *nomina* scriptum est errore typogr.) Almeloveenius conjicit *cornua fronte gerit*, quomodo et Marklandus legit in præfat. ad Statii Silv. p. 10 et 11. Crusius in Probab. Crit. cap. 10, p. 59, legit : *Qui pastorali gramina fronte gerit*, gramina coronam pastoralem esse existimans. Dammius Grævii sententiam sequutus edidit *numina fronte tegit.* Et quia sic *nominis* mentio deletur, distichon sequens, quod de nomine loqui pergit, loco suo movere, atque isti præponere maluit. Quod omnino contra ordinem et sententiam poetæ est. Denique Kappius, juvenis doctus, legendum statuit *Qui pastorali cornua fronde tegit*, eamque lectionem quum in Epistola quadam superiore

anno edita proposuit, tum suæ editioni Rutilii intulit. Ego vero vereor, ut pastorales frondes, vel etiam cornua pastoralia dici probarique ex aliis poetarum locis possint, ut taceam, hanc emendationem non scripturæ antiqui codicis, sed sequiorum interpretum conjecturis superstructam esse. Burmannus, qui hunc locum interpretari consultius duxit, quam refingere, opinatur, ex vulgata lectione, si *pastoralis* legatur, hanc sententiam posse elici, ut statuæ fuerit tantum reliquum nomen Pastoralis, cætera autem, quæ nomen Dei exprimebant, multa ætate deleta. Hinc legit: *Qui Pastoralis nomina fronte gerit.* Ego hanc commodam et vero proximam interpretationem esse existimo, eoque magis commendandam, quod primitivæ codicis scripturæ inhæret, et nullam fere mutationem verborum admittit. Quamquam nec hoc quidem necessarium esse puto, ut *pastoralis* scribatur, et *pastorali fronte* rectum esse, et pro habitu vel specie pastoris dici existimo. Nam omnino Rutilius significat, statuæ pastoralem frontem, h. e. faciem vel habitum exteriorem pastoris, vel pastoralis Dei, fuisse, eique, vel anteriori ejus parti, quoddam nomen antiquitus inscriptum, quod sequente versu indicat vetustate deletum fuisse. *Inui* vero nomen fuisse, ex sola fama probat, quod locus ipse *Castrum Inui* vocari soleat. Sub *Inui* deinceps nomine, dubitabat, Pan, an Faunus intelligendus sit. Et sic ordo et sensus eorum versuum rectissime constat, quem recentissimi editores iniqua trajectione turbarunt potius, quam constituerunt.

EXCURSUS V

AD RUTILII ITINER. I, vs. 312.

Quod Lepidum toties recidit ense malum.

Multum omnes fere interpretes Rutilii ad verbum *recidit* offenderunt. Nonnulli suspectum illud existimarunt, quod hic prima ejus syllaba producatur, quæ alias corripi soleat. Alii, qui de prima syllaba non dubitarent, tamen in verbi ejus usu, qui hoc loco est, et in interpretatione hæserunt, quia, si *recidit*, quod a *cadere* venit, intelligatur, non recte *ense* addi videatur, et, si a *cædere*, ut postulare videtur imitatio Ovidiana ex Metam. I, 191, « immedicabile vulnus Ense recidendum est », tum auctor perperam secundam syllabam corripuerit. Ea ratione inductus Burmannus, cum Heinsio ita pridem statuente, qui tamen videtur dubitasse, inducta iterum emendatione, mavult legere *rescidit*, quod verbum multis adseruit Heinsius ad Ovid. Met. XII, 543, et Trist. III, 11, 63; recepit adeo Smetius in Prosodia, et versum Rutilii ad verbum *rescidit* citavit. Quia vero desiderari videtur nominativus, id verbum *rescidit* Burmannus referri jubet ad præcedens *ordo*, atque ita explicari, ut ordo annalium dicatur fecisse, quod narrat factum fuisse, et factum ponatur pro dicto. Cujus rationis loquendi exemplum ex Hor. Sat. I, 10, 36, adducit, « jugulat Alpinus Memnona », i. e. canit jugulatum; et nos aliud satis luculentum dedimus (huj. op. t. III, p. 509. Ed.). Ita nisi legamus et explicemus, sensum nullum in his se videre Burmannus fatetur. Nobis vero hujus versus haud ita impedita videtur interpretatio. Retinendum omnino censemus *recidit*, quod est a *cadere*. Primam ejus syllabam ancipitem esse, et sæpe pro longa usurpari, plura

poetarum, etiam meliorum, ut Virgilii et Ovidii, loca probant. Castalio hunc Ovidii adducit, Metam. VI, 212:

> ... et me, quod in ipsam recidat, orbam
> Dixit.

Plura autem dant Heinsius et Burmannus ad eum locum, ad Met. X, 18, et ad Her. XIV, 46. Immo Jo. Schraderus in præfat. ad librum Emendationum, pag. 41 seq. demonstravit, præterita verborum cum *re* compositorum prima syllaba semper produci a melioribus poetis, ut *recidit*, *repulit*, *retulit*, *reperit*, præsentia tempora raro. Rutilium pro *recidit*, quod a *cædo* est, perperam *recidit* posuisse, quia *ense* addat, et tam insigne vitium admisisse, non credibile est, nec videtur adeo respexisse adfinem sententiam Ovidii, *immedicabile vulnus ense recidendum est*, ut necesse sit pro *recidit* legere *rescidit;* sed si quo versu veteris poetæ inductus est, hunc potius Ovidii in animo habuisse videtur, Her. XIV, 46:

> .... ter acutum sustulit ensem,
> Ter male sublato recidit ense manus.

Unde colligi potest, non inepte adeo *ense* additum esse τῷ *recidit.* Sed Burmannus, qui hoc capere non potuit, videtur verbum *recidit* aliter accepisse, ac quidem debebat. Nam certe eum sensum sæpe apud alios scriptores habet *recidere*, ut retro labi, pessum ire, deteriorem vel adversum exitum habere notet: ut, quemadmodum Virgilius, Æn. II, 169, ait:

> Ex illo fluere et retro sublapsa referri
> Spes Danaum.

Ita Livius, lib. XXX, cap. 42: « Ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res »; et Claudianus, de Bello Gild. v. 45:

> Heu mihi! quo Latiæ vires, Urbisque potestas
> Recidit.

Addamus Ovidium, qui Metam. X, 18, de Orco:

> ...... O positi sub terra numina mundi,
> In quem recidimus, quidquid mortale creamur.

Jam *malum Lepidum* eo sensu accipiendum est, quo malum vocari solet malus, exsecrandus homo. Quod inprimis fit in solenni formula detestandi, ut apud Terent. Phorm. V, 9, 55: « Quid vos malum! ergo me sic ludificamini? » et Cicero, de Offic. II, 16: « Quæ te, malum, ratio in istam spem induxit? » Additur vero *ense*, ut intelligatur modus, quo malum illud perniciosum fuit, quando ense, armis, cæde in perniciem rei publicæ insurrexit. Atque igitur verborum *Quod Lepidum toties*, etc., hic sensus est: Quod perniciosum illud genus Lepidorum, quamvis ense suo toties stricto et sublato in rem publicam, toties tamen repressum et depulsum est, ut in cassum caderet.

EXCURSUS VI

AD RUTILII ITINER. I, vs. 377.

Egressi, villam petimus, ludoque vacamus.

E variis lectionibus, quas ad hunc versum indicavi, diu mihi dubitandum fuit, quam potissimum eligerem: singulæ enim sua ratione fultæ, et quodammodo aptæ loco videri poterant. Interim, dum seriem narrationis a Rutilio institutæ accuratius considero, in illam *ludoque vagamur* magis inclino, non ea quidem sententia, qua Damnius accepit, *ludibundi et animi caussa spatiamur huc et illuc*, sed cum certiore respectu ad ea, quæ Rutilius ante dixit v. 373. Nempe ibi significat, se ad portum Faleriæ cohibuisse cursum, licet ulterius destinatum, quod tum forte audiebat vel videbat pagos hilares sacra ludicra agere. Jam igitur, ubi in litus egreditur Rutilius, quid agit? *Egressi villam petimus;* illam nempe villam petit, quæ pertinebat ad pagos

istos sacra ludicra celebrantes. Et nunc edat Rutilius necesse est, se voluptatem eam, ob quam egressus erat navi, hoc loco invenisse et usurpasse. Igitur *lucoque vagamur* nihil ad rem; *lutoque* alienum adeo a commemoranda voluptate; *lateque vagamur* plane contrarium est ei, quod modo dixerat, *villam petimus:* denique *ludo vagamur* aptius deprehendimus, quod omnino ludum aliquem ex ante memoratis exspectat lector. Nempe versu 373 significavit Rutilius, tales ludos *per compita rustica* ibi factos, quales celebrari inter agrestes et pastores, Calpurnius Ecl. IV, 125, indicat:

> Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro,
> Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

Et nunc necesse est *ludo vagamur* sic interpretari, ut conveniat inceptæ narrationi, nempe, *ludo* illo rusticorum, quem modo significavimus, durante, vel inter ludos istos, *vagamur* huc et illuc, ut diversos jocantium, cantantium, saltantium choros adspiciamus, audiamus. Sed fortasse durius et obscurius dictum videbitur *ludoque vagamur*, neque hoc immerito, etsi non plane a more et stylo Rutilii alienum est. Igitur clariorem et ex rei narratæ serie ultro enascentem sententiam nanciscemur, si levissima mutatione vocis facta legamus *ludoque vacamus*. Eo nempe plene declarat Rutilius, se egisse id, cujus caussa advenerat, seque ludo illo, qui in villa, quam petierat, agebatur, spectando reliquum diei exegisse. Confirmant, aut certe conveniunt, quæ sequuntur: *Stagna placent septo deliciosa vado.* Nempe inter hæc, aut post ea spectacula, ut alio ludo se oblectaret, placuit ei considere et requiescere ad stagnum, quod in proximo erat, situ admodum deliciosum, in quo spectare ludentes pisces voluptas erat. Cæterum *vacare ludo*, pro adtendere ludo, latine usitateque dici, nemo dubitabit. Plane enim sic Juvenalis, Sat. VIII, v. 118, *Urbem circo scenæque vacantem* dixit, ut *intentos ludo* Virgilius, Æn. VII, 380, et Claudianus in Eutrop. II, 510. Neque aliud hoc loco vult Noster, quam quod infra v. 475:

Subjectas villæ vacat adspectare salinas.

Similiter Ausonius de viatore ludos puerorum, lembis in Mosella decertantium, attente spectante, Mos. v. 206:

> Dum spectat, transire diem, sua seria ludo
> Posthabet; *h. e. consistit et ludo isti vacat.*

— Ubi videantur adnotata hujusce nostri operis t. I, part. I, pag. 256. Ed. — Neque igitur puto quemquam futurum, quin emendationem a nobis factam et facilem esse, et loco sententiæque accommodatam, et ipsi poetæ narrationi multam lucem adferre fateatur.

EXCURSUS VII

AD RUTILII ITINERAR. I, vs. 542 sqq.

Sed mihi Protadium visere cura fuit, etc.

Hunc Protadium quum Rutilius tam prolixo elogio ornet, ut tamquam imaginem magni excellentisque viri proponat, pluribus etiam Epistolis laudet Symmachus, et auctores Historiæ liter. Galliæ, t. II, pag. 134, dignum putaverint, de quo singulari capite exponerent, faciendum putavi, ut mea opera lectoribus meis notior fieret. Natione Gallum fuisse Rutilius noster v. 549 indicat, sigillatim Treviros habuisse patriam Symmachus, lib. IV, Epist. xxx et xxxii significat, qui tamen non continuo ibi commoratum, sed subinde quinque provincias, quas Romani dicebant, Galliarum *otii voluptate commutasse* scribit. Illustri genere ortum fuisse, quum possessiones magnæ, quas in Gallia habuit, declarant, tum honores amplissimi, quos cum magna animi virtute gessisse, ex Rutilii nostri elogio pariter, ac

Epistolis Symmachi intelligitur. Fratres habuit, minores, ut videtur, Minervium et Florentinum, magna omnes familiaritate cum Symmacho conjunctos, cujus Epistolæ libro IV exstant, octodecim quidem ad Protadium, ab Ep. XVII ad XXXIV, quindecim ad Minervium a XXXV ad XLIX, sex ad Florentinum, a L ad LV, denique duæ LVI et LVII ad tres fratres conjunctim datæ. Protadius duo filios habuit, quorum unum Symmachus Nemesium nominat. Quos quum pater studiorum caussa Romam misisset, Symmachi curæ commissos, altero eorum medio in cursu studiorum præmature mortuo, pater eo casu afflictus Nemesium redire in patriam jussit, Symmacho multis eum laudibus prosequente, lib. IV, Ep. XX et LVI. Eamdem filii jacturam et Nemesii laudem quum Symmachus libro IX, Epist. LIV, Pœmenio inscripta, attingat, auctores Historiæ liter. Gall.. inde conjiciunt, et hanc Epistolam Protadio scriptam esse. Minervius, quem Comitis rerum privat. dignitate apud Augustum floruisse, e nonnullis legibus Codicis Theod. intelligimus, filium habuit Protadium, in conjugio viventem, testante Symmacho, IV, Ep. XLVII. Florentinum Præfecti Urbis honorem ab A. C. 395 ad 397 gessisse, Gothofredus in Prosopogr. Cod. Theod. e legibus et Symmachi Epistolis docet. Idem est Florentinus, cui Claudianus duo libros posteriores de Rapt. Pros. dedicavit : et Minervii, filii ejus, nuptias memorat Symmachus, IV, 55. Ad Protadii honores quod attinet, magnifice de iis loquitur Symmachus, lib. IV, Ep. XXIII : « Etsi secundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es; necdum tamen perfectum præmium debitamque mercedem tibi fortuna restituit. Quæ etsi in te magna contulerit, nunquam tamen æquabit meritum ». Sed quinam isti honores fuerint, quos Protadio gratulatur Symmachus, ipse non exprimit : e Rutilii versu 550, quo *Romæ præsulem* vocat, tuto videtur colligi, Præfecturam Urbis gessisse. Interim quo anno gesserit, quum nulla ejus vestigia in legibus Codicis Theod. exstent, difficile est pronuntiare; hoc tantum, quod frater ejus junior Florentinus anno 396 eo honore functus est, suadere videtur, ut Protadii Præfecturam

ante hunc annum collocemus. Post gestos Romæ honores Protadius in Galliam et ad sedes patrias remigravit, et pleræque Symmachi Epistolæ ad absentem in Gallia videntur scriptæ. Ibi quieti redditus multos annos consedit, otium venationibus crebris, sed et in literis trivit. Crebras literas ad Symmachum scripserit necesse est, qui tam multas a Symmacho accepit. Idem Symmachi Epistolas adeo admiratus est, ut quereretur eas perituræ chartæ mandari, colligendasque censeret, et *in styli caudices aut tiliæ pugillares transferendas, ne facilis senectus papyri scripta corrumperet* (Symm. Epist. lib. IV, 34). Inprimis consilium cepit scribendæ historiæ Galliarum, eamque in rem a Symmacho petiit, ut priscas Gallorum memorias deferri in manus suas curaret. Symmachus ei Patavini scriptoris extrema commendavit revolvenda, quibus res Cæsaris explicantur; simul Ephemeridem C. Cæsaris decerptam bibliothecæ suæ muneri misit, et spem fecit, missurum se præterea Plinii Secundi bella Germanica (lib. IV, Ep. XVIII, XXXII et XXXVI). Opus hoc, aut partem operis instituti, an confecerit Protadius, de eo dubitandum est. Sollicitare illum et admonere promissi operis videtur Symmachus, IV, Ep. XXXII, sed insequentes tumultus et incursiones Barbarorum, quibus Gallia circa initium sæculi V concussa est, Protadio videntur, ut prædia, quæ in Gallia habebat, ita et otium consiliumque scribendi eripuisse. Rutilius vers. 551 seqq. clare significat, Protadium paternis, iisque amplissimis, sedibus in Gallia ereptis aut perditis, profugientem minora prædia in Umbria comparasse, pari animo utramque tulisse fortunam, et exiguo lare et rure colendo veteres duces Romanos, Cincinnatos, Serranos, Fabricios, imitatum esse, qui in magna virtutum et rerum gestarum fama paupertatem honestissimam tolerassent. Valde senem fuisse Protadium oportet, quum eum Rutilius, anno 417 Roma in Galliam revertens, viseret, et quia Pisis eum convenit, non in Umbria, ubi villam habebat, hinc videtur, tum forte Protadio Pisis aliquod negotium fuisse. Nam honore publico ibi functum esse, non constat.

EXCURSUS VIII

AD RUTILII ITINER. II, vs. 51, 52.

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis :
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

Gravissimæ criminationi in Stilichonem Rutilius hoc versu quasi cumulum adjicit, atque hoc vult ostendere, ad consummandum proditionis scelus nihil eum fecisse reliqui, sacra æque ac profana turbasse. Etenim hæc sententia eorum versuum est : Non tantum armis exterarum gentium usus est ad oppugnandam rem publicam, sed etiam quo certius hoc efficeret, prius ei opem et remedia eripuit, quæ a sacris et religionibus suis habere adversus calamitates publicas poterat, dum libros Sibyllinos cremavit, quibus præscribi sacra dubio tempore peragenda solebant. Hoc sensu si criminationem Rutilii accipimus, uti certe accipienda est, et nunc sigillatim de ipso facto, de crematis a Stilichone Sibyllinis quærimus, vix defungi ea disquisitione possumus, quin Rutilium falsum et iniquum reperiamus. Combustio librorum Sibyllinorum quum vix alio fine fieri potuerit, quam ut sacra et superstitiones Romanorum magis deprimerentur, hinc pertinuit ad edicta Imperatorum Christianorum, quibus sacrificia aboleri, templa et idola destrui jusserunt. Quæ quia libros Sibyllinos non attingunt, et nusquam leguntur Stilichonis auctoritate jussa, crematos ab eo, aut ejus impulsu, libros Sibyllinos putare, iniquissimum est. Errant profecto, qui Stilichonem de religione Christiana firmanda, et evertenda pagana multum laborasse credunt. Diserte eum ab hac suspicione liberat Augustinus, epist. cxx : « Leges, quæ de idolis confringendis vivo Stilichone in Africam missæ sunt, ex voluntate Imperatoris

constitutæ». Et facinus, quod Rutilius adsignat, tale est, ut sine publica auctoritate ipsiusque Imperatoris mandato fieri non potuerit, atque ut ille, qui factum narret, eo ipso confiteatur, id publice et tamquam solenniter, inspectantibus et consciis multis, saltem auctore ipso non diffitente, factum esse. Hoc autem pacto Rutilius falsi convincitur coævorum scriptorum vel silentio, vel contrariis sententiis (1). Nam si palam cremati sunt libri Sibyll. neque pagani hoc indigne ferentes, neque Christiani, qui lætari facto potuerunt, hoc ignorare vel tacere potuerunt. Sed tacet inprimis Zosimus, qui alias magna carminum Sibyllinorum æstimatione ducitur, ea sæpe laudat, et de iis sublatis conquerendi plures occasiones habebat, quando et sacra sæcularia, e præscripto carminis Sibyllini agenda, sed a Constantino male neglecta, pari suspicione ac Rutilius, dolet ruinam imperii Romani portendisse (lib. II, cap. 7); de Stilichone autem, ejusque uxore Serena, simile sacrilegii et contemptæ religionis Romanæ exemplum refert, ubi vix ratio ulla fingi potest, cur abolitos Sibyllinos, si abolevit Stilicho, una narrare noluerit. Nam eo tempore, quo Theodosius, ab oppresso Eugenio redux, sacrificia de templis Romæ omnia sustulerat, Serenam, memorat, in æde Matris Deum, mundum insignem, collo simulacri Deæ circumjectum, conspicatam, eum ademptum collo suo adhibuisse, multum licet indignante, quæ adstabat, virgine Vestali. Stilichonem autem eodem loco narrat, aliquando fores Capitolii Romani jussisse laminis aureis, quibus obductæ erant, spoliari, et eos, qui jussa faciebant, in parte quadam forium perscriptum reperisse: *Misero regi servantur*. Utrumque putat Zosimus impietatis suæ pœnas vindictæ divinæ luisse (lib. V, cap. 38). Symmachus, neque in Relatione ad Augustos de ara Victoriæ, ubi sumptus sacrificiis subtractos et erepta sacerdotibus prædia conqueritur, neque alio loco

(1) Etiam mentitum esse Rutilium arbitratur Montacutius, Apparat. ad Origines ecclesiast. pag. 127, tum Blondellus, lib. I, cap. 9. Videatur Fabricii Biblioth. Græc. lib. I, cap. 31, p. 254 novæ edit. Harles. Ed.

oppressos libros Sibyllinos dolet, immo superstites eos sua ætate significat, ubi Epist. IV, 34, ait : « Monitus Cumanos lintea texta sumpserunt». Pariter de iis tamquam exstantibus loquitur Claudianus, XXVI, Bell. Get. 232:

> .... quid carmine poscat
> Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Et Prudentius superesse libros Sibyllinos, sed nulla amplius ex iis fata edi, usum eorum desiisse, significat, Apoth. adversus Judæos, v. 120:

> .... non spumat anhelus
> Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.

Immo ipsæ leges Imperatorum, quibus superstitionem omnem paganam tollunt, sacrificia prohibent et haruspicinam, aras et simulacra destruunt, nihil tamen de libris Sibyllinis tollendis præcipiunt (1). Quod si igitur sub imperio Honorii libris Sibyllinis aliquod vulnus inflictum est, quod Rutilio facile credimus, id tamen ex adlatis argumentis patet non publice et publica auctoritate, aut singulari Stilichonis ausu factum esse, sed quum religiones omnes Romanorum essent sublatæ, sacrificia et his conjuncta divinandi genera, haruspicinæ et auguria vetita, sacerdotia denique ipsa, atque adeo XV virûm, abrogata, tum auctoritatem librorum Sibyllinorum et ritum eos consulendi per se exspirasse. Fieri tamen potuit, immo factum esse e Rutilii versu colligimus, ut vi aliqua aut jussu magistratus singulari sublati vulgo crederentur, metu fortasse aliquo imminentis rei publicæ periculi populum Romanum, superstitionibus adsuetum, impellente, ut libros Sibyllinos consuli ad remedia ingruentis mali invenienda posceret, magistratu contra librorum inspectionem, utpote pertinentem ad superstitiones paganas, recusante, sub prætextu quidem factæ eorum abolitionis. Infinitis fere exemplis Romana historia testatur (2), fatales

(1) Vid. Cod. Theod. lib. XVI, tit. 10 de paganis, sacrif. et templis.

(2) Enarravit plurima Serv. Gallæus de Sibyllis, dissert. XIV, pag. 279 seq.

libros jussu Senatus consultos esse per Decemviros, atroci et difficili rei publicæ tempore, ubi magnorum periculorum metus ex ostentis et prodigiis adparentibus, coorta seditione populi, et maxime externo aliquo et gravi hoste imminente, urgeret. Juvat inprimis recentius exemplum Flavii Vopisci verbis in Aureliano, cap. 18, hic referre : « In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, paventibus cunctis, ne eadem, quæ sub Gallieno fuerant, provenirent : quare etiam libri Sibyllini, noti beneficiis publicis, inspecti sunt, inventumque, ut in certis locis sacrificia fierent, quæ Barbari transire non possent ». Et Honorii Imp. tempore persimilem Romanorum consternationem fuisse, Rhadagaiso primum, Gothorum rege, mox Alarico Italiæ imminentibus, scriptores ejus temporis testantur. Orosius, lib. VII, cap. 37 : « Hoc igitur (Rhadagaiso) Romanis arcibus imminente, fit omnium paganorum in Urbe concursus, hostem adesse quum utique virium copia, tum maxime præsidio Deorum potentem : Urbem autem ideo destitutam et mature perituram, quia Deos et sacra perdiderit. Magnis querelis ubique agitur, et continuo de repetendis sacris celebrandisque tractatur ». Sic Alarico per Alpes adveniente, quanto metu contremuerint Romani, quæ somnia vulgo narraverint, quæ monstra Deum et monitus sinistros, quæ prodigia et ostenta passim ad augendum omnium metum finxerint, fuse enarrat Claudianus, Bell. Get. v. 227 seqq. Inter hæc sigillatim memorat, jactata tum vulgo esse non solum sinistra quædam augurum et haruspicum monita, sed inprimis oracula Sibyllina requisita :

> Quid meditentur aves, quid cum mortalibus æther
> Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat
> Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Sed, quod hic præcipue observandum putamus, in tanta omnium desperatione Claudianus prodit solum fuisse Stilichonem, qui voces hominum tumultuosas represserit, et

spem melioris fortunæ, sua fortitudine et providentia procurandæ, ostenderit, v. 266, sqq.

> Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
> Sponderet meliora manu; dubiæque salutis
> Dux idem vatesque fuit.

Ex hoc loco haud difficulter conjicimus, populum trepidantem Stilichonem adiisse, ostendisse se quibusdam oraculis Sibyllinis, malum Urbi minantibus, commoveri, atque ut sacra ex eorum præscripto revocarentur, poposcisse; Stilichonem contra adfirmasse, vana esse oracula Sibyllæ, et calamitatibus publicis consilio et fortitudine, non sacrificiis et cærimoniis, occurrendum; quæ quoniam dudum leges Imperatorum fieri vetarent, hinc et vaticinia Sibyllina, quæ superstitiones hominum alerent, contemnenda, immo et abolenda videri. Hæc tum temporis ita facta esse, facile nobis persuadent similia antiquiorum temporum eventa, quibus narratur, populum Romanum sæpe pro caussa seditionis et metus sui prodidisse ficta quædam oracula Sibyllæ, eaque, necesse fuisse, a Cæsare vel magistratu ut falsa rejici et refutari. Tiberio imperante Dio Cassius (1) memorat commotos esse animos Romanorum oraculo quodam, quasi Sibyllino, cujus hæc sententia ferebatur:

> Τρὶς δὲ τριακοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
> Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἁ Συβαρῖτις
> Ἀφροσύνη.

h. e. *Ter trecentis revolutis annis Romanos intestina seditio perdet, et luxus Sybariticus.* Tiberium vero hoc carmen ut falsum esse cavillatum, et omnibus libris, qui vaticinia continebant, inspectis, alios quidem ceu nullius momenti reprobasse, alios ut probatos recepisse. Idem oraculum, Dio vel Xiphilinus narrat (2), sub Nerone in memoriam rediisse Romanis, ob incensam Urbem exasperatis, cumque Nero

(1) Lib. LVII, p. m. 615, edit. Wechel.
(2) Lib. LXII, p. 709.

populi consolandi caussa hos versus nusquam repertos esse diceret, populum mutata sententia aliud oraculum, ut vere Sibyllinum, cecinisse:

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.

Ex his et aliis similibus eventis quum perspiciamus, Romanos ad velandas et excusandas seditiones sæpius carminibus Sibyllinis, quorum præcipua apud Romanos auctoritas erat, abusos, immo nova subinde commentos esse, tum facile est ad credendum, tempore Honorii Romanos incursione Gothorum perturbatos, et timori suo patrocinium quærentes, præcipue ad carmina Sibyllina provocasse. Et suppetere ejusmodi oracula hoc facilius poterant, quod in antiquis Sibyllinis multum de Romæ ruina et interitu sermonem fuisse, hodierna, quæ sub nomine Sibyllinorum exstant, et multa de antiquis tenere putantur, etiamnum demonstrant. Sed quod magis conjecturam nostram adstruit, Augustinus (1) plane oraculi alicujus, Sibyllino similis, mentionem facit, quod Honorii tempore vulgatum turbas dedit. Narrat versus quosdam Græcos, tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos, a Deorum cultoribus in vulgus datos, quibus prædiceretur, religionem Christianam completó annorum 365 numero interituram (2); hinc autem evenisse, ut Honorius in vindictam istius temeritatis Deorum templa passim everti et simulacra frangi ju-

(1) De Civil. Dei, lib. XVIII, cap. 53. — Et aliud oraculum memorat Luitpraudus Ticinensis, qun Nicephoro Imp. fatalibus illis libris victoria de Assyriis prædicebatur. Ed.

(2) Verba ipsa Augustini sunt: « Quum viderent (Deorum cultores) nec tot tantisque persecutionibus eam (religionem Christianam) potuisse consumi, sed his potius mira incrementa sumpsisse, excogitaverunt nescio quos versus Græcos, tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos; ubi Christum quidem ab hujus tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficia fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per 365 annos; deinde completo memorato numero annorum sine mora sumeret finem ».

beret (1). Servatius Gallæus (2) hoc maligne fictum oraculum putat caussam et occasionem præbuisse comburendis Honorii mandato libris Sibyllinis, et diserte profitetur, Honorium in vindictam illorum hominum, qui nova oracula commenti erant, vel ex Sibyllinis hausisse profitebantur, quidquid erat oraculorum Sibyllinorum, comburi jussisse, præsertim etiam hac de caussa, quod audacter effrenati homines sacræ Imperatoris religioni obgannirent, et, intra 365 annorum spatium illam esse perituram, ausi fuissent pronuntiare. Etsi hæc Gallæus levius disputat, nec suam sententiam certa ratione firmavit; siquidem ex verbis Augustini nondum liquet, oraculum illud vulgo propositum Sibyllinum fuisse, neque ille diserte memorat, Houorium tum libros Sibyllinos jussisse comburi; illud tamen e relatione Augustini colligere tuto possumus, quod nunc maxime volumus, eo ipso tempore, quo Rutilius libros Sibyll. crematos esse significat, concitatum Romæ vulgum esse, ob proditum aliquod oraculum, quod præsentem rei publicæ statum incusabat, veteres religiones reposcebat, et si ejus caussa ab Honorio edicta de evertendis paganorum sacris promulgata sunt, recte hinc existimari, tum temporis etiam libros Sibyll. esse prohibitos. Nam ex his magna pars superstitionum Romanarum pendebat, et sigillatim institui cærimoniæ et sacrificia solebant, dubiis temporibus ad avertendam Deorum iram celebranda. De tempore vel anno ejus eventi facile conjicere e scriptorum adlatis testimoniis possumus. Augustinus quidem annos illos 365, quibus completis finem habituram

(1) Augustinus l. c. cap. 54: « Trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti consulatu Honorii et Eutychiani. Porro sequenti anno, consule Manlio Theodoro, quando jam secundum illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim quod scimus, in civitate notissima et eminentissima, Carthagine Africæ, Gandentius et Jovius, Comites Imperatoris Honorii, quarto decimo Calendas Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt ».

(2) De Sibyllis, Dissert. XIV, p. 278.

religionem Christianam, fictum illud oraculum dixerat, finiri adfirmat in Honorii quarto et Eutychiani Consulatu, hoc est, A. C. 399, et anno sequente, Consule Manlio Theodoro, ait jussu Honorii per Gaudentium et Jovium Comites in Africa templa et simulacra eversa. Gaudentius autem Comes Africæ nominatur lege 3 *de equorum collat.* tituli XVII, libri XI Cod. Theod. quæ Vincentio et Fravitta Coss. h. e. A. C. 401 data est. Et leges Honorii de idolis dejiciendis per eosdem annos datas exhibet titulus X libri XVI Cod. Th. Proinde abolitio Sibyllinorum, si conjuncta cum ista sacrorum destructione fuit, circa initium sæculi quinti acciderit necesse est. Neque admodum contraria huic sententiæ sunt testimonia, quæ supra attulimus, Orosii et Claudiani. Illi quidem a paganis in Urbe, metu consternatis, sacra pristina et carmina Sibyllina requisita memorant eo tempore, quo Rhadagaisus et Alaricus Gothorum reges Italiæ imminebant, h. e. A. C. 405. Sed quia non crematos publice libros, sed tantum lege Honorii damnatos et usu interdictos, cum ipsis sacrificiis et sacerdotibus, credimus, hinc anno eo belli Gothici suppressionem Sibyllinorum demum manifestatam et palam factam putamus, quando paganis, ad remedium præsentis metus Sibyllinorum inspectionem postulantibus, respondebatur, damnata ea carmina, antiquata, abolita esse. Quapropter quidem Rutilius vere dixit, ante bellum Geticum, vel ante quam Stilicho Geticis armis grassaretur, abolita esse carmina Sibyll. nam hoc ipsum tempus est, quod supra definivimus; sed quando eadem cremata a Stilichone dicit, manifeste calumniatur, et crimen, quod ipse pro atrocissimo habet, quoque ipsum imperatorem accusare non audebat, in Stilichonem confert. Parum abest, quin credam, plane hoc finxisse Rutilium et lusisse, ut ingenio poetico uti, et comparare hoc crimen cum usto Altheæ torre fatali, et crine Nisi ablato posset. Si lenissime judicare volumus, dicemus, suspicione mera permotum ad eam criminationem esse. Qui quum pro suo religionum Romanarum amore libros Sibyllinos maximi faceret, eorumque opem tempore calamitoso rei publicæ et

ipse requisivisset sæpe, et requisitam vulgo Romæ cognosset, sciret autem Stilichonem, qui alia perniciosa in rem Romanam designasset, libros Sibyllinos requirentibus et consulere volentibus denegasse, et damnatos, vetitos, abolitos adfirmasse; propterea odio Stilichonis et dolore suo adductus est, ut crematos adeo a Stilichone suspicaretur. Enimvero non alia librorum Sibyllinorum abolitio facta est, quam quæ ipsorum sacrorum et sacerdotiorum, ad quæ pertinebant, per edicta Cæsarea sublatorum, fuit. Quæ edicta quoniam satis nota et celebrata toto orbe erant, scriptores nihil sigillatim tradere de libris istis abolitis voluerunt. Neque necesse erat cremari ea carmina, quorum usus et auctoritas, superstitione gentilium omni sublata, per se cessare debebat. Quod si etiam hoc constet, saltem concedatur Rutilio, publice cremata esse carmina Sibyll. jussu Principis ab ipsoque Stilichone cremata esse, ut scilicet populi oraculis eorum concitati motus comprimerentur, quis hoc injuste factum esse dicat, aut Honorio minus licuisse adfirmet, quam quod ethnicis ante eum Principibus, qui vulgatis adversus se oraculis Sibyllinis refutare ea ut falsa et commentitia, immo abolere et vetare ausi sunt. Nec ignorare Rutilius, aut quisquis patrocinium Sibyllinorum susciperet, potuit, olim etiam eos libros pestem ignis subinde expertos esse, neque id pro sacrilegio, aut omine fatalis excidii habitum: combustos partim ab ipsa Sibylla esse, quum primum traderet Tarquinio, et postea Capitolio deflagrante perditos, nec a Jove ipso servatos esse; et qui deinceps perditorum loco conquisiti ex omni Italia aliisque locis essent, eorum dubiam nec parem pristinis auctoritatem fuisse. Si quis vero quærat, quod tandem fatum librorum Sibyllinorum et qualis interitus fuerit, nihil aliud respondere vel possumus vel debemus, quam factum esse cum Sibyllinis, quod cum arcanis et sacris et simulacris aliis, quæ in magna veneratione Romanorum erant, quæ quomodo tandem et quibus auctoribus perierint, nemo unquam animum induxit sigillatim vel memorare, vel quærere. Cæterum Rutilius honorem et pretium librorum Sibyllinorum nimium auget, eoque cri-

minationem suam exaggerat, quod libros eos pignoribus imperii Romani accenset versu 55. Nam ex usu sermonis Romani pignora imperii dicebantur fatalia munera, quæ divinitus concessa rei publicæ credebantur eo fato, ut, quoad hæc servarentur, salva ipsa res publica esset. Ratio igitur et natura pignoris imperii erat in sola ejus possessione, et quadam vi arcana, cum fato rei publicæ conjuncta, quam soli Palladio et ancilibus tribuere solent scriptores Romani. Contra libri Sibyllini dati credebantur rei publicæ non propter se, ut adessent solum et servarentur otiosi, sed ad usum rei publicæ salutarem, ut fata ejus et remedia ad servandam eam idonea docerent. Itaque quum densto Capitolio aliquoties perditi isti libri essent, propterea non ruituram ipsam rem publicam credebant Romani, sed similia in locum eorum carmina conquirebant. Et Rutilius igitur minus accuratum se rerum Romanarum interpretem præbet, quando de libris Sibyllinis, ut de pignoribus imperii, judicat, et Stilichonem putat iis sublatis ipsa rei publicæ fata præcipitasse.

HILDEBERTI

CENOMANENSIS, POST TURONENSIS EPISCOPI,

DE

URBIS ROMÆ RUINA

CARMEN EX ALIO ANTIQUO INTERPOLATUM.

Par tibi, Roma, nihil, quum sis prope tota ruina;
  Quam magni fueris integra, fracta doces.
Longa tuos fastus ætas destruxit, et arces;
  Cæsaris et Superum templa palude jacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes

1. *Par tibi, Roma, nihil.* Vide Salvianum, de Gub. Dei lib. IV, p. 112: «denique sciunt hoc Hispaniæ, etc.» et ibid. p. 116: «Nam illud latrocinium, etc.» Pallad. Hist. Laus. cap. 118, et hoc Anonymi epigramma in ruinam Romæ adducit etiam Franc. Schottus in Urbis Admirandis. Respicit autem illud Martialis, XII, 8: «Terrarum Dea gentiumque Roma, Cui par est nihil, et nihil secundum». Opit. Hommeyi editio vitiose habet «Parti Roma nihil, Chrysippe, tota ruina». W. — *Quum sis prope tota ruina.* Palladius, Hist. Laus. cap. 118, «nec æneas quidem statuas in foro relictas, et urbem desertam, relictam, vereque juxta Sibyllæ vaticinium ῥύμην hoc est vicum esse factum» conqueritur; vide Lucan. fin. lib. VIII, p. m. 200, «magnis porrecta ruinis». Opit.

2. *Quam magni fueris.* Epigramma in Græciæ ruinam: «cinis ipse jacentis Visitur, et tumulo est nunc quoque sacra suo». Opit.

3. *Et arces:* domus superbas, e quarum majoribus omnia intra se unaquæque habuit, quæcumque mediocris etiam urbs habere potuit, hippodromum, fora, delubra, fontes, varia balnea, ut est in Olympiodori Excerptis apud Phot. ubi et versus adducitur: Εἷς δόμος ἄστυ πέλει· πόλις ἄστεα μύρια τεύχει. *Est*

Et stantem tremuit, et cecidisse dolet.
[Quem gladii regum, quem provida jura Senatus,
Quem Superi rerum constituere caput.]
Quem magis optavit cum crimine solus habere
Cæsar, quam socius et pius esse socer:
Qui crescens studiis tribus, hostes, crimen, amicos,
Vi domuit, secuit legibus, emit ope.
In quem, dum fieret, vigilavit cura priorum:
Juvit opus pietas hospitis, unda locum.
Materiem, fabros, expensas axis uterque
Misit, se muris obtulit ipse locus.
Expendere duces thesauros, fata favorem,
Artifices studium, totus et orbis opem.
Proh dolor! urbs cecidit, cujus dum specto ruinas,
Penso statum, solitus dicere, Roma fuit.
Urbs cecidit: de qua si dignum dicere quidquam

urbs una domus: mille oppida continet una urbs. Opit. *Faetus* et *æstus* habuit MS Hommeyi. Et hic distinguit *ætas destruxit: et arces Cæsaris, et Superum.* W.

7. Hoc distichon, quod Opitius et Burmannus ignorant, ex Hommeyi editione huc induxi. Recentem auctorem ultro prodit. W.

11. *Qui crescens.* Beaugendrius monet, hos duo versus hic interseri apud Hommeyum, seque adeo huc traduxisse. W.

13. *Cura priorum*, forte *Deorum.* Opit. Adsentior huic conjecturæ, quæ firmatur ex v. 27: « Confer opes, marmorque novum, Superumque favorem »; sed amplius censeo scribendum: *In quam, dum fieret*, etc. Romam nempe; vide v. 25 seqq. Burm.

14. *Pietas hospitis.* Malim *hospitii.* Florus, lib. I, c. 1: « Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat; incolæ deerant. Erat in proximo lucus, hunc asylum facit: et statim mira vis hominum ». Opit. Hommeyus edidit *unda, locus*, quod magis placet. W.

15. *Materiem.* Hoc distichon Hommeyus non habet. W.

18. *Orbis opes* dedit Hommeyus.

20. *Solitus dicere:* corrigo *soleo dicere.* Op.—*Roma fuit.* Ausonius, epigram. de Roma, Constantinopoli et Carthagine: « vetus hanc opulentia præfert, Hanc fortuna recens: fuit hæc, subit ista ». Salvian. l. cit. « Denique sciunt hoc, etc. » sic de Lugdunensi colonia Senec. ep. xcii: « Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quæritur »: sic « fuit Ilium, fuimus Troes » Virgilio. Opit.—Sic Florus, I, 16: « ruinas ipsas urbium (ita) diruit, ut hodie Samnium in ipsa Samnio requiratur ». Ed.

21. *Urbs cecidit.* Hoc distichon

Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis
Æternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit solvere cura Deum.
Confer opes, marmorque novum, Superumque favorem,
Artificum vigilent in nova facta manus;
Non tamen aut fieri par stanti machina muro,

ab Hommeyi editione abest, et certe, posito priore disticho, cujus mera est repetitio, abesse potest. Verum tamen multo melius priore est, et primum ipsum veteris epigrammatis a Pithœo producti, quod hic ad versum 34 usque procedit. E quo ductum et interpolatum totum carmen esse, ipse hic concursus duorum distichorum unius sententiæ docet. Nam adparet, consarcinatorem, sive is Hildebertus, sive alius est, quo planior et minus asper transitus ad vetus illud, quod inserere volebat, epigramma esset, illud distichon *Proh dolor, urbs cecidit*, præmisisse. Librarius alius, qui videbat utriusque distichi eamdem fere sententiam esse, alterum omittebat. W.

23. *Non flamma, nec ensis:* est imitatio Ovidii, « quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas ». Focas Grammaticus in vita Virgilii, v. 77: « Non flatus, non tela Jovis, non spumeus amnis, Non imbres rapidi, quantum manus impia, vastant ». Burm.—In Opitii codice erat *non flamma, nec hostis*, quod ipse improbat. *Non ensis* est apud Hommeyum, qui et sequente versu cum Opitii membrana habet *Ad plenum potuit*. W.

24. *Æternum potuere:* sic ed. Pith. *Poterant* Schottus in Admir. Rom. quod probabat Opitius et Scriverius. Burm.

27. *Confer opes, marmorque novum.* Istud *novum* suspectum est. Opit. Distichon hoc ita emendabat Canneg. ad Avianum, p. 145: « Confer opus, marmorque novum, Superumque favorem, Artificum ut vigilent, etc. » Merito autem *novum marmor* suspectum fuit Opitio, præsertim quum *nova facta* seq. vs. occurrant: sed quid supponam hæreo: forte *Confer opes, marmorque, Jovis Superumque favorem*. Burm. *Confer opes, ebur et marmor* dedit Hommeyus. Immerito autem suspectum *novum marmor*, quin nihil aptius huic loco, idemque exemplo Horatii firmatum, Carm. II, 15, 20: « Templa novo decorare saxo ». W.—Perperam Burm. Cannegieteri emendationem probat. Ed.

29. *Par stanti machina muro.* Schottus *præstanti: par tanto* apud Opitium; et seq. v. male *restaurant:* quo verbo licet posterioris ætatis scriptores usi sint, sæpius tamen a librariorum barbarie iis invitis intrusum opinor, idque illis in locis, ubi probo vocabulo *instaurare* ipsi fuerant usi: ut non semel apud Justinum; vide Grævii notas ad lib. II,

Aut instaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque stans pars
Æquari possit, diruta nec refici.
Hic Superum formas Superi mirantur, et ipsi
Se cupiunt fictis vultibus esse pares.
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum signa creavit homo.
Vultus adest his numinibus, potiusque coluntur
Artificum studio, quam deitate sua.
Urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe, carere fide.

c. 10, et sic apud alios sæpe. Burm. *Par tanto* Hommeyus, sed Beaugendrius melius putat *stanti*.

30. *Aut restaurari* Hommeyus.

31. *Tantum restat adhuc.* Hoc distichon in MS meo omissum fuit. Op. —*Ut neque stans pars : pars stans* apud Fr. Schottum. Burm. Hommeyus scribit *ut neque præstans*, Beaugendrius præfert *pars stans*. W.

33. *Superi mirantur, et ipsi se cupiunt; cupiant* Heinsius. Ex membrana sua Opitius exhibet *mirantur et ipsi, Et cupiunt*, etc. *Se cupiant verbis, vultibus esse pares* apud Schottum. Burm. Hommeyus edidit *mirantur et ipsi, Et cupiunt.*

35. *Non potuit natura :* plane ita Ausonius in buculam Myronis, epigram. 64 : «Fingere nam similem vivæ, quam vivere, plus est ; Nec sunt facta Dei mira, sed artificis ». Opit. — Cæterum ne sic quidem satis integrum esse carmen hoc videtur. Nam quum de statuarum jactura tantum verborum fecerit auctor mirum esset majora transivisse. Burm.

37. *His numinibus :* cod. Hommeyi habuit *his nubibus*, pro quo ipse reposuit *his nobilior*. W.

39. *Urbs felix.* Ultimum distichon, licet non infelix, tamen præcedentibus vix satis convenit. Op.

II.

PRISCIANI PERIEGESIS

E DIONYSIO,

CUI ACCEDUNT

EJUSDEM CARMEN DE PONDERIBUS

ET MENSURIS

ET EPITOME PHÆNOMENON,

SIVE DE SIDERIBUS,

RECENSUIT

ET NOTIS INTEGRIS

JO. CAMERTIS, ANDR. PAPII, JO. HUDSONI EXCERPTISQUE

ALIORUM

IN PERIEGESIN,

JO. CÆSARII, ELIÆ VINETI, P. BURMANNI

IN CARMEN DE POND. ET MENSURIS,

SUIS DENIQUE IN SINGULA CARMINA

OBSERVATIONIBUS

ILLUSTRAVIT J. C. W.

I.

DE PRISCIANI PERIEGESI

ET ALIIS EJUS CARMINIBUS

EORUMQUE

EDITORIBUS ET INTERPRETIBUS.

Ad poetas Geographos, quos hoc volumine recensemus, præcipue pertinent duo inclinantis ævi scriptores, Rufus Festus Avienus et Priscianus, qui Dionysii Alexandrini Οἰκουμένης περιήγησιν latino carmine reddiderunt, ea quidem cum libertate, eoque ingenii doctrinæque suæ usu, ut non tam interpretes Dionysii, quam imitatores, et poetæ, proprii auctores operis, haberi debeant. Eorum jam primum producimus, quamvis alteri ætate et ingenio secundum, Priscianum, quia et planior ad intellectum, servire Avieno deinceps legendo potest, et, quia brevior, commodius videtur Itinerario Rutilii, quod magnam partem voluminis jam implevit, adjungi. Quum autem præter Periegesin duo alia soleant carmina Prisciano attribui, *de Ponderibus et Mensuris*, et *de Sideribus cœli*, placuit et hæc, licet diversa argumento, subjungere, ut, quæ unius auctoris sunt, una legi possint. Simul et hoc spectavi, ut, quoniam inclinantis ætatis et valetudinis meæ ratio vix mihi spem facere adornandi illius tomi, cui ista destinata erant, videtur, partem aliquam laboris, quem aliquando ægre perfecturus essem, data hac opportunitate præciperem.

De auctore, quem præscripsimus, Prisciano ut agamus, prius ille adserendus hisce poematibus a nobis est contra plurium doctorum sententiam, qui auctorem illum vel negare prorsus, vel saltem in dubium vocare ausi sunt. Fuerunt enim, qui Q. Rhemnio Fannio Palæmoni, Grammatico, utrumque poema adscribere mallent, nulla, ut opinor, satis idonea auctoritate adducti. Quod quum mihi admodum mirum esse videretur, in Periegesi maxime, quæ non solum in codicibus Msptis, quotquot eruditis adfuerunt, Prisciani nomen præscriptum habet, sed et pluribus excusis Operum Prisciani exemplis inserta reperitur; cœpi ego quidem rem penitius inquirere, et cognovi, fontem hujus erroris primum quidem a carmine de Ponderibus et Mens. ejusque titulo perperam intellecto, ortum, mox traductum ad alterum Prisciani carmen de situ orbis esse, ut utrumque Rhemnio Fannio tribueretur. Nempe in codice Abbatiæ Morbacensis atque in vetustis quibusdam editionibus carminis de Pond. et Mens. ut in Lipsiensi P. Æolici a. 1494, repertum est, auctorem ejus perhiberi *Remum Favinum* (1). Quæ nomina quum in reliqua antiquitate non viderent exstare, recteque existimarent esse corrupta, Politianus, Lilius Gyraldus et alii Rhemnium Fannium Palæmonem pro Remo Favino adpellaverunt (2). Prostitit tamen diu sine titulo inter Prisciani scripta hoc carmen, et Caspar Barthius, qui videret, neque negari id plane Prisciano posse, neque sperni debere, quod quidam codices præferrent, nomen Favini, novam opinionem commentus est, unamque personam divisis nominibus designari ratus, auctorem utriusque carminis pleno nomine *Remum Fannium* sive *Favonium Priscianum* adpellandum esse censuit. Valde autem mirum est, potuisse tam facile in Remo Favino veteris Grammatici

(1) Vid. J. A. Fabricius, Bibl. med. et inf. Lat. lib. VI, p. 449; Polyc. Leyserus, Hist. poet. med. ævi, pag. 2057, et J. N. Funccius, de vegeta Ling. Lat. senect. cap. 3, § 17.

(2) Elias Vinetus, prima adnot. ad carm. de Pond.

Rhemnii Fannii Palæmonis nomen reperiri, quum is parum omnino notus plerisque esset, neque antiquitus talia ejus scripta essent prodita, quæ eum dignum et probabilem carminis de Pond. et Mens. auctorem esse significarent. Et diu latuit, credo, nomen Rhemnii, neque a quopiam in auctorem carminis illius translatum est, donec Jo. Jovianus Pontanus, qui exeunte sæculo XV floruit, veteris Grammatici Rhemnii Palæmonis librum de Arte Grammatica e situ eruit, ut ipse quodam epigrammate testatus est, atque eruditis notum fecit (1). Ex eo tempore Rhemnii Fannii nomen carminis de Pond. auctori aptum visum est, et recte mihi videor observasse, ante finem sæculi XV nemini eruditorum in mentem venisse, ut auctorem ejus carminis hoc nomine adpellaret. *Rhemnium* faciebant e Remo: *Fannium* nomen, quod fortasse nec antiqui Palæmonis fuit, ut adponerent, simile Favini suadebat. Latius serpere error cœpit, et quasi robur eundo adquirere, quum contigit, ut Favinus vel Fannius, carminis de Ponderibus auctor, idem esse censeretur, ac Flavius Grammaticus, quem Hieronymus, cap. 80 de Script. eccles., memorat libros de Medicinalibus versu composuisse, atque una cum Lactantio a Diocletiano Nicomediam vocatum esse. Quum ponderum mensurarumque notitia medicinæ inprimis necessaria haberetur, itemque a medicis tradi soleret, quod primus statim versus carminis indicat: *Pondera Pæoniis veterum memorata libellis;* hinc Grammaticus, qui de Medicinalibus versu scripsisset, dignissimus auctor carminis de Pond. et Mens. habebatur, et Favini vel Fannii Flaviique nomina tam similia videri poterant, ut difficile haud esset, alterum cum altero permutare. Hinc factum est, ut Fannii nomen nonnulli Hieronymi loco intruderent, licet Sophronius, Græcus interpres, diserte eo loco ponat μετὰ Φλαβίου Γραμματικοῦ, et ipse Hieronymus, libro II, in Jovinianum, Flavium hexametris ver-

(1) Profert hoc epigramma Fabricius, Biblioth. Lat. t. III, p. 735. Ed.

sibus de Re medica disserentem, et cum Marcello Sidete, Græco similis poematis auctore, compositum laudet. Hinc iidem Rhemnio Fannio, recens ficto scriptori, ex illo Hieronymi loco suam ætatem, patriam, præceptorem, denique Grammatici munus publicum adsignare ausi sunt, et cum Flavio Grammatico ante confusum nunc etiam distinguendum ab antiquiore Q. Rhemnio Fannio Palæmone putarunt. Hinc enim est, quod Gyraldus (1) Rhemnium Fannium, ait, teste Hieronymo, Arnobii discipulum fuisse et Constantini Augusti primi tempore de Medicinalibus librum eleganti carmine ad Lactantium Firmianum misisse. Et Andr. Tiraquellus (2) eadem cum Gyraldo sentit, et pronuntiat Rhemnium Fannium, cujus carmen de Pond. et Mens. exstet, in quibusdam codicibus Flavium cognominari Grammaticum, qui de Medicinalibus carmen ad Lactantium scripserit. In quo quidem errat uterque, nec Hieronymum recte intellexit, qui de Flavii libro ad Lactantium nihil, sed solummodo narrat, Lactantium cum Flavio Grammatico sub Diocletiano Principe accitum Nicomediæ rhetoricam docuisse. Flavium Hieronymi ab aliis corruptum mutatumque in Fannium Grammaticum esse, aperte produnt quidam editores Lactantii, qui in Hieronymi testimonio operibus ejus præfixo Fannii nomen pro Flavio ponunt. Sic factum video in antiqua Operum Lactantii, quam mecum habeo, editione, quæ Basileæ anno 1523 apud Andr. Cratandrum excusa est: sic factum a Servatio Gallæo in recentiore et alias non perfunctorie edito Lactantii exemplo (3). Omnia, quæ viri supra memorati perperam statuerunt, bona fide repetiit G. J. Vossius (4), et ex eo J. N. Funccius (5), qui Rhemnii Fannii, Grammatici et poetæ, vitam

(1) De Poet. hist. dial. IV, pag. 253.
(2) Libro de Nobilitate, cap. 31, p. 249.
(3) Observavit hoc Fabric. in adnotatt. ad Hieronym. de Vir. ill. c. 80.
(4) De Poetis Lat. cap. 4, p. 54.
(5) De vegeta Ling. Lat. senectute, cap. 3, § 17.

multis partibus instructam proposuerunt. Memorant claruisse eum sub Constantino M., fuisse discipulum Arnobii, distinguendum a Fannio Palæmone, qui Claudii temporibus vixit, scripsisse elegans carmen de Medicinalibus, ejusdemque videri carmen hexametro exaratum de Ponderibus et Mensuris. Quarum rerum falso assertarum nihil est, quod non ex loco Hieronymi corrupto et male intellecto deductum sit.

Sed ut totius commenti de Rhemnio Fannio fontem primarium diximus fuisse nomen *Remi Favini*, quod in antiquis carminis de Pond. et Mens. exemplaribus repertum est, ita de ipso hoc nomine satis clare ostendi potest, perperam illud de carminis auctore intellectum esse. Quum plures libri manuscripti Priscianum auctorem diserte fateantur, unus aliquis Reginæ Sueciæ, a Petro Burmanno citatus (1), talem inscriptionem exhibet, quæ, qua ratione Remi Favini in aliis repertum nomen accipiendum sit, haud obscure significet. Sic autem inscribit : *Prisciani liber de Ponderibus et Mensuris, ex opere Rufini vel Faviani.* Manifeste hic distinguitur auctor carminis Priscianus ab auctore operis, ex quo traduxit ille, vel ejus exscriptor et librarius. Et nomina Rufini vel Faviani sunt ejusmodi, ut alius librarius facile eorum loco fingere potuerit *Remi Favini.* Varia autem ratione fieri potest, ut nomina illa, ex parte corrupta, explicentur. Potest sub voce *Faviani* nomen latere Flavii Theodori, qui in codice Mspto Prisciani se ejus discipulum profitetur opera illius recensuisse et descripsisse Olybrio Jun. Consule, h. e. anno 526 (2). Quo pacto opus Flavii vel *Faviani* diceretur opus Prisciani, quod a Flavio descri-

(1) In prima adnot. ad Rhem. Fannii Palæmonis carmen, tom. II, Poetar. Lat. min. ed. P. Burm. Idem in codice Thuan. fuisse memorat *Incipiunt versus Prisciani de Ponderibus.*

(2) Eum codicem describit Fabricius in not. ad Trithemium, de Script. eccles. cap. 217, quod de Prisciano agit; et in Bibl. Lat. lib. IV, cap. 4, p. 398, edit. Ern.

ptum est. Magis probabile est, intelligi opus vel librum Flavianum, nempe illius *Flavii Grammatici*, cujus supra mentionem ex Hieronymo fecimus, qui libros de Medicinalibus scripsit. Et tota illa formula indicium vel conjectura librarii est, carmen Prisciani describentis, qua significare voluit, carmen illud Prisciani sumptum esse vel *ex opere Rufini*, Grammatici, qui uti libellum de Metris comicis, item de Numeris et Pedibus oratorum, versibus composuit (quod opus etiamnum inter ipsa Prisciani opera legitur), ita fortasse et aliarum rerum notitiam versibus complexus dederat, cui Prisciani libellus metricus de Pond. et Mens. ob similitudinem scriptionis adjungebatur; vel *ex opere* libri *Flaviani*, vel librorum Flavii Grammatici de Medicinalibus, in quibus ille quum universam rem medicam, tum haud dubie medicorum pondera et mensuras exposuerat carmine; quem igitur Priscianus librario, libelli ejus scriptori, vel exscripsisse, vel imitatus esse videbatur. Alius librarius, Prisciani libellum describens, fortasse brevius inscripserat *ex opere Remi Favini*, quod corrupte vel contracte scriptum de ipso auctore libelli intellectum est. Sed ille procul dubio per compendium sic scripserat pro *Remedii Flaviani*, remedium adpellans barbare librum remediorum, qualis est Sereni Sammonici; aut indicare voluit libros Rerum medicinalium Flavii, quorum partem suo opere expresserat Priscianus. Potuit Remi Favini nomen corruptum vel contractum esse recentioris Grammatici, qui Priscianum utcumque tractavit vel exposuit. Fuit Remigius monachus Antissiodorensis sæculi IX, qui a Fulcone Archiep. Remensi ad scholam ibi regendam evocatus est, teste Flodoardo, vel Flavaldo, Hist. Rem. IV, 9, et cujus commentarios in Martianum Capellam, Donatum et Priscianum ineditos in variis bibliothecis haberi docet Index Bern. *de Montfaucon*. Et Remigii Grammaticalia Coloniæ a. 1500, in fol. edita testatur Maittarius, Ann. typogr. tom. I, p. 728 (1). Fortasse

(1) Vid. Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. tomo VI, p. 187.

hic Remigius carmen de Pond. et Mens. ex libris Prisciani alicubi laudavit, excerpsit, vel seorsum proposuit: et librarius igitur describens nomen Remi, i. e. Remigii præponebat. De adposito Favini, utpote plane corrupto, non laboro, sed fortasse Flavaldi est, quomodo Flodoardum Sigebertus Gembl. et Trithemius adpellant, et librarius indicare voluit, esse illum Remigium, qui a Flavaldo memoretur. Quidquid autem hujus rei est, certe corrupta et inepta istius tituli scriptura adparet, quæ minime merebatur, ut inde nomen Grammatici, qui nusquam exstitit, Rhemnii Fannii exsculperetur. Nam de ipso Fannii nomine gravis me dubitatio tenet, an illud prisci Grammatici Rhemnii Palæmonis, quem ista Remi Favini inscriptione quasi resuscitatum volunt, unquam fuerit. Perquisivi omnes Veterum, qui Grammatici illius mentionem faciunt, locos, Plinii, Quintiliani, Martialis, Juvenalis, Suetonii, Grammaticorum veterum; Rhemnium vel Remmium nominari video, Palæmonem video, non Fannium. Unicum, quod pro Fannii nomine facere scio, argumentum est, quod petitur a Fanniana charta, et Fannii officina, a Plinio, Hist. Nat. lib. XIII, cap. 12, memorata, quam Melch. Guilandinus (1) aliique putant a Rhemnio Fannio Palæmone dictam, non alio, quantum quidem rescire potui, testimonio nixi, quam Suetonii, qui de Illustr. Gramm. c. 23, Palæmonem Grammaticum dicit *officinam promercalium chartarum vestiumque* exercuisse. Sed nonnullos antiquis in libris *carnium vestiumque* legisse, non *chartarum*, ipse Guilandinus fatetur, et meliores castigatæque Suetonii editiones, quarum ipse plures possideo, illud *carnium* vel *chartarum* plane non habent. Quapropter si quidam eruditi Fannium Palæmonem nominare voluerunt, et si fortasse nomen illud libello Rhemnii Palæmonis de Arte Grammatica primæ editionis præfixum est (quod tamen Putschiana collectio non recepit) non aliunde hoc

(1) De papyro, membr. XIII, pag. 296.

profectum esse arbitror, quam ex mendosa vel incerta loci Suetoniani lectione, quo officina chartæ Fannianæ tribui Palæmoni videbatur (1).

Quod si vero ex hactenus disputatis satis liquet, perperam omnino e corrupto Remi Favini nomine factum esse Rhemnium Fannium, neque adeo hunc pro auctore carminis de Pond. et Mens. haberi posse, recte hinc porro colligimus, multo minus Periegesi Prisciani talem auctorem adsignandum esse, siquidem nulla unquam talis ejus inscriptio in codice aliquo reperta est, quæ alium, quam Priscianum, auctorem suggereret; neque ei Rhemnius Fannius auctor a quibusdam datus est, nisi postquam hunc inventum in altero Prisciani carmine de Pond. putaverunt. Quin subductis rationibus omnibus pro certo habemus atque statuimus, expungendum esse Rhemnium Fannium e numero veterum scriptorum, neque ullum tali nomine Grammaticum, a prisco illo Rhemnio Palæmone diversum, exstitisse. Nam quod opusculum de Arte Grammatica inter Putschii Grammaticos sub nomine Q. Rhemnii Palæmonis, exstat, id quo minus antiqui illius Grammatici habeatur, nihil equidem puto intercedere (2). Si quis illud mentiri nomen Palæmonis, et falso adtributum veteri Grammatico credat, ne cum hoc quidem valde contendam. Sed fingere inde cognominem et recentiorem Grammaticum Rhemnium Fannium, qui ætate Constantini M. vixerit, hoc vetabo prorsus et inconsultum dicam, donec aliud et certius quidem rei argu-

(1) Nisi forte lex Fannia sumptuaria, quæ cibis et cœnis certa pondera et pretia constituebat (de qua vid. Gell. II, 13), caussa fuit, ut, qui de Ponderibus et Mensuris scripsisset, Fannius dicendus videretur. Primum fortasse, vel inter primos, fuisse Hermolaum Barbarum, qui Fannium dicere pro Prisciano vellet, colligo e Joannis Camertis verbis, quæ inter Testimonia produxi: et discere ab eo volui caussas, quæ virum in hanc sententiam adduxissent, sed locum adhuc frustra requisivi.

(2) Aliud prisci illius Grammatici opusculum e Mspto primum editum, nempe *Rhemnii Palæmonis differentias sermonum*, produxerunt auctores Observatt. Miscell. crit. tomo ultimo, an. 1749.

mentum, quam, quod solum vel primarium hactenus reperire potuimus, a corrupto Remi Favini nomine, eoque confuso cum Hieronymi Flavio Grammatico ductum, proferatur.

Carminum igitur, quæ hoc volumine proponimus, auctorem solum esse profitemur Priscianum, quippe ipsis veterum codicum inscriptionibus proditum, neque satis caussæ habere videmur, ut, quod Caspar Barthius et fortasse alii senserunt, diversum hunc Priscianum a Grammatico Cæsariensi existimemus. Clarus quidem est Theodorus Priscianus, Theodosiani ævi medicus, cujus Diæta aliique libri de Medicina exstant. Qui fortasse auctor carminis de Pond. et Mens., quod argumentum alias medicis tractatum est, cum aliqua veri specie haberi possit, sed quia carmine nobilis alias non fuit, et stylus ejus paullo horridior est, quam qui carminis illius, Grammaticam omnino ἀκρίβειαν redolentis, elegantiæ conveniat, Prisciano quidem Grammatico potius, quam medico, illud tribuere par est. Alius Priscianus Lydus, Philosophus, sæculo sexto vixit, Simplicii et Damascii æqualis, ab Agathia, lib. II, pag. 65, memoratus, cujus hodie paraphrasis in Theophrasti librum de sensu exstat (1). Hunc dudum confuderunt nonnulli cum Prisciano Grammatico, quum huic librum Prisciani de Naturalibus quæstionibus ad Cosroem Persarum regem, quem Vincentius Bellovacensis, lib. XXI, cap. 50, Speculi Historialis citat, adtribuerunt (2). Nam potius, sicubi latine exstiterit ille, ex græco versum esse Prisciani Lydi, qui de rebus physicis Cosrois tempore scripsit, probe judicat J. A. Fabricius, Bibl. Lat. lib. IV, cap. 4, ubi de Prisciano, pag. 402 edit. Ern. Atque huic Lydo Prisciano, scriptori Græco, multo minus convenerit carmen aliquod eorum, quæ proponimus,

(1) Vid. Fabricius, Bibl. Gr. lib. III, cap. 9, § 15.

(2) Trithemius, de Script. eccles. cap. 217; Raph. Volaterranus, lib. XVIII, fol. 213, et Siml. in Bibl. Gesn.

adscribere (1). Periegeseos quidem auctorem esse Priscianum, Christianum Grammaticum, Constantinopoli Justiniano imperante viventem, ipsum hoc opus non obscure prodit, non solum quod ubique Christiano more loquentem, et gentiles ritus aversantem auctorem inducit, sed inprimis, quod Constantinopolim, ubi degebat Priscianus, singulari elogio condecorat, eo quidem, quod simul ætatem Justiniani, quæ eadem Prisciani est, respiciat. Nam de Byzantio, sive Constantinopoli, ait versu 772:

> Mœnia Byzantis qui cernunt optima contra,
> Romanisque pie regnis dominantia mundo.

Dicit Byzantium auctoris tempore *dominari mundo*, hoc est, esse regiam urbem Imperatoris, qui mundo imperet *regnis Romanis*, ita ut imperium Romanum, quod olim primario Romæ erat, nunc in sola ea urbe resideat: quod sane Justiniani ætatem et imperium maxime designat, propterea quod tum Romam et Italiam non amplius Imperatores, sed reges Gothorum tenebant. Denique Grammatici opus esse Periegesin, et cætera, quæ Prisciano tribuuntur, carmina, per ipsum eorum argumentum fit credibile. Quum Grammatici suam operam maxime ad intelligendos veteres auctores conferant, et ad eorum intelligentiam præter alia inprimis faciat terrarum, regionum et locorum descriptio, ponderum et mensurarum notitia, scientiaque astrorum, quæ ubi non solum breviter et compendio quodam doctrinæ, sed et metrica oratione continentur, felicius jucundiusque mandantur memoriæ, oppido perspicitur, dignam et aptam officio Grammatici rem esse, orbis situm, mensurarum modos, et nomina siderum carmine complecti. Exempla alia eorum, qui similia tentarunt versu tradere, ipsa obfert antiquitas, ut Terentiani Mauri de Literis, Syllabis et Metris, librum

(1) Alios Priscianos, sed scriptis non claros, enumerat Glandorpius in Onomast. et Fabricius, Bibl. Lat. t. III, p. 397, edit. Ern. in nota.

metricum, Rufini versus de Metris, Sereni Sammonici et Marcelli carmina de Medicina, Avieni libros geographicos, Incerti Elegiam de vocibus animalium. Media ætas plures suggerit, qui ipsa Grammaticæ præcepta et regulas, quo facilius ediscerent tirones, includere versibus et carmine instillare voluerunt. Quo pertinet Galfridi de Vinosalvo Ars poetica, Eberhardi Betuniensis Labyrinthus, in quo officia pædagogi exponit, simul artis rhetoricæ et poeticæ ideam sistit (1), Alexandri Doctrinale, sive Grammatica Latina metrica, et nonnulli alii. Quin ipsis Prisciani libris Grammaticis hoc sequiore ævo contigit, ut summa eorum versibus exponeretur. Nam Petrus Helias, incertæ ætatis scriptor, Textum metricum complectentem XVI libros Prisciani, majoris voluminis, composuit, cujus liber manuscriptus anno Domini 1406 exstat in bibliotheca Paullina Academiæ Lipsiensis, ut refert Pol. Leyserus (2). Neque alius liber esse videtur *Summa Magistri Petri Eliæ in Priscianum*, cujus manuscriptum in Bibliotheca Augustana reperiri, ex Hœschelii ad Hutschium literis refert Fabricius (3).

Sed redeundum ad ipsum Priscianum est, ut summa quædam vitæ ejus capita notemus. Cæsareensis vocari solet, non quia Cæsarea oriundus fuit, nam patria Romanus a plerisque habetur, sed quia literis ibi institutus et diutissime versatus fuit. Intelligenda autem Cæsarea Palæstinæ, quæ urbs eo tempore celeberrima literarum cultu fuit. Justiniani tempore floruisse, certissimus omnium testis est Cassiodorus, ipsius æqualis, qui in Orthographiæ capitis XIII inscriptione prædicat, Priscianum Grammaticum suo tempore Constantinopoli doctorem fuisse. Et Paullus Warnefridus, de Gestis Longob. eumdem sub ætate et imperio

(1) De quo carmine vid. Pol. Leyserus, Hist. poet. med. ævi, pag. 796.

(2) Loc. cit. pag. 2067. — Et Maittarius, t. I, pag. 700, memorat: « Petri Heliæ Grammatica metro hexametro conscripta cum Joannis *Sommerfeld* commentatione. Argentor. 1499, in-4, per *Martin Flach*. Ed.

(3) Biblioth. Lat. tomo III, p. 396, in not.

Justiniani laudat. (Vid. Testimonia.) Docuit autem Constantinopoli in aula Imperatoris publico stipendio conductus, et professor Grammaticæ constitutus, adeoque Christianus, quod ipsum plura Periegeseos ab eo scriptæ loca testantur. Præceptorem habuerat Theoctistum, quem aliquoties in libris suis magna laude exornat, in discipulis autem celebrem item inter Grammaticos Eutychem (1) habuit. Atque celebritate institutionis et discipulorum frequentia, tum amplitudine et numero librorum a se editorum, eam auctoritatem atque famam consequutus est, ut per omnes fere ætates princeps Grammaticorum audierit. Fuerunt jam antiquis temporibus, qui falso proderent, Priscianum ab initio religione Christiana imbutum, post ejusdem desertorem evasisse. Error inde fuit, quod Priscianus libros suos Juliano Consuli et Patritio misit, quem inepte pro Juliano Apostata habentes, non solum eum perperam crediderunt sub Juliano Imp. floruisse, sed etiam, quod ei libros suos dedicaverit, ejus caussa et exemplo a sacris Christianorum defecisse existimarunt. Meminit hujus erroris Volaterranus eo loco, quem inter testimonia adducimus, sed hoc multo antiquior eum improbavit et confutavit Anonymus Mellicensis (2). Sed omittimus alia de Prisciano memoratu digna, quæ Fabricius et Funccius (3) uberius exposuerunt.

E scriptis Prisciani Grammaticos libros nunc præterimus; et carmina, quæ ei tribuuntur, sola adtingimus. *Periegesis*, quam priore loco ponimus, latino carmine expressam exhibet Περιήγησιν Οἰκουμένης, sive enarrationem Orbis, Dionysii Alexandrini, qui ab opere suo ipse Periegeta vocari solet. Quo

(1) Qui Priscianum *Romanæ lumen facundiæ, et suum, immo communem hominum præceptorem* vocat, de Discern. Conjug. lib. I, apud Putsch. pag. 2154.

(2) De Script. eccles. cap. 18; Fabricii Bibl. eccles. p. 145.

(3) Fabric. Biblioth. Lat. lib. IV, cap. 4, sect. 3, p. 397 seq. edit. Ern. Funccius, de decrep. Ling. Lat. senect. cap. 4, § 19.

titulo Priscianus suum poema inscripserit, admodum dubium est. Nam exemplaria antiqua, calamo exarata pariter, atque ære excusa, valde inscriptiones variant. Plerique ipsum Dionysii opus nominant, addito nomine interpretis Prisciani, atque vel *Dionysii Cosmographiam*, vel *opus de situ Orbis*, vel *Descriptionem Orbis habitabilis*, vel *Orbis ambitum*, *Prisciano interprete*, *vel a Prisciano*, *aut Rhemnio Fannio e græco versum*, etc. inscribunt. Rectius fecisse videntur, qui Priscianum ipsum, ut auctorem, nominarunt, Dionysium, ut fontem operis; veluti antiqua Veneta operum Prisciani editio, 1475, inscripsit *Prisciani interpretatio ex Dionysio de Orbis situ*, et alia, 1485, *Prisciani de situ Orbis carmen*. Qui accuratissime et recentius Prisciani poema ediderunt, ut Papius, Pithœus, Hudsonus, inscribendum illud putarunt *Prisciani Periegesis e Dionysio*. Quam inscriptionem ut fide codicis manuscripti innixam puto, ita cum Henr. Dodwello pro verissima et genuina ipsius Prisciani habeo. Nam auctorem indicat, qui sibi Periegesin latinam quasi propriam vindicet, nec solum græcam interpretetur, quod sane ipse voluit Priscianus, in ipsoque carmine satis testatus est, quo quidem Dionysii textum et seriem rerum sequitur, sed pro lubitu pertractat, et pro personæ suæ vel instituti ratione sciens et prudens mutat; multa breviter dicta latius explicat; alia, quæ ille copiosius, contrahit: quæ Dionysius pro more ethnicorum poetarum extulit, hic ad rationem et sensum Christianismi accommodat; multa a Dionysio narrata prætermittit plane et detruncat, contra aliis in locis plurima de suo aut alieno interserit, arcessitis aliunde, et, maxime e Solino, repetitis, rebus memorabilibus, ad historiam regionis cujusque pertinentibus, quas narrationi Dionysii tamquam appendices adnectit, ut pluribus exemplis demonstravit Henr. Dodwellus (1). Omnia

(1) In Dissert. de ætate et patria Dionysii, ejus Periegesi ab Hudsono præmissa, § 25.

vero plana et facili, nec usquam altius adsurgente, oratione edisserit, totumque opus ad brevis institutionis rationes, et ad animos juniorum, Geographiæ notitia imbuendos, componit. Quod enim ipse Dionysius sibi ait propositum fuisse (1), ut poemate suo speciem aliquam universi orbis intellectu facilem complecteretur, qua quis percepta alios imperitos posset de singulis edocere; hoc inprimis Priscianus, tamquam officium Grammatici, videtur amplexus, et propterea Dionysianum poema ad docendum vertisse, quod ipsum non intermisit his versibus profiteri (2):

> Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
> Ut cernas animo non visas lumine terras,
> Atque docens alios lauderis pectore docto.

De Dionysio, græcæ Periegeseos auctore, ut non nihil dicamus, de ejus patria et ætate tam diversæ eruditorum sententiæ exstant, ut nonnulli Afrum vel Alexandrinum, alii Characenum, alii Byzantinum, alii Thessalonicensem aut Corinthium adpellent; alii sub Cæsare Augusto, alii sub Marco et Lucio Antoninis, itidem alii sub Septimio Severo et filiis ejus dicant floruisse. Ex his eam sententiam, quæ ex loco Plinii, lib. VI, cap. 27, ducitur, et Dionysium Charace, olim Alexandria, Susianæ oppido, ad intimum sinum Persicum inter Tigrim et Eulæum fluvios sito, natum esse, et Augusti tempore vixisse statuit, ut maxime probabilem ornarunt Christoph. Cellarius (3), et J. A. Fabricius (4), aliorum eruditorum adsensu adjuti. Post eos tamen recentius in aliam sententiam abiit Henr. Dodwellus, et Dionysium Corinthium fuisse, et sub Elagabalo scripsisse, conatus est demonstrare (5), nixus præcipue loco, quem Stephanus,

(1) Perieg. vs. 171 seq.
(2) Perieg. vs. 160 seq.
(3) In Dissert. de poetis scholæ publicæ utilioribus, § 17 seqq.
(4) Bibl. Gr. lib. IV, cap. 2.
(5) Dissert. loc. cit. § 17 seqq.

voce *Emissa*, e Dionysio citat, et Avienus, v. 1083 seq. explicasse videtur, de Emesa urbe et templo Elagabali Solis ibi celebrato. Quæ verba etsi hodierna Dionysii exemplaria non habent, Dodwellus tamen Avienum in codice integriore sibi coævo habuisse, et Dionysium ea in gratiam Elagabali poemati suo inseruisse putat, comitem et consentientem sibi ea in re habens Salmasium (1). Nobis vero, nisi gravior adferatur ratio, haud satis confirmata ea sententia videtur, si quidem Avienus istam urbis Emesæ laudem non ab ipso Dionysio habere, sed de suo addere, ut multa alia solet, potuit. Et Priscianus, qui v. 860 non alia, quam quæ Dionysius, v. 919, habet, exprimit, satis ostendit, salvum eum locum esse, et quæ Avienus inseruit, non in ejus codice exstitisse; quæ igitur Stephanus e Dionysio verba adlegare visus est, ad alium, quam Periegetam, pertinere. Cæterum gravius dubium adversus sententiam Cellarii et Fabricii moveri e versu 210 Dionysii potest, quo Nasamones dicuntur a Romanis deleti. Hoc enim imperante Domitiano factum, ex historia Romana probari potest, ut ipsi ad Prisciani versum 194 ostendemus. Sed hanc de Dionysii ætate controversiam dirimere non hujus loci, nec nostri etiam instituti esse videtur. Et quoniam ætas pariter ac patria Dionysii incerta manet, nec plura de eo jam licet dicere.

Cæterum Dionysii Περιήγησις quum πρόχειρον adeo et succinctam Cosmographiæ doctrinam contineret, et utilissimus docto cuique liber haberetur, ea caussa fuit, ut et apud Græcos in honore et usu magno esset (2), et Latini versione ejus vel paraphrasi conficienda magis eam frequentare inter

(1) Ad Vopisci Aurelianum, cap. 25, tom. II, p. 477.

(2) Exstat quidem inter Græcos, præter Dionysii poema geographicum, alia περιήγησις versibus iambicis a Scymno Chio scripta, et Hudsoni Geographis minor. tomo II inserta. Sed eam pari in honore atque usu non fuisse, vel inde colligatur, quod non integra ad nos pervenit. Cogitavit quidem Scymnus orbis universi περιήγησιν, incertum tamen est, an ultra Europæ Asiæque limites progressus fuerit.

suos cuperent, quod inprimis Avienus et Priscianus fecerunt. Nec recentioribus temporibus hic Dionysii honos exolevit, sed quia perutilis ejus lectio in scholis ad juvanda literarum studia visa est, non solum frequentes illius veterumque ejus interpretum editiones factæ sunt, sed et novæ ejus versiones passim compositæ. Avieni quidem Descriptio Orbis, quia copiosior et difficilior intellectu videbatur, paullo negligentius est habita; sed Prisciani succincta illa et plana Periegesis dici non potest, quam frequenter vulgata et excusa sit. Non singulares tantum carminis ejus editiones multæ prostant, sed et insertum plurimis Prisciani operum exemplis, quæ ipsa sunt frequentia, reperitur; tum conjunctum cum Dionysio Græco et cum aliis similis argumenti libellis sæpe prodiit, denique etiam collectionibus Poetarum Latinorum plerisque illatum est. Proinde magna editionum ejus series potest colligi, quas deinceps, quoad reperire et cognoscere nobis licuit, ordine annorum enarrabimus. Pauciores ejus interpretes exstiterunt, qui tamen opera sua sic satis bene perfuncti sunt, ut hodie non difficilis adeo labor in eo amplius castigando et illustrando relictus videatur. Primus, quantum equidem sciam, ad Prisciani carmen emendandum et explicandum accessit Joannes Camers, editione ejus Viennæ an. 1512 facta. Qui quam ei castigando operam impenderit, ipse in dedicatione præposita his verbis profitetur: « Adhibitis exemplaribus fere omnibus, quæ in hanc usque diem diversis mundi partibus excusa typis variis lectitantur; reperi (Deum testor) hunc alias libellum aureum tam insigniter depravatum, ut in eo castigando notatore Delio quopiam opus foret. Pro ingenii tamen nostri facultate licet distractus plurimis, permulta in eo loca in integrum, ni fallimur, restituimus ». Addit deinde in commentario adjecto ea se loca exponere, quæ vel obscuriora, vel historias, sive latitantes fabulas complecti videbantur. Avieni præterea, qui eumdem Dionysium interpretatus est, loca non pauca turpiter depravata se profitetur

emaculasse. Per idem tempus Petrum Mosellanum in editione Lipsiensi 1518 scholia Prisciano addidisse legi in Fabricii Bibl. Gr. sed ea scholia nondum vidi, et Fabricium in hac editione indicanda nonnullo errore, quemadmodum in aliis ejusdem scriptoris, lapsum esse credo. In titulo editionis Coloniensis 1530 Dionysius, latinitate a Rhemnio Fannio donatus, dicitur a Christierno Torchillo Morsiano ad exemplar Græcum diligenter castigatus, et ipse Torchillus in præfatione profitetur, hoc opusculum a mendis non paucis, quibus scatebat, a se repurgatum esse. Ego vero pauca admodum in eo opusculo emendata, et ab aliis editt. diversa reperi. Post Camertem, Prisciani Periegesin diligentissime recensendam et illustrandam suscepit Andreas Papius, Gandensis, de eaque præclare meruit, edita cum Dionysio et Musæo Antverpiæ, 1575, in-8 (1). Nam in præfatione memorat ad Priscianum accurate emendandum his se codicibus adjutum esse : 1° E bibliotheca Caroli Langii duobus exemplaribus, uno pervetusto, impresso Venetiis anno 1482, 2° altero Aldino, in quo Langius e manuscripto codice varietates lectionum adnotarat ; 3° manuscripto mutilo, quod suppeditaverat collegium trilingue Buslidianum ; 4° manuscripto, quod Ludovicus Carrio apud se habebat e bibliotheca Gemblacensi. Varietates lectionis collectas in ora texti adposuit ; notas, quæ majorem partem sunt criticæ, et lectionis receptæ caussas exponunt, nonnunquam etiam

(1) Hic Andr. Papius fuit frater consobrinus Joannis Livineii, quem vide ad Paneg. vet. pag. 367. Obiit anno ætatis XXX, absorptus undis Mosæ fluminis, in quo natatu se exercebat ; quum paullo ante mortem libros de Musica Plantino excudendos dedisset, qui eodem fato vix impressi, dum mittuntur Francofurtum, Rheno mersi et maxima parte aquis corrupti fuere. Videatur Modius in Novantiq. Epist. LXVI. Hæc ego notata reperi in exemplo Dionysii Alex. a Papio editi, quod olim Petri Burmanni jun. fuit. — Jo. Posthius, Parerg. Poet. part. I, p. 130, laudat versionem poeticam Dionysii a Papio factam, eumque memorat Gandensem fuisse, et avunculum habuisse Lævum Torrentium, præceptorem ero Ximenium. Ed.

spurios versus in editionibus superioribus occurrentes ejiciunt, ad calcem libri subjecit. In textu præterea versus illos, quibus Priscianus memorabilia haud pauca locorum et regionum e Solino hausta complexus est, lineolis vel obelis lateri adpositis notavit, ipsaque Solini loca in margine citata adjunxit, ut inde omnia additamenta, quibus Priscianus versionem suam dilatavit, ultro et distincte oculis legentium adpareant. Repetiit notas Papii Henr. Stephanus in editione Prisciani cum Dionysio et aliis Geographis Parisiensi, 1577, in-4: item Eduardus Thwaites in editione Dionysii Oxoniensi 1697, in-8. Et recensionem Papii omnes eum sequuti editores servarunt. Quamquam autem primarii Periegeseos Prisciani interpretes merito habendi, quos laudavimus, Joannes Camers et Andr. Papius, utrique tamen non nullis subsidiis caruerunt, quorum egregius in officio interpretandi usus erat. Camers non adfuisse sibi græcum Eustathii in Dionysium commentarium, et Papius non vidisse se Avieni latinam interpretationem fatetur. Quod autem alteri defuit, alter egregie resarsit: nam Camers multis locis Avieni verba et interpretationem contulit, plurimosque ejus versus correxit, et ab insitis mendis liberavit. Quod ego ab eo factum in tanta paucitate Avieni interpretum, vehementer lætatus sum, multisque locis operam Camertis in recensendo Avieno mihi subsidio futuram spero. Alter autem Papius Dionysium ipse recensuit, cum Eustathio frequenter contulit, et Prisciano adjunctum edidit, adeoque, quod Camerti datum non fuerat, inde plurimum lucis ipsi Prisciano adfundere potuit. Neque alius postea inventus est, qui majore cum cura, quam isti, carmen Prisciani excuteret. Petrus Pithœus in poemat. vet. nonnulla e conjectura castigasse videtur, sed nihil adnotavit. Denique nostro sæculo Joann. Hudsonus, tomo IV scriptorum Geographiæ veter. Græc. minorum, Papii quidem recensionem sequutus, et multa ejus adnotata repetens, quoddam spicilegium post illius messem fecit, pluresque ipse observationes addidit ope quorumdam

manuscriptorum codicum, quos quidem adlegat in notis, sed nusquam descripsit. Ego vero adnotationes Joannis Camertis, qui Priscianum ex aliis Geographis et poetis veteribus illustrat, et Papii atque Hudsoni, qui accurate recensendo inserviunt, tanti habendas putavi, ut consultum ducerem, singulorum integras texto ad recensionem Hudsoni constituto, cum variantibus lectionibus, e præsente exemplarium copia collectis, nostrisque observationibus subjungere. Quod sigillatim ad varietates lectionis congestas adtinet, non solum ipse plura contuli exemplaria impressa, sed etiam munere Laurentii Santenii V. C. quum varietates ex Aldina editione et antiqua Veneta 1485 ab ipso enotatas, tum etiam schedas manu Joannis Schraderi exaratas habui, quibus partim varias lectiones e codice Mspto bibliothecæ Estensis excerptas, partim observationes subitaneas in pauca quædam loca Prisciani notaverat. Postea e bibliotheca Academiæ Goettingensis humanitate Heynii V. I. accepi duo exemplaria Dionysii a Papio editi, in quorum uno Prisciani Periegesi collationes cum Lovaniensi vel Langiano, item bibliothecæ Estensis codice, a Nic. Heinsio factæ, in altero variationes duorum codicum Leidensis et Dorvilliani, item edit. Venetæ 1500 manu viri docti adscriptæ erant. Hæc quia serius acceperam, recensione et collatione variantium magnam partem jam peracta, quæ in iis majoris momenti erant, subjectis meis adnotationibus inserta usurpavi. Etenim in adponendis et digerendis tum Camertis, tum Papii et Hudsoni notis hanc rationem sequutus sum, ut quidem varietates lectionum, a Papio, Hudsono meque ipso collectas, texto poetæ subjicerem conjunctas, Camertis commentarios cum uberioribus Papii notis criticis, quia vix capere omnes locus in paginis contexti videbatur, ad calcem poematis seorsum positas, et in unum fascem collatas subjungerem; meas unius adnotationes, cum nonnullis Hudsoni, interpretationi servientibus, et Barthii, Salmasii, aliorum excerptis, texto et variantibus subjiciendas

curarem(1). In Camertis tamen commentario subinde necesse habui recidere nonnulla et omittere, quæ vel vulgaria et valde trita continere, vel digredi in aliena et minus pertinere ad illustrandum scriptorem videbantur; contra in meis adnotationibus exponere, quæ ab eo, præsertim in re geographica, errata aut prætérita essent.

Præter Avienum et Priscianum recentiore ætate alii exstiterunt Dionysii interpretes, qui novas ejus versiones carmine vel prosa oratione adornarunt. Princeps eorum et satis vetustus est Antonius Becharia, Veronensis, qui Dionysii poema de situ Orbis prosa oratione latina, sed satis inepte pluribus in locis reddidit, et neque veteres Avieni et Prisciani interpretationes contulisse, neque ipsum auctorem Dionysium satis notum habuisse videtur, cujus præclaras dotes, virtutes et studia, tamquam hominis antiquo ævo celebratissimi, in proœmio ad Hieronymum de Leonardis prædicat. Primariam ejus traductionis editionem Venetiis 1478, in-4, habui ipse ad manum, sed porro editam esse Venet. 1498, in-4, Parisiis 1501, in-4, et Basileæ apud Henricum Petrum 1534, in-4 memorat Fabricius (2). Simonem Lemnium, Rhetum, carmine Dionysium reddidisse Venetiis 1543 testatur Simlerus: aliam versionem metricam Andreas Papius dedit in edit. Antverpiensi 1576. Atque hic in præfat. ad Dionysium versionem ejus ab Abele Matthæo ante se factam memorat, sed vehementer exagitat; et ille Dionysii Periegesi carmine versæ Eustathii commentarios a se translatos adjunxit, Paris. 1556, in-4. Versionem Dionysii et Eustathii prosaicam a Bernhardo Bertrando Rhegiensi factam, et eodem anno 1556 Basileæ editam memorat Fabricius. Idem versionem Joannis Camertis in editionibus Dionysii, Proclo, Cleomedi, Arato et Prisciano juncti, Ba-

(1) Nos autem Lectori commodius et utilius fore putavimus notas omnes Papii ipsius et Camertis suo quamque versui nostris ac Wernsdorfii adnotationibus insertas simulque collectas subjicere. Ed.

(2) Bibl. med. et inf. Lat. t. I, p. 324.

sileensibus reperiri adfirmat, quam tamen in exemplo eo, quod anno 1561 excusum ipse habeo, Camerti adscriptam non reperi. Taceo Henrici Stephani versionem prosaicam, quam ipse aliique Dionysii texto ab se edito adjunxerunt.

De altero carmine Prisciani de Ponderibus et Mensuris breviter repeto sententiam meam supra expositam, rectius ejus auctorem nominari Priscianum, quam Rhemnium Fannium, quod in antiquissimis exemplaribus vel Prisciani nomen diserte præ se ferat, vel saltem inter opera ejus Grammatici nullo peculiari titulo insignitum reperiatur. Quod si in aliis quibusdam Remus Favinus nominatur, inde tamen non Fannius exsculpendus fuit, cujus nominis Grammaticus nunquam exstitit, sed magis Flavius Grammaticus, Remediorum vel Rerum Medicinalium scriptor, cujus ex opere fortasse Priscianus a nonnullis creditus est carmen de Pond. et Mens. expressisse, idque simili Prisciani libello de Nominibus Numerorum, Pond. et Mens. ita subjectum est, ut ejus opusculo de versibus Comicorum Rufini. Grammatici versus de metris Comicorum et Oratorum subjuncti sunt. Argumentum autem illius libelli Grammatici a subjuncto ei carmine de Ponder. et Mens. non parum differt. In isto non tam de numerorum et ponderum omnium divisionibus et partibus agit Priscianus, quam de eorum figuris, sive notis, et vocabulis, apte ad intelligendos veteres scriptores : pondera eorumque partes utcumque persequitur, mensuras, certe liquidorum, non adtingit (1); de numeris præcipue, et maxima parte libelli, disserit, et non solum ipsa nomina eorum, sed et quæ ab iis derivantur vel componuntur vocabula fuse persequitur. Contra carmen huic libello subjectum de numeris nihil habet, pondera

(1) Neque etiam, de mensuris se acturum, in præfatione ad Symmachum profitetur, sed tantum de numeris et ponderibus. « Itaque, inquit, gloriosum mihi credens, aliquid tanta auctoritate interrogationis mereri, de figuris, sicut jussisti, numerorum breviter collecta demonstrabo, et de numeris vel ponderibus : præterea de Terentii metris, etc. » .

eorumque partes singulas non perfunctorie enarrat, at mensuras humidorum et frugum fere luculentius et per plures versus explicat, ut, si recte in vetustis exemplaribus operum Prisciani libellus iste inscriptus est *de Ponderibus et Mensuris,* vix dubitari queat, carmen hoc ad Priscianum pertinere, propterea quod de ponderibus quidem in libello, de mensuris autem in carmine agatur. Neque Rhemnius Palæmon, antiquus Grammaticus, sed recentior aliquis auctor in carmine loqui videtur, quando ipse ad veteres auctores provocat v. 123:

> Hæc de mensuris, quarum si signa requires,
> Ex ipsis Veterum poteris cognoscere chartis.

Quod in extrema carminis parte ratio inveniendi argenti, auro in una massa permixti, ab Archimede monstrata exponitur, id non videtur ad medicorum pondera et rationes pertinere (1), neque adeo significare, partem esse carminis, quod de medicinalibus agebat, quale Flavii Grammatici fuisse memoratur; sed si quorumdam codicum inscriptione Flavii aut Fannii nomen repertum est, id potius significat, potiorem quidem materiam, utpote medicis maxime tractatam, Priscianum e tali libro medicinali petiisse, sed dilatasse tamen et largius exposuisse, et Grammatici morem et officium sequutum, omnem de ponderibus et mensuris doctrinam diligenter simul et jucunde, insertis narrationibus vel exemplis, quibus ea doctrina utilis ostenderetur, explicare voluisse. Neque enim dubium est, quum carmen in fine mutilum et truncatum sit, longius id deductum ab auctore esse, et deinceps pluribus historiis et scriptorum locis adductis, quem usum ponderum et mensurarum scientia ha-

(1) Sic etiam judicat Thom. Bartholinus, Diss. de medicis Poetis, pag. 122, ubi de Rhemnii Fannii carmine agit: « Ultimum caput de inventione argenti auro in una massa permixti, Archimedis invento, curiosum magis, quam medicum, ex Vitruvio, lib. IX, Architect. cap 3, facem mutuatur ».

beat, ostensum esse, quod ipsum in libello prosaico de Ponderibus a Prisciano factum esse videmus. Cæterum frequentes admodum editiones hujus carminis factæ sunt. Singulariter quidem et seorsum editum non cognovi, præterquam a Petro Æolico, Lipsiæ 1494; sed in plerisque, si non omnibus, Prisciani operum editionibus exstat, tum in variis collectionibus vel Medicorum veterum, vel librorum de Nummis, Ponderibus, Mensuris, vel denique poetarum Lat. minorum, a Jo. Cæsario, Elia Vineto, Luca Pæto, Fr. Hotomanno, Petro Pithœo, Andr. Rivino, J. G. Grævio, Petr. Burmanno, aliisque vulgatum est, quorum editiones deinceps secundum annorum seriem ordinabimus. Conjunctum cum altero Prisciani carmine, Periegesi, unus dedit P. Pithœus inter Epigr. et Poemat. vetera, quorum in editione Lugdunensi Periegesis post Rutilium legitur pag. 496, carmen de Pond. et Mens. pag. 527. Primus quidem eorum, qui de castigando illo carmine cogitarunt, fuisse videtur Jo. Cæsarius, qui cum Corn. Celso et Sereno Sammon. edidit, notisque instruxit Haganoæ 1528, et Salingiaci 1538, in-8; sed optime de eo meruit Elias Vinetus, qui cum scriptoribus de Nummis, Pond. et Mens. Prisciano, Beda, atque Volusio edidit, notisque illustravit Parisiis 1565, in-8, et in præfatione testatur, se cunctos eos libellos ex veterum librorum collatione longe meliores reddidisse. Postea notis nonnullis illustrarunt Rob. Constantinus et Petr. Pithœus, sed Vineti recensionem adoptarunt et notas repetierunt plurimi editores, ut ex nostro editionum recensu adparebit. Nos eamdem ut plurimum sequemur, atque integras Vineti et Burmanni notas cum selectis aliis et nostris addemus.

Quod tertio loco proponimus carmen, *Epitomen Phænomenon*, sive versus 16 *de Sideribus*, non alio ejus merito huc referendum duximus, quam quod Prisciani nomen præfert, et nobis unum in locum conferenda videntur, quæ unius auctoris censentur esse. Etenim nuda et jejuna enumeratio siderum et planetarum est, nullo ornatu verborum

instructa, et tantummodo eum in finem a Grammatico versibus inclusa, ut facilius memoria teneretur. Pithœus eos versus inter Prætermissa, pag. 609, produxit sub titulo *Prisciani Epitome Phænomenon, id est, Adparentium, sive versus de Sideribus.* Sed ante eum Jos. Scaliger produxerat inter veterum poetarum astronomica fragmina, ex offic. Sanctandr. 1589, pag. 164, ubi *Signa cœlestia* inscripsit, et auctoritate codicis cujusdam Ausonio tribuit, cujus etiam in Eclogariis habentur; quamquam sine Ausonii nomine eos legi in veteri scheda Cujacii, idem Scaliger testatur in Lectionibus Ausonianis. Burmannus, qui Anthologiæ Lat. lib. V, Ep. XLVII proposuit, titulum ejus præscribit *Versus Prisciani de Sideribus cœli,* Nicol. Heinsium sequutus, qui ex veteri cod. biblioth. S. Germani sic descripsit. In editione Ausonii Aldina, p. 50 bis, inscribitur *de Nominibus Stellarum.* Legitur etiam hoc epigramma sub titulo *Versus Prisciani de Astronomia* apud Bedam in fine libri de Ratione Computi, t. I, Oper. pag. 434 edit. Coloniensis, et p. 517 edit. Basil. ubi tamen versus quatuor ultimi omittuntur. Quod etiam fit in alio ejus carminis exemplo, quod in Glossis ad ejusdem Bedæ caput 14, de Temporum Ratione, t. II Oper. p. 88, edit. Basil. 1563, reperitur, ubi tamen loco omissorum quatuor versuum duo alii subnectuntur, qui doceant, jam olim ejus carminis auctorem Priscianum agnitum fuisse:

> Hi bis sex versus signant cæli regiones,
> Fistula quos finxit Prisciani docta magistri.

Nostra non alia in illud carmen opera desiderabitur, quam ut nonnullas varietates verborum, in exemplis modo memoratis reperiundas, et a Petro Burmanno indicatas, cum paucis notulis versibus subjiciamus.

EDITIONES

PERIEGESIS PRISCIANI

QUAS QUIDEM REPERIRE LICUIT.

(Præposito asterisco notatas ipse versare et conferre potui.)

I.* In antiquissima operum Prisciani editione Veneta anni 1475, continuata anno 1476, exstat Periegesis. In prioris partis fine leguntur hæc verba: «Volumen Prisciani de octo partibus orationis: de constructione, de duodecim carminibus, de accentibus, de numeris et ponderibus et mensuris explicitum est. Anno domini 1475». Post hanc subscriptionem altero paginæ latere continuatur volumen, et sequitur «Priscianus grammaticus de præexercitamentis rhetoricæ ex Hermogene translatis: Prisciani grammatici de versibus comicis ratio: Commentarium Rufini de metris comicis»: sequitur sine inscriptione Prisciani liber de declinatione nominum: denique «Prisciani interpretatio ex Dionysio de Orbis situ». Fini subscribitur: «Impressum Venetiis impensis Johannis de Colonia sociique ejus Johannis *Mathen de Gherretzem* anno Domini 1476,» fol. Nitidum et elegans per omnia exemplar, literis initialibus capitum vario colore pictis, quod servat bibliotheca publica Academiæ Helmstadiensis.

In aliis vetustis operum editionibus Venetis, quæ plures memorantur, quot et quibus Periegesis exstet, equidem non comperi, nec operose requirere necessarium duxi. In sequentibus tamen scio exstare:

II. Pomponii Melæ Cosmographi Geographia Prisciani Cæsariensis interpretatio ex Dionysio de orbis situ. In fine: « Erhardus *Ratdolt* Augustensis impressit Venetiis 15 Calend. Augusti. Anno salutis nostræ 1482, » in-4. Hoc exemplum olim in recensenda Periegesi contulit Andr. Papius. Servatur in biblioth. Paullina Academiæ Lips.

III. Post Prisciani Grammatici opera, de octo partibus Orat. de Constructione, de Accentibus, de Numeris et Ponder. et Mens. etc. « de situ orbis carmen ex emendatione et recognitione Ben. Brugnolli Veronensis » : Venetiis 1485. Impressit Hannib. Foxius et socii in-fol. Hujus excerptas varietates habui; sed quia serius acceperam, non omnes inserere potui. Fuit in biblioth. Jac. Perizonii, nunc in bibl. Acad. Leidensis.

IV. * Cosmographia Dionysii Thessaloniensis, imaginem terræ habitabilis, loca quoque a sæcularium ac divinarum rerum scriptoribus frequentata in se continens. Habet insuper regiones, aliquando gentium mores, fluvios, montes, nemora, sinus, maria: similiter diversa mundi mirabilia et naturæ occulta commemorat; et ita ad ambiguas historiarum obscuritates faciliorem cognitionem singulis bonorum studiorum amatoribus ars profecto summe necessaria. In fine legitur: « Cosmographia Dionysii Thessalonicensis de situ terræ habitabilis per Priscianum e græco in latinum traducta. Impressa Coloniæ prope conventum prædicatorum anno Domini 1499, die ultima mensis Augusti ». Textus ipse inscribitur: « Cosmographia seu de situ Orbis Dionysii per Priscianum e græco in latinum metrica traductio »: et est subinde distinctus lemmatibus interjectis, aut in margine positis, quæ partes et argumenta carminis indicant. Impressa est hæc editio chartis in sex folia plicatis, forma quæ hodie quarta dicitur, et constat foliis 28. Exstat in bibliotheca Academiæ Helmstad.

V.* Dionysii Afri, de situ Orbis: sive Geographia, Prisciano,

aut Fannio Rhemnio interprete lib. unicus. Joannis Camertis in eumdem Commentariolum. Ad calcem legitur: « Viennæ Pannoniæ, in ædibus Hieronymi Vietoris, et Joannis Singrenii, sociorum. Expensis vero Leonardi et Lucæ Alantse, fratrum. Undecimo Kalendas Novembris, anno 1512, » in-4. Est in Biblioth. Ducali Guelferb.

VI. Pomponius Mela, Julius Solinus, Vibius Sequester, P. Victor, Dionysius Afer de situ Orbis, Prisciano interprete. Venetiis apud Aldum, 1518, in-8. Usus est Andr. Papius, qui hujus editionis textum a correctore valde mutatum et interpolatum fere ubique clamat in notis. Multos insititios versus habet, unde longior et numerosior versibus est, quam aliæ editiones.

Lipsiensem edit. anni 1518 cum scholiis Petri Mosellani, quam Fabricius in Bibl. Gr. nondum se vidisse memorat, nec ego vidi, aut usquam exstare cognovi.

VII. Florentinam editionem anno 1519 prodiisse memorat Fabricius, quam non vidi. Sed ex hac fortasse expressa est, quæ sequitur:

VIII.* Dionysii sive Libyos, sive Halicarnasii, de Geographia elegantissimus libellus a Prisciano, vel (ut aliis placet) a Fannio Rhennio e Græco versus. Titulo subjicitur distichon:

Adspice quam parvo, lector studiose, libello
Clausa sit immensi machina magna soli.

Post titulum sequitur *Ad studiosum lectorem Hendecasyllabum* 19 versibus, quod auctorem habere Jo. Guss. Longicampianum vir doctus notavit. In fine legitur: « Impressum Ingolstadii per venerabilem virum M. Andream Lutzen, anno salutis nostræ 1519, decimo nono Kalendas Decembris ». Forma est quarta foliis quaternis. Communicavit mecum V. C. Conr. Arnold. Schmidius.

IX.* Dionysii Afri de situ Orbis opus studiosis necessarium,

græce scriptum. Idem in latinitatem a Rhemnio Grammatico translatum, falso hactenus Prisciano adscriptum. In idem Cælii Calcagnini adnotatiunculæ, ex libris ejusdem excerptæ. Basileæ apud Valentinum Curionem, anno 1522, mense Septembri, in-8. Præfationem brevem præmisit Valent. Curio. Fabricius falso hujus editionis annum ponit 1552, in-8. Vidi eam convenire cum Aldina, et multis locis corruptam esse. Est in bibliotheca Academiæ Helmst.

X.* Dionysius de situ Orbis, a Rhennio Fannio latinitate donatus: a Christierno Torchillo Morsiano ad exemplar Græcum diligenter castigatus, et cum memorabilium rerum, et celebrium locorum nominibus in marginibus illustratus. Coloniæ apud Eucharium Cervicornum, anno 1530. Mense Augusto, in-8: constat foliis 28: est in biblioth. Ducali Guelferb.

Torchillus in dedicatione præposita profitetur: « Dionysium de situ Orbis, a Rhennio Fannio latinitate donatum, ad ipsius Græci auctoris amussim: diligenter expendi, ut quoad fieri posset, exemplar quam castigatissimum calchotypo excudendum traderem ». Sequitur quidem Torchillus exemplar Aldinum ejusque similia, adeòque et versus spurios et interpolationes habet, sed tamen hinc inde verba et dictiones castigavit, et nonnullas Camertis emendationes suscepisse videtur.

XI. Antonini Itiner. Vibius Sequester de flumin. etc. P. Victor de regionibus urbis Romæ. Dionysius Afer de situ Orbis Prisciano interprete. Lugduni apud heredes Sim. Vincentii. In catalogo bibliothecæ J. A. Fabricii annus impressionis non adponitur, sed videtur Lugdunensis ea, cui idem Fabricius in Bibl. Gr. annum 1550 adsignat, in-8.

XII.* Procli de Sphæra lib. I, Cleomedis de Mundo libri II. Arati Phænomena, Dionysii Afri Descriptio Orbis habita-

bilis. Omnia græce et latine. Sequitur pag. 788, Dionysii Afri poema de Orbis Situ, Prisciano interprete. Subjunctæ sunt in Dionysii opusculum de Situ Orbis aliquot adnotatiuncnlæ Ceporini. Basileæ per Henrichum Petri. Anno 1561, in-8. Fabricius præterea huic editioni annos adsignat 1523, 1534, 1547, 1585, in-8.

XIII.* Dionysii Alexandrini de Situ Orbis liber, interprete Andrea Papio, Gandensi, cui subjungitur Prisciani Periegesis e Dionysio, ex emendatione Andreæ Papii Gandensis, cum ejusdem notis ad eam : et Musæi Hero et Leander, interprete eodem. Antverpiæ, ex officina Christoph. Plantini, 1675, in-8.

XIV. Dionysius cum versione Henr. Stephani prosaria, et Eustathii commentariis subjectis, Prisciani metaphrasi et A. Papii notis in eam, una cum Mela, Solino, Æthico, etc. Paris. 1677, in-4.

XV.* Dionysius Afer de Orbis Situ, Prisciano interprete. Rostochii, excusa per Jac. Lucium. Anno 1578, in-4. Textus luculente exscriptus. Præfationem præmisit Henr. Brucæus, in qua breviter agit de Dionysii patria et ætate, de partitione et ordine rerum in carmine, denique de præstantia recentioris Geographiæ præ antiqua. Constat foliis 28. Plane expressa est hæc editio ex Autverpiensi Papii.

XVI.* Inter Epigrammata et poematia vetera a P. Pithœo edita Paris. 1590, pag. 363. Lugduni 1596, pag. 496, in-8.

XVII. Dionysius cum versione H. Stephani singulis paginis una cum glossis interlinearibus græcis, ac paraphrasi græca anonymi Scholiastæ, substrata, Eustathiique commentariis cum brevibus notis, et quinque tabulis geographicis. Adjuncta etiam metaphrasis Prisciani ex A. Papii editione, cum ejusdem notis. Oxoniæ, e theatro Scheldoniano, an. 1697, in-8. Editor est Eduardus Thwaites,

Collegii Reginæ socius. Oxoniensem ejusdem anni in-4 profert catalogus J. A. Fabricii.

XVIII.* Volumine IV Geographiæ veteris scriptorum Græc. min. Jo. Hudsonus edidit Dionysium cum versione latina, Eustathii commentariis texto subjectis, paraphrasi græca, quatuor tabulis geograph. adjecta Rufi Festi Avieni Descriptione Orbis Terræ, Prisciani Periegesi, Avieni Ora maritima, cum variant. lect. et brevibus notis ad eas. Præmissa toti operi Henr. Dodwelli dissertatio de ætate et patria Dionysii Periegetæ. Oxoniæ, e theatro Scheld. an. 1712, in-8.

XIX. Inter Opera et fragmenta veterum poetarum a Mich. Maittario edita Lond. 1713, fol. Prisciani Periegesis proponitur vol. II, pag. 1632.

XX. In Collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum latinorum, Prisciani Periegesis legitur t. IV, qui Pisauri an. 1766, in-4, prodiit, p. 243.

NOTÆ

LIBRORUM VETERUM, TUM SCRIPTORUM, TUM EXCUSORUM, QUIBUS ANDR. PAPIUS IN RECENSENDA PRISCIANI PERIEGESI USUS EST.

A. Aldinum exemplar.
V. Venetum, anni 1482.
L. Langianus MS.
C. Carrionis MS.
B. Buslidianus MS.

EORUM, QUORUM VARIETATES LECT. NOS IPSI INDICAVIMUS.

E. Codex biblioth. Estensis. *Lov*. cod. Lovaniensis vel Laugianus. *Leid*. cod. Leidensis. *Dorv*. Dorvillianus. *Ve*. 1. Editio Veneta antiqua operum Prisc. anni 1476. *Ve*. 2. Veneta secunda anni 1485. C. Coloniensis, 1499, in-4. *Vi*. Viennensis Jo. Camertis, 1512, in-4. *I*. Ingolstadiensis, 1519, in-4. *B*. Basileæ, 1522, in-8. *T*. a Torchillo castigata. Coloniæ 1530, in-8. *A*. Andreæ Papii. Antverpiæ 1575, in-8. *R*. Rostochiensis, 1578, in-4. *P*. Petri Pithœi, inter Epigr. et Poem. vet. Lugd. 1596, in-8.

II.

DE

PRISCIANO GRAMMATICO

EJUSQUE PERIEGESI LATINA

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Cassiodorus, de Orthographia, in capitis XIII inscriptione de Prisciano ait.

Qui nostro tempore Constantinopoli doctor fuit.

II. Paulus Warnefridus, de Gestis Longob. lib. I, cap. 25, de tempore et rebus Justiniani loquens.

Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis, ut ita dixerim, profunda rimatus est.

III. Anonymus Mellicensis, scriptor sæculi XII, de Scriptoribus eccles. cap. XVIII.

Priscianus Cæsariensis Grammaticus peritissimus fuit, qui et librum egregium de Grammatica Arte composuit. Erravit autem, qui hunc in fide errasse confirmat, quasi qui librum Juliano Apostatæ scripserit, et scriptum obtulerit, etc.

IV. Jo. Trithemius, de Script. eccles. cap. 217, inter Prisciani scripta refert de Cosmographia librum I.

V. Ang. Politianus Miscellaneor. Cent. I, cap. 9 (ubi refutat Domit. Calderinum in Prisciani Perieg. v. 174 legentem *habitant Attegias undas*), tomo I Facis artium Gruter. pag. 21.

Non sunt Dionysii versus hi, non sunt, verum Prisciani potius, quo libello Dionysium poetam de græco interpretatur. Corrumpit eos aûtem Domitius atque depravat. Nam quod apud Priscianum fuit, *ad Tethyos undas*, priore inducta interpolataque scriptura, pro eo supposuit *Attegias undas*.

VI. Ptolemæus Flavius Conjectaneorum sive Observatt. in var. auct. cap. 57, tomo I Facis Gruter. pag. 977.

Dionysii carmen adposui, ut versum est a Rhemnio Fannio, seu mavis tu cum Politiano Angelo, Prisciano, quod non recipio :

Finibus et propriis exceptant singula ventos, etc.

VII. Raphael Volaterr. Commentar. urban. lib. XVIII, fol. 213.

Priscianus Cæsariensis claruit Athenis, tempore Justiniani Principis, scripsit de Arte Grammatica ad Julianum Consulem. Ad Cosroen vero Persarum regem librum de Naturalibus Quæstionibus. Convertit in latinum sermonem Dionysii de Situ Orbis carmina. Habeo auctorem, qui scribit, hunc ab initio Christianum, deinde fidei desertorem fuisse.

Idem, lib. XV, fol. 173.

Dionysius Corinthius, ut Suidas scribit, ut alii, Afer, ex

Byzante civitate, temporibus Augusti scripsit Geographiam versibus hexametris, conversam a Prisciano.

VIII. Joannes Camers in Præfat. ad Dionysium de Situ Orbis Prisciano interprete.

Communis opinio est, eum ipsum Dionysium a Prisciano, celebri Grammatico, in latinum conversum, Hermolaus Barbarus sexto Castigationum Plinianarum libro, et secum plures, Rhennium Fannium transtulisse eumdem existimant.

IX. Conr. Gesnerus in Biblioth. v. Priscianus Grammat.

Prisciano quidam falso hactenus adscripserunt translationem operis Dionysii Afri de Situ Orbis, quum ea sit Rhemnii Palæmonis Grammatici.

X. Andr. Papius in Præfat. ad Dionysii περιήγησιν.

Priscianus non tantum, quæ copiose tractat Dionysius, brevissime sæpe perstringit; et vicissim quæ ille breviter, ipse copiosius interdum enarrat: sed etiam plurima, quæ in auctore sunt, omittit, suasque invicem alibi substituit narrationes earum rerum, quas e Solino didicerat; ut non tam interpres Dionysii putandus sit, quam operis ejus imitator. Nec ab Avieno quidem, etsi numquam vidi, interpretationem mihi spondeo, sed paraphrasin potius: nam verisimile est, cum terræ descriptionem eadem ratione e Dionysio expressisse, qua cæli ex Arato.

XI. Casp. Barthius, Adversar. lib. XI, cap. 25.

Poema ipsum quamvis altero ex eodem Dionysio, Festi Avieni nomine inscripto, longe sit inferius, non tamen est auctori suo pœnitendum. Prisciani esse certum ex membra-

nis puto. Sed cujus? Cæsariensis Grammatici? Quo argumento? Quasi nominis. Quasi non sexcenti alii vixerint isto nomine. Ergo ut plerisque auctoribus hoc nomine injuriam fieri puto, quod diversorum opuscula sequentibus temporibus sub unius celebrioris personam sint redacta, ita ex Remo Favino, quem in aliis libris docti offendunt, et Prisciano unam personam concinnandam puto. Nam de Rhemnio crassum somnium est. Quidni autem ævo inclinante aliquis istius modi nominibus (vel etiam paullum injuria ævi mutatis), versificator hoc poema nobis dederit? Remus sane Romana est vox; alteri literam repetam, ut fiat Remus Favonius Priscianus; sive et primo vocabulo commode mutato, aut omisso.

XII. Idem, Adversar. lib. XLVI, cap. 16.

Longe elegantius id extulit, alioquin immane quantum hoc (Avieno) inferior, poeta et paraphrastes Priscianus, ut ego adpellandum puto, Fannius:

> Non tamen assiduo teres undique margine circum
> Clauditur hæc, etc.

Plane elegantissime hoc Priscianus, et in simplice illo poemate sunt alia talia minime spernenda; etsi aliud consilium ei poetæ fuit, stringere nimirum et paucis multa dicere, quam Avieno, qui luxuriari in alieno opere suo faciundo voluit.

XIII. Idem Comment. ad Claudian. de Cons. Manlii Theod. v. 58, pag. 87.

Sic Priscianus Favonius (ut eum auctorem adpellari debere suspicio est, quum in libro scripto sit: Priscianus Ennius aut Annius, alii Fannium repererint) Periegesi Dionysiana:

> .... tellus quo cingitur æquore tota, etc.

XIV. Ger. Jo. Vossius, de Poetis Latinis, cap. 5, p. 65.

Etiam tum Priscianus Grammaticus, Cassiodori æqualis, ac eidem memoratus, Constantinopoli claruit. Cui si quis hic locus, id fuerit, quia carmine latino Dionysii Afri περιήγησιν expressit. Aliqui tamen Rhemnii Fannii esse arbitrantur, et, ut censeo, verius. Etiam epitome φαινομένων, h. e. sexdecim versus hexametri de sideribus eidem tribuuntur in prætermissis epigrammatum et poematiorum, quæ ex collectione Pithœana prodierunt Parisiis an. 1590.

XV. Christoph. Cellarius, Dissert. de Poetis scholæ publicæ utilioribus, § XXVI.

Altera versio Dionysianæ Periegeseos, et hæc quoque epico carmine, Priscianum auctorem habet, ut libri præ se ferunt, satis feliciter ex græco expressa, ut grammaticum auctoris ingenium adpareat. Quidam tribuunt antiquiori Rhemnio Fannio, quod fortasse ex confusione est, quia alia Rhemnii, ut de Ponderibus et Mensuris, a quibusdam tribuuntur Prisciano: sed perperam, ut ait Vossius..... Sed hæc quoque Dionysii translatio renovatam faciem exigit, quæ optatur magis, quam exspectatur.

XVI. Henr. Dodwellus, in Dissert. de ætate et patria Dionysii Periegetæ, § XXV.

Non me fugit, magna usos licentia paraphrastas hosce (Dionysii) in sententia auctoris sui repræsentanda. Priscianus illum historiis e Solino petitis interpolavit: rebus nimirum ad historiam regionis cujusque naturalibus pertinentibus. Nec tamen sine poetæ ipsius exemplo..... Sed nonnulla ex industria scientem prudentemque mutavisse certissimum est. Itaque quæ poeta ethnicus de Musis aliquoties advocandis immiscet, ad verum Deum transtulit Priscia-

mus, Grammaticus Christianus..... Nec addunt tantummodo, textumque auctoris sui locupletiorem faciunt, propriis suis aliunde arcessitis appendicibus; sed mutilant etiam truncatumque repræsentant, prætermissis, quæ in græco auctoris sui textu hodieque reperiuntur..... Versus 197 de Byrsa Carthaginis, a corio bovis dimensa, deest apud Avienum integer. In Prisciano legitur auctior, quam in ipso auctoris textu hodierno:

> Qua regnans felix Dido per sæcula vixit,
> Atque pudicitiam non perdit carmine falso.

Perstringitur hic Virgilius de imminuta Didonis pudicitia..... De templo Serapidis quæ v. 255 observavit Dionysius, neglexit Priscianus, non tamen omisit Avienus. Contra v. 263, etc. Dionysii sententiam servavit Priscianus, non item Avienus..... Sane personam gentilem in Christianam mutavit, pro suo plane arbitratu, Priscianus. Eo spectat, quod, quæ ad Syro-Phœnices Arabia oriundos retulerat poeta, Priscianus ad Chaldæos retulerit, a quibus ortum duxerat Abrahamus. Sic enim ille, v. 846:

> Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem,
> Arcanisque Dei celebratam legibus unam.
> Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
> Disjunctas gentes docuerunt jungere mercem;
> Et primi stellis numeros nomenque dedere, etc.

Quod scilicet Astrologiæ nomine, etiam apud ethnicos, celebre fuerit nomen Patriarchæ. Quamquam utrumque poetæ nostro sua debuisse manifestum sit, neuter tamen illum auctorem agnoscit. Prisciani titulus sibi Periegesin ipsam vindicat. Avienus græcæ vocis δύναμιν per Descriptionem Orbis Terræ interpretatus, suo tamen nomine, non Dionysii, inscripsit..... Ita Dionysio fraudem nullam fieri existimare poterant, si congeriem, ex illo, maxima quidem ex parte, collectam, novis suis atque aliunde haustis observationibus locupletarent.

III.

ARGUMENTUM

VEL SUMMA CARMINIS PRISCIANI

DE SITU ORBIS.

Periegesis Prisciani Græcæ a Dionysio scriptæ non mera versio, sed liberior explanatio est, ita quidem, ut dispositio Græci poematis et ordo rerum servetur, sed omnia pro consilio et persona scribentis diverse, atque mox brevius et contractius, mox latius et copiosius, auctoritate magis novi scriptoris, quam fide interpretis enarrentur. Consilium autem auctoris, ut ipsius Dionysii, est, ut, quod ipsa operis inscriptio iudicat, terram habitabilem et maria, quæ tum navigari poterant, quasi circumeundo et lustrando describat. Hinc universum opus dividit in partes quinque; ac primo, a partitione orbis in Europam, Africam et Asiam orsus, Oceanum terras ambientem, diversaque ejus nomina secundum mundi cardines, tum quatuor ejus majores sinus, Mediterraneum, Arabicum, Persicum et Caspium, quem scilicet pro sinu septentrionalis Oceani cum aliis Veteribus habet, exponit. Persequitur deinde maris Mediterranei flexus, et a freto Herculeo incipiens, inde sinus, sive maria, quæ Europæ adjacent, Ibericum, Gallicum, Ligusticum, Tyrrhenum, Siculum, Creticum recenset; tum Asiæ proxima, Ægyptium, Sidonium, Pamphylium; et, quæ inter Asiam Europamque media sunt, Ægeum, Hellespontum, Propontidem, Pontum, Paludem Mæotidæ. Secundo transit ad Africæ descriptionem; tertio Europam aperit; quarto insulas Mediterranei maris pariter, ac Oceani commemorat. Quinto denique Asiam describit, quam extremo loco considerat, quia, quum ab occasu initium suæ descriptionis fecerit, recte in Asiam, quæ ultima in ortum extenditur, desinit.

Quæ autem terrarum quarumque peculiares partes et regiones sunt, eæ suis locis exponuntur. Antiquitus jam divisio totius poematis, sed alia, facta est in codice MS Societatis Jesu Lovaniensis, cujus varietates a Car. Langio excerptas habuit Papius, sed denuo pleniusque enotavit Nic. Heinsius. Hic codex totum poema in tres libros divisit, quorum primus ad versum usque 258 Oceanum ejusque sinus cum Africa, secundus ad vers. 613 Europam cum insulis, tertius Asiam ad finem usque explicat. Diversitas scriptionis Prisciani a primitivo poemate Dionysii hæc est, quod ubique vestigia scriptoris ethnici delet, ipse personam et sensum Christiani prodit, et nonnulla, quæ Græci scriptoris propria sunt, cum aliis Romani scriptoris et Grammatici sententiis permutat aut miscet, nonnumquam etiam ætatis et professionis suæ indicia spargit. Ubi igitur Dionysius Musas invocat, aut alios Deos laudat, Priscianus suppressis iis veri Dei religionem profitetur, et quæcumque ille subinde de singularibus Deorum cærimoniis, ritibus, orgiis, aut aliis rebus superstitiones gentilium redolentibus, immiscet, hæc Priscianus studiose præterit, vacuum autem locum plerumque aliis rebus locorum et regionum memorabilibus, præsertim fontium, lacuum, arborum, lapidum gemmarumque singularibus naturis et miraculis narrandis implet, quæ e Solini Grammatici libro solet petere. Quibus rebus omnino existimandum est, Prisciani in vertendo Dionysio hoc institutum fuisse, ut ex illo poemate singulare opus, suæ ætatis hominibus et moribus accommodatum, conderet.

(II. A.)

PRISCIANI PERIEGESIS

E DIONYSIO *.

NATURÆ genitor, quæ mundum continet omnem,
Adnue, rex cæli, positum telluris et undæ,

* *Ad Titulum.* Libellum hunc, sicut et de Ponderibus et Mensuris poema, Prisciano aliquando attributum, docti viri Rhemnio Fannio transcripserunt: qua auctoritate, non satis scio, de hoc præsertim opusculo. Nam et Caroli Langii manuscriptus codex Prisciano inscribebat, hoc titulo: *Periegesis Prisciani*; et reliqua omnia exemplaria C. V. A. consentiebant: quorum singulorum inscriptionibus referendis non est cur tempus teramus. De Buslidiano ideo nihil testari possum, quod in eo nec caput erat nec pedes. Ita igitur Aldinam inscriptionem sequor, ut integram per me suam sibi sententiam relinqui sciant, qui Fannii esse malunt; si modo id firmis rationibus constituere possunt. Me quidem, cui nulla illorum argumenta cognoscere licuit, quum omnium codicum, quos citavi, consensus, tum illud satis tuetur, quod non videam, cur Priscianum talis poematis pudere debeat. PAPIUS.— Prisciano, non Rhemnio Fannio adscribitur hæc Periegesis in omnibus codd. MSS, quibus Papius aut nos usi sumus. In MS ccc Prisciano Grammatico tribuitur. Verum Barthius (in Adversariis, l. XI, c. 25) non Cæsariensem auctorem facit, sed Remum Favonium Priscianum: ex Remo Favonio et Prisciano unam personam concinnandam esse existimans. HUDS.

1. Quatuor primos versus, qui invocationem continent, non ex Dionysio, sed ex suis addidit, qui convertit. CAMERS. — Hi quatuor versus non sunt Dionysii, sed Proœmium Prisciani. HUDS.—*Naturæ genitor,* hujus universi conditor. Sic ultimo versu hujus poematis *Omnipotens genitor. Natura,* quidquid natum ubique est, rerum creatarum omnium complexus, vel hujus universi machina. Seneca in epigr. ad Cordubam: «Et gratare tibi, quod te Natura supremo Adluit Oceano». Claudian. in Ruf. II, 156: «non orbita solis, Non illum natura capit». Rutil. Itin. I, 61: «Quantum vitalis natura tetendit in axes». W.—Cod. Estensis MS habet *mundum quæ continet.* W.

2. *Positum telluris et undæ.* Pro-

In quas imperium mortalibus ipse dedisti,
Materiæ tantæ me promere carmine digno.
Incipiens terræ tractus, pontique meatus,
Et fluvios canere, atque urbes, populosque per orbem

pertius *posituram* dixit lib. IV, 3, 35: « Cogor et e tabuls pictos ediscere mundos, Qualis et hæc docti sit positura Dei ».

3. *In quas imperium*. Quum Deus varia animalium genera procreasset, diversa eis secundum naturarum exigentiam tribuit elementa. Ovid. Met. I, 74, « Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ: Terra feras cepit, volucres agitabilis aer ». Homo autem, cui terræ tantummodo adsignata fuerat habitatio, non contentus ea. Claudian. in præf. ad libr. de Rapt. Pros. « Inventa secuit (mirum) jam nave profundum, Et rudibus remis sollicitavit aquas. Qui dubiis ausus committere flatibus alnum, Quas natura negat, præbuit arte vias ». Camers.—*In quas imperium mortalibus*. Christiano more loquitur, sententiamque videtur ex sacris literis Gen. I, 28 expressisse; quamquam imperare hominem terris et cæteris animalibus ipsi gentiles agnoscunt. Ovid. Met. I, 76: « Sanctius his animal mentisque capacius altæ Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset: Natus homo est ». Et Plin. Hist. Nat. præf. libri VII, hominem vocat « animal cæteris imperaturum ».—Addi meretur locus Senecæ de Beneficiis, lib. II, c. 29: « Quanto satius est, ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti et agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerint (sc. Dii) secundas sortiri, quod terrenis præfecerint. Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? » Ed.

4. *Materiæ tantæ*. Adserit hanc lectionem Drakenb. ad Sil. XII, 81.—*Materiæ tantæ*. Sic A. et V. sed L. *materiam tantam* rectius, nisi C. quod editum est juvare videretur. In eo sic scribitur, *materiæ tanta me promere carmina digna*: Papius. *Materiam tantam*, et *materie tanta*, et *materia tanta* habent codd. MSS. Hudsonus. *Materiæ tantæ* omnes, quæ mihi adsunt, edd. solus Pithœus dedit *Materia tantam me promere*, et cod. Est. *materiæ tanta*. Suspicor ab auctore scriptum esse *Materie tanta*, unde librarii cæteras lectiones effinxerunt. Vulgatam tamen *Materiæ tantæ* movere nolui; siquidem adjectivum *dignus* multi scriptores genitivo junxerunt, ut pluribus exemplis docuit Petr. Bondam, Var. lect. lib. I, cap. 5, p. 43. W.—Et vid. quæ Servius adnotavit ad Virg. Æn. XII, 649, ubi *dignus* et *indignus* cum genitivo efferri græcismum esse dicit. Vid. quoque Anth. Lat. Burm. t. I, p. 329. Ed.

5. *Incipiens*. Propositio scribendorum est. Cam.

6. *Populosque per orbem Discretos*. In græco est ἀνδρῶν ἄκριτα φῦλα, quod significat hominum gentes innumerabiles, quæ præ multitudine vix discerni queant. Priscianus autem sic vertit, quasi legerit εὔκριτα.—Et Prisciano auctore sic omnino apud Dionysium legendum esse, vix dubito, si quidem frater meus Gottl. Wernsdorfius ad Hi-

Discretos; late refluum memorare parabo
Oceanum: tellus quo cingitur æquore tota,
Insula ceu sese diffundens litore vasto.
Non tamen assiduo teres undique margine circum
Clauditur hæc, bifido sed brachia litore pandens

merii, qui nuper admodum evulgatus est, Eclog. V, cap. 18, p. 143, observavit, solere librarios initiales compositorum nominum syllabas ἀ et εὐ creberrime permutare, atqoe e. g. pro εὔδηλον scribere ἄδηλον, ἄπορος pro εὔπορος, idque pluribus ipsius Himerii et aliorum locis probavit. Wernsd. io Addendis. Ed.

7. *Late refluum Oceanum.* Glossator a Barthio, XI, 25, productus *refluum* exponit *in se recurrentem*, non male. Sed respicere illud verbum opinionem Veterum videtur, qua putabant Oceanum per zonam terræ calidam meantem ab oriente duos sinus refundere, unum ad extremitatem septemtrionis, ad australis alterum, rursusque ab occidente duos ad extremitates ambas: qui dum vi summa et impetu immaniore miscentur, ex aquarum collisione nasci illam famosam Oceaoi accessionem pariter ac recessionem. Lege Macrob. Somn. Scip. II, cap. 9. Et hanc opinionem attingit Rutilius, lib. I, 643.

9. *Insula ceu.* Idem primo de Somn. Scip. scribuot Cicero et Macrob. Id autem primum, teste Straboue in primo, a sensu atque experientia capiendum est, ut ibidem osteodit ipse. Cam.—*Insula ceu.* Ita jam Cicero, Somn. Sc. cap. 6: «Omnis terra, quæ colitur a nobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quædam insula est, circumfusa illo mari, quod, etc.» Mela, I, c. 1, 15, «Hæc (habitabilis) ab ortu porrecta ad occasum, et, quia sic jacet, aliquaoto quam ubi latissima est longior, ambitur omnis Oceaoo».

10. Post *assiduo* distinguit T. atque igitur hoc refert ad præcedens *litore*. Non solum hic, sed et sequente versu post *bifido* distinguuot Ve. et B. atque igitur hoc conjungunt cum præcedente *margine*, sensu incommodo. W.—*Assiduo teres margine*, i. e. margine, qui assidue et continuo, *nec interrupto tenore* procurrit in orbem. Elegantiam hujos loci laudat Barth. Adv. XLVI, 16.—*Teres undique* Rufus versu 13: «Nec tamen extremo teres est situs undique iu orbe». Sic enim est legendum, non autem *in orbem*. Commoois sapientum opinio est, rotuodam esse terram. Aristoteles commento 104, et circa 2 cæli; Plio. II, cap. 66; Seneca, Natur. Quæst. II, 3 et 4; Martianus, VI, in principio. Thales et Stoici globosam terram; Anaximander columnarem, Aoaximenes mensæ similem, Leucippus tympani. Democritus latitudine disco assimilem, in medio autem cavam. Plutarch. III, de placitis philos. Sed hic poeta de terra habitabili, non tota, loquitur. Adnotaudum autem Anaximandrum Milesium primum terræ marisque circuitus descripsisse Diogeo. in II est auctor. Cam.

11. *Bifido sed brachia:* sic *bifidum meatum* ad latera insulæ dicebat Rutilius, I, 241.

Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque,
Assimilis fundæ; sed quamvis corpore toto
Una sit hæc, homines tres dicunt esse diremptas :
Et primam Libyen; post, Europen Asiamque.
Sed Libyam Europæ discernit finibus amplis
Linea, quam obliquant Gades atque ostia Nili :
Qua Boreæ excurrit Memphitis terra sub axes,
Atque locum vovit Spartano fama Canopo.

12. *Arctatur.* Significat auctor in Dionysio se legisse ὀξυτέρη, ubi alii codices babent εὐρυτέρη, quod Avienus expressit. Quæ super dubia lectione et interpretatione loci Salmasius et Vossins disputarunt, indicavi olim, meamque ipse sententiam dixi in Antiqq. Balear. cap. 6, § 2. Papius in notis ad Dionys. recipit εὐρὺ, quod Vossius fecit, et latum non de latitudine ad longitudinem relata, sed de spatioso, amplo et vasto, quod Græci dicunt πρόμηκες, idque ad ortum et occasum, explicat.

13. *Assimilis fundæ.* Glossa antiqua a Barthio, Adv. XLVI, 16, prolata *fundam* de reticulo exponit, et margo antiquæ edit. Colon. de retis piscatorii vel pallii figura. Et *fundam* quidem subindé adpellari retis genus, quod et *jaculum* dicunt, è Virg. Georg. I, 141, et Ovid. Art. Am. I, 763, intelligitur; sed Priscianum, qui σφενδόνην Dionysii eo vocabulo reddere voluit, credibile est non de alia, quam funda Baleari cogitasse. Quod autem nonnulli chlamydem vel pallium substituerunt, id a Strabone, lib. II, p. 118, et Macrobio, Somn. Scip. II, 9, habent, qui *habitabilem nostram extentæ chlamydi similem esse* dixerunt.

16. *Discernit finibus.* Conjungendum est *finibus amplis Europæ*, secus ac glossator Barthii vult Adv. XI, 25. Tribuuntur autem Europæ fines ampli præ Africa, quia hæc multo minor habebatur, et ultra zonam torridam Veteribus erat incognita. Hine Veteres subinde duas tantum orbis partes agnoverunt, dubiusque de Lybia Sallustius fuit, utrum vocaret tertiam mundi partem, an accessionem Europæ. Conf. Varro, de Re Rust. I, cap. 2; Plin. lib. III, c. 1; Lucan. IX, 411.

17. *Quam obliquant Gades:* quæ oblique ducenda a Gadibus usque ad Nili ostia. Sic Rutilius, II, 27 : « Diversas medius mons obliquatur in undas ».

18. *Axe* in MS Huds.

19. *Novit* habet Ve. C. Vi. B. *vovit* T. et reliquæ melius. W. — Nil mirum. Sæpissime enim *vota*, *nota*, *vovit*, *novit*, confundi videbis ex notis Heinsii ad Ovid. Met. VIII, 152, et X, 693. Ed. — *Spartano Canopo.* Id dicit propter Serapidis templum, et cultu et religione excellens. Lege Strabonem lib. ult. et Ruffinum II Ecclesiast. Histor. Facit quod scribit Solinus, c. 44. Nomen autem sumpsit a Canopo Spartano, Menelai classis gubernatore. Lege Plinium, V, cap. 31, et Strab. lib. XVI. Item cæteros. In Avieno, v. 36, lego, « modus est mare donec in alti, etc. » Cam.

Sed terras aquilo qua frigore damnat iniquo,
Europen Asiæ Tanais disjungit ab oris;
Sauromatas linquens Scythiam qui gurgite vasto
Perstringit; præcepsque ruit Mæotida poscens.
At medius finis jamjam declinis in austrum est,
Quas Hellesponti fauces dixere priores:
Sed magis australis sunt terminus ostia Nili.
Per mare sic fluviosque duos discernitur orbis.
Ast alii terris malunt discernere terras.

20. *Frigore damnat*, miseras et infelices reddit. Infra v. 658: « Acre damnati tristi, nimioque rigore ». Propert. IV, 11, 15: « Damnatæ noctes ». Lucan. VII, 452: « astra Thyestæ Abstulit, et subitis damnavit noctibus Argos ». Claud. Idyll. de Nilo, 17: « loca solis damnata vapore ».

23. *Perstringit* L. Vide notas. Pap. *Præstringis* in MSS aliis. Huds. Et sic meæ Ve. C. Vi. B. T. sed *Perstringit* A. R. et P. — *Perstringit* edidi ex L. quamvis C. A. V. habeant *præstringit*, quia Tanain per Scythas fluere, et verum est, et ipse Dionysius indicat, dum ait ἐς Σκυθίην τε. Papius. — *Mæotida poscens*, id est, petens vel contendens ad Mæot. *poscere* sæpius hoc in carmine Priscianus usurpat pro spectare, pergere vel extendi, ad aliquam regionem. Vid. vers. 113, 123.

24. *Declinis* recte L. C. In A. et V. *declivis*. Pap. quomodo et meæ Ve. C. Vi. B. T. P. *declinis* dedit A. R. et Huds. W.

27. *Fluviosque duos*, sic L. C. Tanain nimirum et Nilum. A. et V. *patens* etiam non male. Papius. *Patens* habent Ve. C. Vi. I. B. T. *duos* A. R. P. — *Fluviosque duos discernitur*. Glossa vetus: *patens*, *amplus*. Nec video, cur ediderit *duos* Andreas Papius. Etsi enim Nilum Tanaimque tantum nominaverit, plures tamen fluvios intelligit; quum generatim hic loquatur. Barth. Advers. Ego vero præfero lectionem, quam Papius constituit, *fluviosque duos*, quia Mela plane ita loquitur, et Priscianus ejus verba sequutus videtur, lib. I, cap. 1, 40: « Hoc inquit, mari et duobus inclytis amnibus, Tanai atque Nilo, in tres partes universa dividitur ».

28. *Ast alii terris*. Græcus codex ferme sic habet: Alii terram sic terris proximis diviserunt. Quidam: Isthmus, inquiunt, Asiæ super extenditur. Medius is inter Caspium et Euxinum mare. Hunc, inquam, Isthmum terminum Europæ et Asiæ esse dixerunt. Alius autem finis ingens in Notum serpit, qui Arabici et Ægypti medius exsistens sinus Libycam ab Asiaca tellure dirimit. Est autem ordo: Ast alii malunt sic discernere terras terris. In supernis finibus Asiæ est lingua et arctum latus, quam linguam mediam æquora Caspia atque æquora Ponti Euxini faciunt, etc. Hunc locum subobscure tam Avienus, quam Antonius (Antonium Becchariam intelligit) transtulerunt. Cam.

Finibus est Asiæ, latus arctum, lingua supernis,
Caspia, quam mediam faciunt, atque æquora ponti
Euxini : locus hic discrimen dicitur esse
Europes Asiæ disjungens ruribus arva.
Ast alius finis longissimus exit in Austros,
Qui secat Ægypti terras æquorque Sabæum :
Separat hic Libyen, Asiæ confinia rumpens.
Talia mortales perhibent discrimina terræ.

— *Terris malunt discernere.* Glossator : Alii Cosmographi isthmis, non fluviis, aut æquoribus. Sunt autem isthmi breves angustiæ, quibus peninsulæ continentur, et terris adhærent, quia insulæ non sunt. Barth. Advers. Etiam Hudsonus *terris* exponit *Isthmis.* Sed Dionysius, v. 19, ἠπείροισι διὰ χθόνα νοσφίζουσιν, i. e. continentibus aliis distinguunt, finibus per terram ductis. Accuratius igitur *terris*, vertit Priscianus.

29. *Lingua supernis.* Linguæ dici solent promontoria, vel angustiæ terræ altius excurrentes. Ovid. Met. XIII, 724, de Sicilia : « tribus hæc procurrit in æquora linguis ». Solinus, cap. 8, de Italiæ situ : « non uno margine accessum insinuati freti recipit, sed linguis projectis sæpius ac procurrentibus distinctum promontoriis pelagus admittit ». Vid. Schottus, Observ. hum. III, 28.

30. *Æquora :* sic L. C. Male A. et V. *æquore.* Papius. Et *æquore* Ve. B. *æquora* C. Vi. T. rel.

32. *Europes Asiæ* L. C. sed A. et V. *Europæ atque Asiæ* falso. Pap. *Europæ atque Asiæ* cum editt. vett. malit Barthius, non adeo recte, ut censet Papius. Huds. Quinque meæ vetustiores habent *Europæ atque Asiæ.* Papium, qui correxit, sequuntur R. et P. — *Europæ atque Asiæ.* Hæc scriptura in nostro etiam veteri libro est. At melior utique, quam ex suis MSS edidit Papius, *Europes Asiæ.* Barth. Adv. XI, 25. Contrariam plane sententiam Barthio adfingit Hudsonus, quod nescio unde traxerit.

34. Per isthmum, sive *finem longissimum*, quem Priscianus e Dionysio dicit inter Ægyptum et sinum Arabicum esse, et in Austrum exire, non alius potest intelligi, quam tractus ille litoralis, qui ripis Nili et mari Arabico includitur : et isthmi vocabulum a Dionysio inusitato significatu hoc loco accipi observat Eustathius. Hunc limitem esse Asiæ et Africæ putabant Veteres, si quidem Asiam Nili ostiis terminari ipse Dionysius innuit, v. 17, et Mela idem statuit, lib. I, c. 4, 1. Proinde Veteres eam partem Ægypti, quæ est inter Nilum et sinum Arabicum, non Africæ, sed Asiæ accensuisse videntur.

36. *Discrimina terræ.* Terræ divisiones in partes tres scribunt Plinius, III, in princ. Strabo, Mela, Solinus, Capella, cæteri. Sallustius autem in Jugurth. adserit, quorumdam opinionem fuisse, terram in duas partes divisam, Asiam et Europam; Africam autem in Europa esse. Cam. — Scilic. partes Africæ interiores et remotiores diu Vete-

Circuit Oceani gurges tamen undique vastus;
Qui, quamvis unus sit, plurima nomina sumit.
Finibus Hesperiis Atlanticus ille vocatur;
At Boreæ qua gens fervens Arimaspa sub armis,
Dicitur ille Piger, necnon Saturnius: idem
Mortuus est aliis, minimo quod lumine solis
Perfruitur; tarde radios nam suscipit ortus,
Nubibus et crassis premitur, nimbisque gravatur.
Unde tamen primo conscendit lumine Titan,

res latuerunt, qui nec eam habitabilem ubique putabant. Ed.

37. *Circuit Oceani gurges*. Promiserat ab initio se dicturum positum telluris et undæ. Divisa igitur in suas partes tellure, ac ejus adsignatis finibus, nunc de mari agere incipit: et primo de Oceano, quo cingitur æquore tellus. Parum autem infra de mari, quod terra continetur, i. e. mediterraneo, tractaturus est: *Nunc maris Hesperii*, etc. Pouit autem juxta quatuor orbis partes, quatuor et Oceani differentias, sive dominationes: Hesperium videlicet, Arcticum, etc. Cam.

38. *Plurima nomina sumit*. Pro his, quæ dicuntur lege Ambros. Hexam. III, cap. 3. Solinus, c. 36, docet, unde varia maris nomina sumpta sint. Item Plin. III, cap. 5, et Lactant. I, cap. 11. Cam.

40. *Fervens:* sic L. C. In A. et V. apertum vitium *ferens*, Pap. Hoc etiam est in mea Ve. reliquæ omnes *fervens*.—*Fervens sub armis:* fervere dicuntur, qui inquieti sunt, multum exercentur et agitantur, ut observavimus ad Carm. XII, t. III, v. 22. Sic Petronius, Bell. Civ. 214 « fervere turmas » dicit; Calpurnius, I, 66, « ardentia agmina », hoc est, bellicosa, vel bellandi ardore flagrantia. Dionysii verbum ἀρειμανέων vult Arimaspas furore quodam agi in bella.

41. *Piger*. Hæc omnia docent Plinius, IV, cap. 13; Solinus, cap. 30. Saturnius autem dicitur a Saturni sidere, quod in his locis præcipue dominatur. Natura namque frigidum est, ut docet Plinius, lib. II, c. 8. Virgil. Georg. lib. I, *Frigida Saturni*, etc. De Oceani circuitu lege Plinium, II, cap. 6, et Martianum, VI, cap. 9. Cam.—*Dicitur ille piger*. Glossator: Idcirco Amalchius est dictus ab Hecatæo, quæ vox lingua incolarum sonat congelatum. Philemon vero *morimarusam* Cimmerica lingua mare Mortuum adpellat, ultra deinde *Chronium*. Vere Cimmeriæ hæ appellationes; a nemine enim intelligi existimo. Barth. Sed glossator hæc verba e Plinio, IV, 13, produxit, et pro *Cimmerica* legendum *Cimbrica*.

42. *Mortuus est:* sic C. V. et L. etsi quædam in eodem male. Sic enim totus versus est in L. *mortuus est alius minimo quos*, etc. in A. *mortuus ast* corrupte. Pap. Hoc etiam est in mea Ve. et B.

43. *Suscipit orbis* C. Pap. *ortos* habet Vi. et *suspicit*, fortasse ex errore, edidit Hudsonus. W.

45. *Unde tamen* C. et V. ad quem

Euumque vocant atque Indum nomine pontum.
Sed qua devexus calidum polus excipit Austrum,
Æthiopumque simul pelagus Rubrumque vocatur,
Qua deserta patet tellus ardore perusta:
Circuit Oceanus sic totum maximus orbem,
Nominibus variis celebratus et æquore tanto.
Hinc atque inde sinus penetrabilis efficit ille
Exiguos multos, dirimens mare, quatuor amplos.
Persecat Hesperiam primus, qui porgitur undis,

modum eadem particula versu 37 paullo ante est usus. A. *autem*: nec dissentiebat L. nisi quid Langii diligentiam fugit. Nam *autem* falsum esse puto. Pap. Ex meis *autem* habent B. et T.—*Conscendit lumine.* Nescio quomodo manca et egena videtur dictio *sol conscendit*, unde mallem equidem scribere *consurgit*, ut Avienus, v. 1059: «axe diei Consurgentis item Libanus premit arduus arva».

47. *Devexum polum* vocat, qui est ad Austrum, quia Veteres partem terræ australem depressam, borealem altiorem existimabant, ut olim notavimus ad Calp. t. I, p. 403. Hinc Gellius, II, 30, Septemtriones *altiorem cœli partem* nominat, Austros vero «ad meridianum orbis circulum atque ad partem axis infimam depressos».

50. *Circuit.* Ab hoc versu incipiunt chartæ exemplaris Buslidiani. Papius.

52. *Penetrabilis efficit ille.* Glossator: Penetrabilis est insinuans sese; ut in fine: «Oceanusque simul, necnon penetrabilis unda». Bar.

53. *Quatuor amplos.* Ptolom. Geograph. VII, c. 5, ponit decem insigniores sinus, inter quos nec nostrum mare, nec Caspium, sive Hircanum, enumerat. Sunt autem eorum nomina, primus et similiter major Gangeticus sinus; secundus Persicus; tertius is, qui magis dicitur; quartus Arabicus; quintus Æthiopicus; sextus Ponticus; sept. Ægei pelagi; oct. Paludis Mæotidis; nonus Hadriaticus; decimus sinus Propontidis. Cam.

54. *Hesperiam* C. B. V. A. et nihil differebat L. optime. Vide notas. Pap. Ex meis *Hesperium* habent B. et T.—*Persecat Hesperiam.* Sic omnes libri. Miror itaque, unde Morelius, qui interpretationem hanc Rhemnio tribuit, edat *Hesperium*, et in Variis lectionibus Dionysii, quod ibi codices nonnulli habent, ἄλα τέμνει, hinc probet. Errat sane: nam Priscianum, si quid omnino hinc peti posset, ἀλὶ τέμνει legisse rectius judices. Pap.—*Persecat Hesperiam*, i. e. stringit, adluit, præfluit, quemadmodum v. 316, et *secat* supra v. 34. Legendum autem *Hesperiam*, non *Hesperium*. Nam vult mare vel sinum Occiduum, oram maritimam, eam quæ a sinistra parte est, totam adluere et permeare, quam Hesperiam vocat, quaque omne latus maris mediterranei ab Hispania ad Italiam usque intelligit, siquidem utraque hæc Veteribus Hesperia dicta est. Ex altero latere dicit mare

Pamphylumque latus Libyæ pertendit ab oris.
Hoc minor est, reliquis major, quem Caspia tellus
Suscipit intrantem vastis Aquilonis ab undis,
Nomine Saturni quod Tethys possidet æquor:
Caspius iste sinus simul Hyrcanusque vocatur.

illud a Libyæ oris ad Pamphyliam usque protendi. Cæterum non erraverit, qui ex his verbis Priscianum in græco ἅλα τέμνει legisse colligat. Avienum contra legisse arbitror, quod hodie in exemplaribus Dionysii est, et ab Eustathio lectum, ἑσπερίων ἅλα τίκτει· cujus interpretationem suo loco et tempore considerabimus.

55. In MSS nostris *pertendit*. Huds. Idem habet mea Ve. et C.: *prætendit* Vi. T. *portendit* A. P. H. *protendit* una R.

56. *Hoc minor est, reliquis major*: sic C. B. adprobantes meam conjecturam. Vide notas. Pap. In MSS nostris *Hic minor*. Huds. *Hic minor est reliquis, major quem* Ve. C. I. B. *Hic major reliquis, post hunc* emendavit Cam. in Vi. cujus alteram conjecturam *reliquis, minor est, quem*, recepit T. Papii emendationem firmat cod. Est. et sequuntur R. P. H. — *Hic minor reliquis*. Hunc locum sic emaculavimus: *Hic major reliquis: post hunc quem Caspia tellus*. Vel sic: *Hic major reliquis: minor est, quem Caspia tellus*; quum antea passim legeretur: *Hic minor est reliquis major quem Caspia tellus*. Græcus codex fere in hunc modum habet: Sinus secundus, i. e. Caspius, parvus quidem est, sed omnium præstantissimus. Avienus de hoc sinu sic inquit: « Alter item est primo brevior majorque duobus ». Similiter et Antonius transtulit. Mensuram tam nostri, quam Caspii maris, lege apud Plinium, lib. VI, cap. 13 et 33. Cam. — *Hoc minor*. Edere cogitabam hunc locum antea, ut in A. et V. exstabat, mutata tantum dispunctione, hoc modo, *Hic minor est, reliquis major*, etc. quod ita requireret loci sententia: addita emendatione, *Hoc minor est*: sic enim clariora et concinniora omnia fore videbam: nam Caspius sinus est, ut ait Dionysius, « haud par Hesperio: reliquis tamen amplior idem ». Eam conjecturam postea confirmarunt C. et B. hic quidem sine ullo alterius scripturæ vestigio: ille autem *hic* in ordine verborum habebat, et eadem manu supra adscriptum *vel hoc*, sicut et alias aliquando. Pap. — *Hoc minor est*. Sic edidit ex sua conjectura et libris eam probantibus Papius. At in nostro codice reperimus *Hic major reliquis*... Quam scripturam veterem esse, nec satis Dionysium ab interprete intellectum, docet glossa manu exarata, etc. Barth.

57. *Suscipit intrantem*. Significat id, quod Veterum opinio ferebat, mare Caspium non esse inclusum terris, sed esse sinum ab Oceano Scythico vel Saturnio immissum. Sic Mela, I, 2, 10, de Asia: « Ex illo Oceano, quem Indicum diximus, Arabicum mare et Persicum, ex Scythico Caspium recipit ». Scilicet ignorabat antiquitas latum istud terræ spatium, quod a Caspio mari ad Oceanum Septemtrionalem extenditur.

At duo, qui veniunt australis ab æquore ponti,
Hic supra currens mare Persidis efficit altum,
E regione situs, qua Caspia volvitur unda;
Fluctuat ast alter Panchææque litora pulsat,
Euxini contra pelagus protentus in Austros.
Hosce sinus perhibent, quos Tethyos efficit unda,
Majores : nam sunt alii multique minores.
Nunc maris Hesperii lustrabo carmine tractus,
Flexibus in variis qui frangitur æquore pontus,
Has stringens pelago terras, circumfluus illis,
Montibus et radens suppostasque urbibus oras.

60. *At duo qui*. De sinu Persico et Arabico Plinius, VI, cap. 24, et Solinus, cap. 68, ubi multa adnotavimus. Cam.

61. *Persicus efficit* Ve. C. Vi. I. *Persidis* B. T. A. et rel. Wd.

63. *Paachea quia* Ve. vitiose. Wd. — *Panchææque litora*. De Panchaia præter alios plura scribit Diodorus Sicul. VI, circa med. Dicta autem est a rege Panchæo, ut secundo Georgicon scribit Probus super illud, « Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis ». In Avieno, v. 76, legendum « Desuper e multis, etc. » Cam.

64. *Pertentus* in uno MS. Huds.

67. *Nunc maris Hesperii*. Unde mediterranea caput tollant, non omnes consentiunt. Quidam enim existimant a Gaditano freto nasci. Alii a Ponticis faucibus fluorem omnem illum inundare. Vid. Plin. IV, cap. 13, et Solin. cap. 28. Cam. — *Carmine rectus* Ve. vitiose. Wd.

68. *Qui frangitur* L. C. B. *quo* A. V. non recte. Pap. Et *quo* omnes meæ vetustæ : *qui* post Papium dederunt R. P. H.

69. *Has stringens :* sic C. optime. Reliqui libri omnes *astringens* male Pap. Et *astringens* in omnibus meis ante Papium est, qui bene correxit. *Circumfluus altis* una T. τὸ *illis* cum sequente *Montibus* conjungunt Ve. Vi. B. T. sed hoc minus congruum texto Dionysii est. — *Circumfluus illis*, scil. terris, h. e. insulis, quas efficit æquor circumfluum. Sic Plin. II, 66 : « tellus præcincta circumfluo mari ». Passivo sensu infra vs. 466, « pelago circumflua tellus », et apud Rutilium, v. 515, erat « ponti medio circumflua Gorgon ».

70. *Suppostasque* C. B. vide notas. Pap. Ita in MSS nostris. Huds. *suppostas* omissa copula omnes meæ vetustæ habent; sed *suppostasque* poscere videtur textum Dionysii, qui *suppostas oras* montibus æque ac urbibus dicit. — *Suppostasque*. Et hunc locum ita restitueram ex conjectura : quam communiter C. et B. comprobarunt. A. et V. habebant *suppostus :* L. *appostasque :* particulam *que* ex L. petieram : *suppostas* autem ex A. V. retinueram, quod mallem oras montibus urbibusque suppostas, quam adpostas dici, etsi *appostasque* editurus eram. Nusquam enim conjecturis tantum tribuo, ut eas recipere in

Adsis, o numen, studiorum præsul et artis,
Ordine principium capiens Atlantis ab unda;
Herculeo celebrant qua metæ munere Gades,
Cæliferasque tenet stans Atlas monte columnas.
Est primus, vastis qui pontus Ibericus undis
Dividit Europen Libya; communis utrique.

textum audeam, nisi ab exemplaribus adjuventur. Pap.

71. *Adsis, o numen.* Phœbum, vel Calliopen intelligit. Fuit enim Phœbus carminis inventor. Est enim sol, qui scribentium mentem illuminat. Codex Græcus sic habet : « Obliquasque vias vos nunc mihi dicite Musæ ». Cam. — *Adsis, o numen.* Errat Camers, qui Phœbum vel Calliopen hic invocari ab auctore putat. Dionysius quidem Musas adloquitur, sed quocumque loco idem facit, Priscianus solet, ethnicum aversatus morem, pro Musis et Apolline verum numen adpellare, quod hoc loco apte et proposito accommodate *præsidem studiorum et artis* vocat.

73. *Qua metæ :* sic C. B. *quam* A. V. Pap. et *quam* omnes meæ veteres. — *Herculeo.* Qui creditus est olim mediterraneum mare perfractis montibus terris immisisse. Fretum autem hoc Herculeum Gaditanumque, fauces Oceani, limes interni maris, varie dicitur. Græci porthmon vocant. Barth. Dicit Gades celebres esse factas Herculeo munere, quod Hercules ibi metas laborum suorum posuisse creditur. *Herculeas metas* aliquoties vocat Silius, ut lib. IX, 185, vel *columnas Herculeas,* ut lib. I, 142, XIV, 148. Describit eas Mela, I, 5, 18, et Plinius initio libri III : « Proxima, inquit, faucibus utrimque impositi montes coercent claustra, Abyla Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ : quam ob caussam indigenæ columnas ejus Dei vocant, creduntque perfossas exclusa antea admisisse maria, et rerum naturæ mutasse faciem. » Abyla hodie *Ceuta* vocatur, Calpe *Gibraltar.*

74. *Cæliferas.* Cælum ferre Atlanta, vulgatum poetis. Sed hi ita describere solent, ut ipse mons instar columnæ sit cælum fulcientis : Priscianus hoc loco videtur montem a columnis cæliferis distinguere, et Atlantem proponere quasi stantem in monte, et columnas tenentem ; quod videtur abhorrere ab usu poetarum. Dionysius ipse dicit æneam in cælum columnam extolli, et Eustathius censet, sic fabulam poeticam historica aliqua ratione emolliri. Sed mihi Dionysius æneam vocare videtur poetica audacia, et ineptit haud dubie Becharia, qui proprie accepit, et sic vertit : « inter quas columnas una adhuc conspicitur, quæ tota ænea est, ad tantamque porrecta altitudinem, ut transcendere nubes videatur ». — *Tenens Atlas stat monte* A. R. P. sed *tenet stans Atlas* omnes vetustæ : idem in MSS suis esse testatur Huds. — De monte Atlante Plin. V, cap. 1 ; Solin. cap. 37 ; Virg. Æneid. IV, 245 : « Nubila, etc. » Avienus, « Hic circumfusis vestitur nubibus axis ». Sic enim le-

Hinc atque hinc statuæ sunt : ambæ litora cernunt,
Hæc Libyes, hæc Europes, adversa tuendo.
Gallicus hinc gurges, qui Celtica litora pulsat,
Excipit : hinc sequitur Ligurum cognomine dictus ;
Qua domini rerum terris crevere Latinis,
Ad Petram Leucen Aquilonis ab axe reductis,
Quæ freta Sicaniæ concludit litore curvo.

gendum est. Cur autem Atlas cælum sustinere fingitur, alibi exposuimus, ex Serv. Dio. Diog. Cam.

77. *Statuæ : hic Stelæ* habent ex meis B. et T. Atque hoc retinerem, si libri vetusti addicerent. Nam *statuæ* vix satis dignum columnis Herc. vocabulum, nec ab aliis scriptoribus sic usurpatum memini. — Et hoc confirmat vera vocis στήλη significatio, quæ nunquam statuam, sed aggerem columnamve designat. Ed. — *Statuæ :* sic omnes codices, præter A. in quo est *stelæ*, ut plurimis postea sequentibus locis : quibus omnibus Aldinorum temeritas pro *statuis* stelas supponit : ea fortasse caussa, quod στήλας male statuas reddi sibi persuaserant. Pap. — *Ambæ litora cernunt.* Avienus, « Unus enim Europam, etc. » Sic enim legendum videtur. Et parum infra, « Hic super urbem ». Et versu 119, « Trinacriæ summi ». Cam.

79. *Hinc gurges :* sic L. B. C. *hunc* A. V. Pap. *hunc* et meæ edd.

80. *Hinc sequitur* L. B. cæteri *hunc*. Pap. et *hunc* in uno MS esse ait Huds.

81. *Qua domini rerum.* Hunc locum copiosius transtulit Avienus : « Æquor, et indomito tellus, etc. » Intelligit autem « Romanos rerum dominos, gentemque togatam ». Qui qua ratione creverint, compendio scribunt Appianus in prologo, et Sex. Rufus. Cam. — *Domini rerum*, Romani, secundum notissimum hunc versum Virgilii in Æneidos libro I, vs. 282, modo supra citatum. — *Crevere*, est opibus et potentia aucti sunt, ut in hoc Virgilii Georg. lib. II, vs. 533 : « sic fortis Etruria crevit ». Barthius quidem, Adv. p. 701, existimat *crevere* esse a *cernere*, idque positum pro discernere, versumque Prisciani mutat *terras crevere Latini*, atque sic capiendum versum Dionysii versus docere putat. Ego vero hujus rei nihil ex Dionysio intelligo, et Barthius ipse sententiam suam mutavit, et Adv. p. 1996 versum, uti nos, interpretatus est.

82. *Ad Petram Leucen*, i. e. album saxum, ut Strabo exponit in VI. Est enim promontorium, ubi Apenninus terminatur. Plin. III, cap. 5. Item cæteri. Cam. — *Ad Petram Leucen.* Intelligit Leucopetram, promontorium Bruttiorum, ultra Rhegium, in quod desinunt montes Apennini. Dionysius divulso nomine extulit λευκὴν ἐπὶ πέτρην, quem secutus est Priscianus : Avienus autem v. 118 latinis vocabulis, « Alba dehinc cautes est terminus ». Sic enim legendum suo loco demonstrabimus. — Hodie dicitur *Capo dell' Armi*, vel *Capo di Lerne*, ut habet Niger. Cicero, Orat. Philip. I, c. 3, *Leucopetram* vocat promontorium

Insula sed Cyrnos propriis pulsatur ab undis,
Inter Sardonium pelagus Celtumque refusis.
Inde salis tumidus Tyrrheni volvitur æstus,
Ad partes vergens australes: excipit istum
Sicaniæ gurges, solis deflexus ad ortus;
Qui procul effusus Pachyni distenditur oris,

agri Rhegini. Ed. — *Reductis* L. C. Male A. V. *reductus*: ad Ligusticum enim gurgitem, non terras Latinas refertur. Pap. Sed *reductus* est in omnibus meis. *Reductis* habent, qui Papium sequuntur R. P. H.

84. *Cyrnos.* De hac insula, quæ et Corsica dicitur, scribunt Plinius, III, cap. 6; Solinus, cap. 9; Dio, VI, tit. 5. Avienus, « Insula qua Cyrnus fluctu madet illidente. Litoris Austriferi, etc. » Sic enim hæc duo loca legenda putamus, ut de *Austriferi* alibi evidenter ostendimus. De Cyrno versu 470. De Sardinia versu 466 infra habetur. Cam. — *Cyrnos* a Cyrno, Herculis filio, dicta monente Servio. *Cyrnææ taxi* Virgilio memorantur, Ecl. IX, 30, in Mœri, quam lectionem sic agnoscit Junian. Majus, de Propriet. priscorum verb. « Cyrnus rex Theramnes, id est, Corsicæ, ... et est insula in mari Ligustico dicta primum Theramne, inde Cyrne, inde Corsica ». Ed. — *Propriis pulsatur ab undis*, intelligo iisdem maris Ligustici, quod proxime nominavit. Nam has undas deinceps esse dicit inter Sardonium pelagus et Celticum, quo situ est mare Ligusticum. Et Plinius, III, 6, Corsicam esse in Ligustico mari pronuntiat, necdum inveni singulare nomen olim maris Corsici fuisse, quod fortasse hoc loco Priscianus significet.

85. *Intra Sardonium* Ve. C. Vi. *Intra Sardoum* B. T. *Inter Sardinium* L. R. P. Ego *Sardonium* leg. puto: *Sardinium* apud nullum scriptorem legi. — In A. erat *intra Sardoum*. In V. *Intra Sardinium*. In B. *Inter Sardonum*. In C. *Inter Sardinium*, et eadem manu supra *di* adscriptum vel *do*. Igitur *Sardoum* ab iis, quibus id solum latine dici posse videbatur, e *Sardonium* esse corruptum putarim. Sed *Sardinium* an *Sardonium* scribendum sit, haud queam statuere. *Sardinium* quidem plures codices habent, *Sardonum* autem, quod in B. est, vitium est pro *Sardonium*. *Inter* vero sine dubio scribendum est. Cam.

87. *Istum* V. B. *ipsum* C. *illum* A Pap. *istum* Ve. C. Vi. A. R. *illum* B. T.

89. *Pachyni distenditur* L. C. et B. nisi quod B. habet *effusis*. Vide notas. Pap. *effusus Pachynis tenditur* Ve. C. Vi. *Pachyni tenditur* B. T. *Pachyni distenditur* cum A. legunt R. P. H. quod rectum videtur, quia duæ syllabæ in *Pachyni* corripiendæ, ut fecit Avienus v. 129, quamquam antiquiores poetæ mediam longam facere solent. — Secundam syllabam *Pachynus* fere breviat interpres, imitatione græca. Aldini enim libri scripturam *Pachyni tenditur oris*, et Veneti cum ea plane congruentem *Pachynis tenditur oris*, pro adulterinis habeo. Cam.

Ad Cretæ summam, quæ prominet æquore, rupem;
Qua Gortyna potens, mediis qua Phæstus in arvis.
Arietis hanc rupem simulantem vertice frontem,
Pro merito Graii Criû dixere metopon.
Hoc mare Gargani concludit Iapygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vastus,

90. *Cretæ summam* L. C. B. Malc A. *Creten summam qua*, et V. *ad Creten summam, quæ*. Summam rupem ἄκρην intelligendum; frequenter etiam summam duntaxat vocat. Pap. *Ad Creten summam, quæ* Ve. C. I. distinguit post *Creten*, sicut et B. et T. quæ scribunt *qua prominet*. Sed Vi. habet *Ad Cretes summam, quæ*. — *Ad Creten*. Lego *Cretes* patriendi casu. De Creta, et his quæ de ea dicuntur Plin. IV, cap. 14; Solin. cap. 16; Strabo, X; Ptolem. III, c. 17. *Prominet* autem dicitur, quoniam Creta ea parte, qua orientem spectat, altior est. Sallustius et Servius sunt auctores, Æneid. VI. Mare autem a Sicilia usque Cretam Siculum dicitur, Plin. III, cap. 5; Solin. cap. 36. Dicitur quoque Ionium et Hadriaticum auctore Servio, Æn. III, 211: «Insulæ Ionio in magno». Cam. — *Ad Cretæ summam*, Cretæum promontorium, in ora australi ad occidentem, Κριοῦ μέτωπον, i. e. *Frons arietis* dictum: vid. mox vs. 93. *Summas* Priscianus vocare solet promontoria, ἄκρα Græcorum exprimens.

91. *Gortyna* vel *Gortyn* et *Phæstus* Cretæ urbes mediterraneæ et inprimis celebres.

93. *Criû dixere metopon*. Græcis literis hoc nomen recte exprimunt B. et T. Wd. — *Criû Metopon*, id est, Arietis frontem. In Avieno, vs. 134 et 135, lego «Prona mari, et minax»; et versu 141, lego *litoris acta*, id est, ora, tractu: ἀκτὴ, ἀκτῆς græce, latine *litus*, ut infra vs. 682. Idem Avienus, «Atque Dionæi pulsatur litoris acta». Virg. Æn. V, 613: «At procul in sola secretæ Troades acta». Plura ibidem Servius. Cam.

94. *Hoc mare Gargani*. Dicit maris Siculi finem esse oram Apuliæ in extrema Italiæ. Garganus mons Apuliæ, nunc *Santangelo*, quem Iapyga Priscianus vocat, quia Apulia Iapygiæ nomen habet, ab Iapyge vento, quem Apuli nominabant. «Promontorium montis Gargani» adpellat Plin. III, 11. Sed vereor, ne Priscianus terminos maris Siculi nimis promoverit ad Garganum usque. Dionysius solum extendi ait ad terram Iapygiam. Sed Iapygiam Græci subinde vocabant peninsulam extremam Italiæ, quæ alias Calabria (teste Strabone, VI, pag. 194): cujus extremum promontorium Iapygium vel Salentinum erat, hodie *Capo di S. Maria di Leuca*. Hunc terminum maris Siculi statuisse arbitror Dionysium. Priscianus nomine Iapygiæ deceptus, quomodo a Latinis sigillatim vocabatur Apulia, male Garganum montem Apuliæ huc contulit, et Iapygium promonturium Calabriæ cum Gargani promuntorio confudit. — *Oras* habet unus MS. Huds. *Hoc mare Gargaricum* cod. Est. — *Iapygis ora*. Iapygia, Italiæ regio, pars Apuliæ, ab Iapyge Dædali filio denominata, de qua præter ea, quæ scribit Plin.

Ad Boream penetrans pelago, solemque cadentem;
Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe,
Dividit et geminas diversis partibus oras,
Quas tamen extremas conjungit terminus unus.
Ad dextram partem protenditur Illyris alma;
Post hanc Dalmatiæ populorum Martia tellus.
At lævam Ausoniæ porrectus continet isthmos,
Quem tria circumdant maria undique litore curvo;
Tyrrhenum, Siculum, necnon simul Adria vastus.
Finibus at propriis exceptant singula ventos;
Tyrrhenum Zephyro, Siculum sed tunditur Austro,
Adria succurrens Eoo frangitur Euro.
At post Sicaniam tractu diffunditur alto

III, cap. 10, lege Servium, Æneid. XI, 247, super illud « Victor Gargani condebat Iapygis arvis ». Cam.

96. *Solemque cadentem*. Occidentem intelligi ut probetur, vix opus est exemplis, quæ adducit Barthius, Adv. p. 1079.

97. *Perhibetur ab orbe*. Hic legendum esse videtur *perhibetur ab ore*, quia in græco ηὐδάξαντο est, ut monuit Wernsdorfius in notis ad Avieni Periegesin, v. 142. Ed.

100. *Illyris alma*. Almam dicit ob ejus vetustatem, de qua re plura Appian. in Illyr.—*Martia tellus* ab Avieno ad Æmathios, non Dalmatas, refertur. Sed legendum in Avieno non *Æmathiamque*, sed *Dalmatiamque*, ex græco codice, qui ad literam ferme sic habet, « Dalmatiæque super bellantum terra virorum ». De his gentibus Plinius, III, circa finem. Dicit autem Italiam Isthmum quemdam inter Inferum et Superum maria, quod non proprie dictum est. Cam.

102. *At lævam* C. B. cæteri *Ad* male. Pap. *Ad* habet Vc. Vi. B. T. *At* C. R. P. cum A. quod recepi. Ed.

106. *Siculum sed tunditur Austro*. Ex hoc loco Ptol. Flavius, Collect. syll. IV, cap. 57, p. 927 tomi I Facis Grut. alium locum Juvenalis exponit Sat. V, 100: « Virroni muræna datur, quæ maxima venit Gurgite de Siculo: nam dum se continet Auster, etc. » Nam observat poetam hic Austrum nominare, quia hic ventus maxime sæviat in mari Siculo, et a piscatoribus timeatur. Sed si idem ex hoc loco adfirmat *arbitrum Adriæ*, quem Horatius adpellet, Eurum esse, non animadvertit, ab eodem Horatio, Carm. III, 3, 5, « ducem inquieti Adriæ » diserte Austrum vocari.

107. *Succurrens*: sic omnes: sed L. *succrescens*. Pap. *succurrent* omnes meæ: *succumbens* legit Schrad. in schedis. — *Adria succurrens*. Elegans haberi emendatio potest, quam in schedis Jo. Schraderi inveni, *succumbens*. Nam quum toties venti a poetis dicantur dominari, imperare, præliari mari, quid aptius de hoc dicatur, quam *succumbere*. Pri-

Ad Syrtin pelagus, Libycis quæ cingitur oris,
Majorem: post quam minor excipit æquora longe,
Atque sinu gemino resonantia litora pulsant.
Finibus a Siculis Cretæum tenditur æquor,
Ad solis veniens ortus, Salmonida poscens,
Dicitur Eous qui Cretæ terminus esse.

scianus ipse, vs. 872, « oram subjectam Austro » dicit, et Lucilius in Ætna, vs. 361: « quum prono jacuere sub Austro, Aut Aquilone fremunt silvæ ». Sed dictum *succurrens* fortasse facilius ex ipso Prisciano explicatur, cui supra, v. 61, dicebatur sinus maris *supra currens*, quod idem est, ac, quod paullo post de altero sinu dicit, *fluctuat*. Unde *succurrens* hoc loco positum videtur pro subter currens, ut dicat Adriam sub Euro fluctuare.

110. *Majorem postquam minor excipit: æquora longe Atque sinu*, etc. sic distinguit antiqua Ve. B. et T. *æquore longe* C. Vi. I. Wd. — *Excipit æquora*, hoc est, Syrtis minor æquoris impetum sustinet et moratur. Sic de eadem Syrti Lucanus, IX, vs. 448, « litore sicco, Quam pelago, Syrtis violentius accipit Austrum ». Et Sen. OEdip. 8, « Ut alta ventos semper excipiunt juga ».

111. *Sinu gemino pulsant*, hoc est, sinu gemino, quem efficiunt duæ Syrtes, interjectum mare litora Africæ pulsat. Immo Syrtes multis litoribus, i. e. arenarum cumulis, resonare, scribit Lucan. IX, 308: « Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo, Et post multa sonant projecti litora fluctus ».— *Litora pulsant*, ingrata apud Priscianum hujus verbi repetitio, vs. 63, 79, 84, et aliis passim recurrit. Ed.

112. *Finibus a Siculis*. Indistincte loquitur cum Dionysio. Supra, vs. 90, dixerat mare Siculum a Pachyno promontorio extendi ad promontoria Cretæ, idemque pervenire ad promontorium Iapygium Calabriæ. Nunc Cretæum mare incipere ab ora Siciliæ dicit, quod Eratosthenes apud Plinium, III, 5, s. 10, distinctius tradit ab ipsa Creta incipere. Dionysius quidem scribit ἐκ δ᾽ ὀρέων Σικελῶν, quod reddunt *e Siculis montibus* vel promontoriis; at Priscianus interpretari maluit *a finibus Siculis*, quasi apud Dionysium ὅρων vel ὁρίων legisset, ut quodammodo temperaret, quæ hactenus de finibus Siculi et Cretæi maris contraria dicta sunt. Nam *fines Siculos* interpretari possumus fines Siculi maris, a quibus quod incipit mare Cretæum dici solet. — *Tenditur æquor* in MSS nostris. Huds. et *tenditur* habent sex meæ antiquæ cum cod. Est. *provolat æquor*, quod Papius et ejus sequaces posuerunt, unde habuerit, nescio. Mihi suspectum est, quia et insolens: contra *tenditur* græcum Dionysii ἀναπέπταται, vs. 109, plane exprimit. Wd.

113. *Salmonida poscens*, id est, adpetens et spectans; vid. vs. 23. *Salmonis* est promontorium Cretæ orientale. Strabo, lib. X, p. 327, Σαμώνιον ἄκρον, et Mela *Samonium*, Plinius *Sammonium* adpellat. Hodie corrupte *Capo Salomon*.

Post hanc est geminum mare, vastum fluctibus atris,
Flatibus Ismarici Boreæ quod tunditur acris,
Qui ruit adversus celsæ de partibus Arcti.
Quod prius est, Pharium perhibent, hoc litora tangit
Præcipitis Casii montis : post unda secunda
Sidonium est pelagus; penetrat qua gurgite pontus
Issicus, Arctoas ad partes æquore vergens,
Non longe rectus; Cilicum nam frangitur oris.
Hinc Zephyros poscens, veluti draco flectitur undis,

115. *Fluctibus altis* I. vid. not. sq.

116. *Flatibus :* sic C. B. L. nisi quod in L. pro *quod* erat *qua*. A. *Fluctibus Ismarici quod Boreæ tunditur atris, Quod ruit.* Pap. *Fluctibus* habent Ve. Vi. B. T. *Flatibus* C. I. A. R. P. — *Fluctibus atris.* Ad naturam Boreæ respexit, quia, ut Ovid. Met. VI, 705 sqq. canit : « Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam, Verrit humum; pavidamque metu caligine tectus Orithyian amans fulvis amplectitur alis ». Vid. Plin. et A. Gell. II. C. — *Ismarici* ab Ismaro monte Thraciæ. Cam. — *Ismarus* mons Thraciæ ad Hebrum fluvium, a quo Ismaricus vocatur Boreas, sicut et Threicius. Similiter Avienus, vs. 33 : « Ismaricique riget semper flabris Aquilonis ».

117. *Quod ruit* Ve. B. T. *Qui ruit* C. Vi. R. P. Wd.

118. *Hoc* A. V. sed C. B. *hæc*. L. *hæc litora tangunt.* Suspicor legendum ut C. B. *hæc* autem refert undam. Pap. *hoc* habent Ve. Vi. B. T. et Papii asseclæ : *hæc* sola C. — Cod. Lovan. legit « Quod propius, Pharium perhibent, hæc litora tangunt ». Mare Pharium vulgo Geographi Ægyptium vocant, et quod mox sequitur *Sidonium*, alii Phœnicium. Plin. lib. V, cap. 10 et 12.

119. *Casii montis.* Lego ex græco *Cassii*, et in Avieno, v. 166 : « Quod procul hinc Casiæ vergit confinia cautis » : non autem *Asiæ*. Est enim mons post Pelusium Nili ostium. Plin. V, cap. 12; Solinus, cap. 47. Item cæteri. Legendum etiam in Avieno sequenti versu, *Sidoniique*, non *Sidoniumque*. Et infra : « Haud secus illapso, etc. » Cam.

121. *Issicus* sinus denominatus ab Isso, oppido Ciliciæ in confiniis Syriæ, nobilitato quondam Alexandri victoria contra Persas. Mela, lib. I, cap. 13, 5.

123. *Hinc zephyros* Ve. C. B. et rel. sed *Hic* Vi. Wd. — Dicit mare, ubi a sinu Issico Ciliciam et Pamphyliam præterlabitur, per crebros flexus et sinus litorum gravi mole aquarum tarde evolvi, tamquam draconem magnum, qui spiras et grandia volumina torquens montes et silvas terit. Talis comparatio flexuosi litoris cum angue nonnullas fabulas antiquitatis peperit, ut de hortis Hesperidum et pervigili dracone, quorum hanc rationem adfert Solinus, cap. 27 : « Flexuoso meatu æstuarium e mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, ut visentibus procul lapsus angueos

Qui juga montivagus vastat, silvasque fatigat.
Partibus extremis Pamphylia clauditur isto;
Atque Chelidoniæ rupes cinguntur eodem.
At procul hunc Zephyrus finit Patareide summa.
Post hæc Arctoas ad partes adspice rursus
Ægæum, superat qui fluctibus æquora cuncta;

fracta vertigine mentiatur ». Quæ hausit Solinus e Plin. lib. V, post init. Inde est, quod hydram Lernæ paludis capitibus abscissis ab Hercule interfectam fabulati sunt, quod item lacus nonnullos vel paludes hydras vocaverunt.

124. *Qui juga* L. C. B. male A. V. *Quod*. Pap. idem *Quod* habent Ve. Vi. B. *Qui* C. T. A. et seqq. — *Silvasque fatigat*, gravi mole volutans se permeat. Poetis *fatigare* est crebro assidueque agere vel exercere, ut in Statii Achill. I, 104: « sed cœpta fatigat Pectore consilia ». Simul autem dies, tempus, locus poetica audacia dicitur fatigari, pro ipsa re vel persona, quæ in eo exercetur, quod fit in nostro loco, et in hoc Virgilii Æn. VIII, 94: « Olli remigio noctemque diemque fatigant », ad quem locum pulchre ejus verbi usum explicat Heynius. — Conf. quæ alibi a Wernsdorfio adnotata sunt, ad Reposiani Concub. Mart. et Ven. v. 65, huj. op. nostri t. III, p. 331. Ed.

126. *Chelidoniæ*. Insulæ sunt contra Taurum promontorium, importunæ navigantibus. Sunt enim numero tres pestiferæ navigantibus. Plin. V, cap. 31; Mela, lib. II. In Avieno versu 184 lege « Unda Chelidonias, etc. » — *Chelidoniæ* sunt insulæ duæ contra promontorium Tauri, qui in Lycia exit in mare, importunæ navigantibus, ut tradit Mela, II, 7. — *Rupes* eas vocat poeta, ut Ptolemæus σκοπέλους, et Stephanus πέτρας. Nam et inde Chelidoniarum nomen acceperunt, quod scopulis frequentibus hieme perfugium hirundinibus præbent. De iis infra amplius v. 537. Cæterum quod Salmasius, Exercit. in Sol. p. 548, super hoc loco contendit, discrepare Priscianum a sententia Dionysii in describendo et finiendo sinu Issico, id locus hic non permittit, ut diligentius excutiatur.

127. *Procul hinc* habet cod. MS. Huds. — *Patareide summa*, id est, Patareo promontorio: sic enim loqui solet Priscianus; vid. not. ad v. 90. Nomen habet a Patara urbe Lyciæ vicina, Salmasium, qui Dionysii Παταρηΐδα ἄκρην intelligere voluit de portu Patarensi, multis verbis refutat Vossius ad Melam, I, 15, 17, et ostendit Dionysium sic vocasse totum Lyciæ promontorium sive peninsulam: nam oram Lyciæ, quæ a Chelidoniis usque ad Telmessum extenditur, valde in mare prominere, et peninsulam efficere.

128. *Arctoas ad partes*. Ex hoc loco, et re ipsa in Avieni versu 187 sic legendum reor: « Ac rursum in Boream, etc. » non autem *in Zephyrum*. Græcus codex sic habet: « Hinc vero pontus rursus conversus in Arctos ». Et parum infra:

Dispersas vasto qui gurgite Cycladas ambit.
Terminat hunc Imbros pariter Tenedosque coercens,
Angusta trahitur qua fauce Propontidis unda:
Asia quam supra populis distenditur amplis
Ad Notiam partem, qua latus ducitur isthmos.
Threicius sequitur post Bosporus, ostia Ponti:
Hoc nullum perhibent terras angustius orbis

« Non sic cuncta Thetis fluctu tumet: extimus olli ». Conformiter ad hunc locum, « superat qui fluctibus æquora cuncta ». Vetus lectio habet *curia* pro *cuncta*. Cam.

130. *Vasto qui gurgite Cycladas ambit:* sic L. C. B. V. vide notas. Pap. Sic plane etiam Ve. C. I. et post Papium R. P. H. Sed *dispersas ambit Sporadas qui gurgite vasto* scribit Camers in Vi. et *Dispersas vasto Sporadas qui gurgite cingit* B. et T. — *Qui gurgite Cycladas ambit.* Avienus hoc in loco non Cycladum, sed Sporadum meminit, v. 190: « Saxosis Sporadum sæpe obluctantia ripis ». Codex græcus sic habet: « Hic fluctus Sporadum late circumstrepit ingens ». Puto igitur legendum sic: « Dispersas ambit Sporadas qui gurgite vasto ». Nomina et numerum harum insularum ponit Plin. IV, cap. 12. Poeta infra versu 550. Cam. — Aldus hic edit *Sporadas qui gurgite cingit:* quod citra controversiam a sciolis corruptum est e græco, in quo σποράδων esse mentionem videbant, non κυκλάδων· quasi non in eodem utræque sint mari: et ita vicinæ, omnibusque modis similes, ut tantum non et adpellationibus confundantur. Certe eadem utrisque pulcherrime et conveniunt, et attribuuntur a scriptoribus: ut quum Virgilius sparsas per æquor Cycladas dicit, venustissime illis adplicat, quod manifeste alioquin e Sporadum nomine sumptum est: item quod Horatius, Cycladas fulgentes et nitentes vocans, Cycladibus, noster Dionysius eadem de caussa Sporadibus accommodat, quum ait, « Excipiunt Sporadum scopuli, passimque relucent, Ut quondam innubi, etc. » Pap. — *Cycladas ambit.* Antiquam et genuinam hanc lectionem esse, licet Dionysius hoc loco σποράδας nominet, satis evincit librorum fides, quos in Var. lect. adduximus. Cur Cycladas pro Sporadibus nominare potuerit Priscianus, rationibus docuit Papius in not. supra; sed qui versum refinxit et Sporadas posuit, non primus Aldus fuit, ut ille existimat, sed Camers, ut ipse profitetur.

131. *Imbros* insula Samothraciæ et Hellesponto adjacens, nunc *Stalimin*. — *Tenedos* altero in latere mare Ægæum finiens, contra Sigeum, Troadis promontorium, nunc *Tenedo*. — *Coercet* est in uno codice MS. Huds.

134. *Ad nonam partem* cod. Est. Wd. — *Latus ducitur isthmos:* intelligo continentem Asiæ Minoris, inter Pontum Euxinum et mare Pamphylium. Sic supra vs. 102 Italiam inter Adriaticum et Tyrrhenum mare vocabat isthmum.

136. *Angustius...fretum.* Angustiæ

Esse fretum dirimens: hic sunt Symplegades arctæ.
Panditur hinc Ponti pelagus Titanis ad ortus;
Quod petit obliquo Boream solemque meatu.
Hinc atque hinc medio procurrunt æquore colles :
Unus, qui veniens Asiæ de parte Carambis
Dicitur, australis ; sed contra finibus alter
Prominet Europæ, hunc Criû dixere metopon.
Ergo conveniunt adversi, gurgite tanto
Distantes, quantum ternis transire diebus
Evaleat navis : bimarem sic æquore Pontum

Thracii Bospori latitudine quingentorum passuum sunt. Plin. IV, cap. 12, VI, 1; Mela, II. Solin. c. 22, « Mare, inquit, in quingentos passus coarctatur, fitque Bosporus Thracius, etc. » Avienus, v. 203 : « Proxima non alibi tantum divortia cernas Cespitis hac », non *hæc*. Et infra *saxa moveri* legendum est. Cam.

137. *Symplegades arctæ*, quæ et Cyaneæ, sunt duæ parvæ insulæ, seu potius scopuli, contra Thracium Bosporum, in ipso Euxini ostio, quæ parvo adeo spatio disjunctæ, ut quidem recta adeuntibus geminæ cernantur, sed obliqua acie coeuntium speciem præbeant. Unde fabula de earum concursu et nomen ortum, scilicet a vocibus σὺν et πλήσσω.

138. L. C. B. optime *hinc*, id est, e Thracio Bosporo, ἐκ δὲ τοῦ οἰγόμενος, et sic adfirmat Huds. Male A. et V. *hic*. Pap. quomodo et Ve. et reliquæ vett. *hinc* habent Papio posteriores.

139. Per *solem* nude positum Orientem intelligit, ut alias sæpius. Vid. vs. 836 et 906.

140. *Procurrunt* L. C. B. optime. A. V. *percurrunt*. Pap. *percurrunt* omnes meæ Antverpiensi Papii priores.

141. *Carambis* in litoribus pæne mediis Paphlagoniæ promontorium est, ut ait Mela, I, 19, 59, ad Septemtrionem porrectum. Valerius Flaccus, V, 108 : « alta Carambis Raditur, et magnæ pelago tremit umbra Sinopes ». Amm. Marcell. lib. XXII, cap. 8 : « Haud procul inde attollitur Carambis... cujus e regione Criumetopon Tauricæ promontorium duobus millibus et quingentis stadiis disparatum ». Sed multo minus hoc distare a Carambi adfirmat Strabo, lib. VII, pag. 309. Aliud Criumetopon promontorium Cretæ supra v. 93.

142. *Australis* L. cæteri *australi*. Pap. nec aliter meæ veteres.

144. *Conveniunt*. Promontorium Criu metopon adversum Carambico Asiæ promontorio per medium Euxinum percurrens, 170 millibus passuum intervallo : quæ maxime ratio Scythici arcus formam efficit. Plin. IV, cap. 12 ; Pomp. Mela, II, in princ. Cam. — *Gurgite tanto* Ve. C. I. B. T. A. et ejus sequaces : *gurgite, tantum Distantes* Vi. Wd.

146. *Bimarem Pontum*. Bimarem idcirco adpellat, vel propter duo

Adspicias, similem cornu quo flectitur arcus
Nervo curvatus distento: dextera nervum
Assimilat: recto trahitur nam linea ductu,
Extra quam, Boream quod scandit, sola Carambis:
Sed formam cornu geminatis flexibus edit
Litus, quod Pontum cingit sub parte sinistra.

ejus nomina, Pontum et Euxinum; vel quia pars una ejus in Boream, altera vergit in Orientem; vel 3° ob ejus arcualem figuram. Inde enim conscindi hoc mare videtur, efficique persimile hemicyclo cuidam, atque uno quidem in Pontum dilabi, altero in Mæotida distendi, ut Antonius transfert. Avien. vs. 234: « Quamvis vasta sali, etc. » versibus autem 240 et 241 lego « Continuoque jacens rigidi sub imagine nervi Tenditur: excedit, etc. » CAM. — *Bimarem Pontum*, διθάλαττον esse Strabo, lib. II, p. 124, dicit propterea, quod ad medium fere ejus procurrant duo promontoria, ab Europa et Septentrione Criumetopon, ab Asia Carambis, quæ in arctum contrahunt mare medium, et tutum in duo magna maria dividunt. Idem tangit lib. VII, p. 309.

147. *Quo flectitur:* sic L. reliqui *cornu quod flectitur arcus Nervo curvati distento:* si non corrupte, certe impedita admodum constructione. Pap. Et hanc constructionem habent omnes meæ antiquæ.

149. *Recto trahitur nam linea.* Arcui Scythico Pontum Euxinum ita adsimilat, ut dextrum ejus latus, quod est in parte Asiæ, et quasi linea recta extenditur, nervum arcus distentum referre dicat; sinistrum, quod curvo litore inflecti videtur, formam arcus habere, et quidem geminatis flexibus, quod medium quasi dividunt Chersonesus Taurica, et ex adverso Asiæ Carambis. Amm. Marcell. lib. XXII, cap. 8, de Ponto loquens: « Omnis autem ejus velut insularis circuitus litorea navigatio... in speciem Scythici arcus nervo coagmentati geographiæ totius adsensione formatur ».

150. *Extra quam*, scilicet lineam rectam, quam proximo versu dixit, est vel prominet *sola Carambis*, propterea *quod* ea *Boream scandit*, adsurgit vel protenditur versus Septemtrionem. Dicit tutum litus Asiæ, quod Ponto Euxino adluitur, recta et æquali linea extendi, solo promontorio Carambis excepto, quod eam lineam excedit, longiusque versus Boream protenditur. — *Quod scandit.* Vide notas. Pap. Alii *quo scandit.* Nostra lectio melior. Huds. Lectio *quo scandit* plane mendosa est, et sensum impedit, licet ab omnibus nostris vetustis servetur. *Quod scandit* optimum est, neque alia emendatione indiget, modo versus recte distinguatur, quod ipsi fecimus in textu, et declaramus in nota. Wd. — *Quod scandit:* sic C. B. cæteri *quo scandit.* Neutra lectio satis mihi facit: illam tamen, quod sensum aliquam habeat, si *extra quam* interpretemur *præterquam*, potius expressi. Legendum puto *Extra quam*, *Boream quæ scandit*, *sola Carambis*. PAP.

In quam Mæotis penetrans Aquilonis ad axes,
Quam Scythiæ gentes circumdant undique ripis,
Et matrem Ponti perhibent Mæotidis undam :
Scilicet hinc Ponti vis exit gurgite multo
Cimmerium torrens per Bosporon; hic ubi Taurum
Cimmerii gelidis habitant sub finibus imum.
Hæc maris est species, splendens hæc forma profundi.
Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,

154. *Scythiæ* L. C. B. optime. Sic Virg. Georg. III, 349 : « At non qua Scythiæ gentes, Mæoticaque unda ». A. V. *Scythicæ*. Pap. *Scythiæ* habent ex meis Ve. C. Vi. I.

155. *Matrem Ponti*. «Tanaim ipsum Scythæ Sylin vocant, Mæotin Temeriuda, quod significat matrem maris », Plin. VI, cap. 7. Avienus versu 244 : « Scytha late barbarus oras Incolit, et matrem Ponti cognominat undam, etc. » Sed parum infra lego sic : « Nam Bosporus illic Cimmerius fauces aperit, circumque superque Cimmerias gens, etc. » Posset etiam legi *Cimmerii, gens dura*, per adpositionem. Cam. — *Matrem Ponti* Mæotida vocabant Scythæ, quod ea undas in Pontum effundat, et perennes sufficiat. Sic Plinius, loc. cit. « Tanaim ipsum Scythæ Sylin vocant, etc. « Pari sensu vocabulum græcum Mæotis explicat Tzetzes, quasi μαιεύτριαν, obstetricem piscium, quorum palus tota feracissima est, a μαιόομαι vel μαιεύομαι, quod est obstetricor, Chiliad. 8, hist. 224, vers. 773. Similiter paludem, e qua Hypanis effunditur, matrem ejus ab accolis vocari refert Mela, II, 1, 63.

156. *Hinc Ponti*. Vide notas. Pap. *hic* habent omnes meæ vett. Wd. *exigit æquore multo* in uno codice Huds. — *Hinc Ponti vis*. Sic optime L. C. B. nec longe recedit V. *hic Ponti vis*. Pessime A. *hic Ponti vix*. Quid enim sibi vult *Ponti torrens?* Porro *hinc* e græco pulcherrime expressum est ἐκ τῆς γὰρ, etc. Quod in B. est *vis exigit æquore multo*, nescio an merito possit exigi, etsi nullius exemplaris consensu adjuvatur : *exigit* sic accipio ut *exigitur*, tamquam *se exigit* significet. Pap.

158. *Imum* L. C. B. Inepte A. et V. *unum*. Pap. *unum* et omnes antiquæ præferunt. — *Unum* licet plurimi libri habeant, *imum* tamen restituendum et tenendum est, quod centies solet a librariis in *unum* converti. Scilicet habitari et coli ima tantum montium possunt, superiora gelu et nivibus operiuntur. Hinc Valer. Flaccus, lib. I, 25, de Pelia rege : « ille Othryn et Hæmum, Atque imum felix versabat vomere Olympum ».

159. *Splendens hæc forma profundi*. E Dionysio debebat *splendentis forma profundi*. Nam in eo est κυαναυγὴς ἀμφιτρίτη, cæruleo colore nitens, neque forma, figura, descriptio maris a geographo facta dici potest splendere. Cæterum hoc epiphonemate se ad terræ descriptionem transire monet.

160. *Telluris regiones*. Quæ et quot sint ejus provinciæ, docet Ptolom. lib. IV et VIII. De ea scribunt Plin.

Ut cernas animo non visas lumine terras,
Atque docens alios lauderis pectore docto.
Incipiens Libye, tenuisque a Tethyos undis,
Oceanus Tyrias qua pulsat gurgite Gades,
Tenditur ad Notias partes et solis ad ortus;
Et mensæ formam reddit mensoribus artis,
Quam tradunt terræ non æquam margine cuncta.

V, in principio; Solinus, cap. 37; Mela I; Lucan. IV; Silius, I et III. Non displicent, quæ lib. XIV, c. 5, scribit Isidorus. Eusebius, IX, c. 4, Præparationis recitat Josephi sententiam, Antiquitatum lib. I. Cam.

161. *Ut cernas.* Hunc locum fidelius hic, quam Avienus transtulit. C.

163. *Libye:* sic L. C. male B. A. V. *Libyæ.* Pap. Ex meis *Libye* sola habet C.—*Tenuis a Tethyos undis,* h. e. quæ inde ab Oceano et freto Gaditano tenuis et angusto spatio est. Hanc interpretationem poscunt Græca v. 176: ἄχρη εἰς μυχὸν ὀξυνθεῖσα Ὠκεανοῖο. Mela, I, cap. 4, similiter de forma Africæ: « pergit in curva ad occasum, fastigatque se molliter, et ideo ex spatio paullatim adductior, ubi finitur, ibi maxime augusta est ». Plane eadem disserit Strabo, lib. II, p. 130.

166. *Et mensæ formam.* Sic totum hunc versum habet L. C. B. vide notas. Pap. *Et messis formam reddit messoribus arcis.* Ve. B. *Et mensæ formam reddit mensoribus artis* C. I. cum A. ejusque asseclis. *Mensoribus arctæ* Vi. et T.—*Et mensæ formam reddit mensoribus arctæ.* Nonnulli codices *arcis:* alii *artis* habent. Sed legendum videtur *arctæ mensæ.* Est enim Africa multo, quam lata, longior. *Africæ,* inquit Martianus, lib. VI, longitudo tricies septies nonaginta quatuor. Latitudo in Cyrenaicam ejus partem DCCCC et x. Ad idem Plinius, VI, cap. 33. Hinc forte sequenti versu *Nam tradunt* legendum est, ut sit dicti caussa. Camers. — *Mensoribus artis.* Fateor, non placere mihi, nec satis intelligi lectionem hanc: nam sive mensores *artos* vel *arctos* dixerit, sive mensores *artis*, utrobique inepta est dictio. Minus spernere velim, quod Camers pro correctione dedit, *mensæ arctæ:* rationem apud ipsum vide. Τραπέζιον mensam quodammodo efficere figuram Africæ, etiam Strabo l. c. prodit, e quo ipsum hausit Dionysius, ut multa alia.

167. *Non æquam margine cuncta:* sic C. Vide notas. Pap. *non æqua margine cinctam* Ve. C. I. nisi quod hæc *æquo margine* Vi B. T. — Hi duo versus sic in A. et V. leguntur, *Et messis formam reddit messoribus arcis, Quam tradunt terræ non æqua margine cinctam;* nisi quod V. *mensoribus* habet. Quidam rectius paullo priorem vs. sic ediderunt, *Et mensæ formam reddit mensoribus arctæ.* Ego e tribus codd. consentientibus L. C. B. priorem ita restitui, ut neminem improbaturum puto: alterum edo ex solo C. cui partim adsentiebatur et B. in quo erat *non æquam margine cunctæ.* In L. est *non æqua margine cinctæ:* quæ lectio probari posset, nisi ab illa vinceretur. Pap.

Terminat hæc fines Rubri prope litora ponti;
Latos Æthiopum populos quos possidet alter;
Quem calidis juxta terris pascuntur Erembi.
Has pelli similes pardi dixere priores;
Namque solum squalens urbes distinguit opacas.
Hac sitis, hac humor latos variatur in agros.
Sed summam Libyen habitant ad Tethyos undas,
Alcidæ qua sunt statuæ, Maurusia plebes.

168. *Terminat.* Ordo est; Hæc terminat fines suos ex parte una prope litora Rubri ponti, ex parte alis prope latos populos Æthiopum, quos alter finis Libyæ possidet, juxta quem Erembi pascuntur in terris calidis. CAMERS.—*Prope litora ponti.* Animadvertendum est, terminos Africæ poni non in ipso litore maris Rubri, sed *prope litora.* Dionysius ἄγχι θαλάσσης. Scilicet Veteres Africam terminabant flumine Nilo, ideoque marginem terræ, quæ est inter Nilum et sinum Arabicum, non Africæ, sed Asiæ adsignabant. Mela, I, 4: « Africa ab Orientis parte Nilo terminatur, pelago a cæteris ». Vid. not. ad v. 34. Hinc Strabo, lib. I, p. 42, Erembos sive Troglodytas, in altero latere sinus Arabici habitantes, Arabiæ accenset, ut et Dionysius versu 961.

169. *Populos:* sic omnes libri: *populos* igitur nominandi casu posuit. Pap. Nec aliter meæ.—Perperam hunc versum obscurum Camers de altero fine Africæ, quem faciunt Æthiopes occidentales, intelligit.

170. *Pascuntur Erembi.* Erembos, quos et Troglodytas adpellat Strabo l. c. idem nomen habere dicit ἀπὸ τοῦ εἰς τὴν ἔραν ἐμβαίνειν, vel, ut Eustathius explicat, διὰ τὸ ὑπὸ τὴν ἔραν βαίνειν. Dionysius etiam v. 963 ὀρεακόους, monticolas, dicit, nudosque in petris suffossis vitam agere.

171. *Has pelli:* sic L. C. B. Male A. V. *hos:* ad terras enim Ereinborum, non Erembos pertinet. Pap. Et *hos* habent omnes meæ.

172. *Disjungit* in codd. MSS nostris Huds.—*Urbes distinguit opacas.* In græco est κυανῇσι κατάστικτος φολίδεσσιν. Hoc Priscianus, quia πολίεσσιν legebat, vertit per *urbes*, sed male. Nam Erembis, de quibus illi sermo est, urbium usus nullus erat, et Dionysium non satis cepit Priscianus, qui hæc non de Erembis, sed de ipsa Africa prædicat. Vid. Excursus I ad calcem hujus carminis.

175. *Statuæ*, i. e. columnæ: non vera vocis στήλη significatio: multæ aliæ editiones hic reponunt *Stelæ.* Intelligit Calpen et Abylam, Herculis columnas, quarum altera in Africa *Ceuta*, altera in Europa *Gibraltar.* En.—*Maurusia plebes.* Hæc quæ et Mauritania dicitur, ab incolarum ejus colore nomen habet. Μαῦρον enim nigrum significat. Hæc autem provincia bipartitur. Lege Plin. lib. V, cap. 2; Solin. cap. 38; Strab. libr. ultimo; Ptolom. IV, cap. 1 et 2; Mela, I. De statuis Herculis præter cæteros Plin. in prol. lib. III. C.—*Maurusia plebes*, populus Mauritaniæ. *Gens Maurusia* apud Virg. Æn. IV, 206.

Post hos inmensæ Nomadum de semine gentes,
Atque Masæsylii, nec non Massylia proles.
Saltibus hos duris asper silvisque vagantes
Victus alit sæva quæsitus cæde ferarum;
Scilicet ignaros terras proscindere aratris,
Agricolasque boves plaustris domitare sonoris:
Namque errant nemorum per dumos more ferarum.

176. *Nomadum.* Nomades sunt etiam Scythiæ populi, de quibus Plin. IV, cap. 12; Solin. cap. 25; Strabo, VII; Mela, II. Reperiuntur et in India, Plin. VI, cap. 17. Νομὸς enim pascua vel pabulum significat. Inde Nomades pastores. Dicuntur etiam Numidæ a mutandis papilionibus, inquit Plin. V, cap. 3. Lege Silium, III; ibi « Vos quoque desertis ». Cam. — *Nomades* dicunt Græci, quos *Numidas* Romani. Et Avienus, v. 280, Numidas vocat. Sed Veteres in permutandis istis vocabulis errasse contendit Vossius ad Melam, lib. I, cap. 7. — Differunt enim sic, Nomades a Numidis, ut genus a specie. Ed.

177. *Masæsylii.* Hanc gentem attenuatam bellis, exstinctam esse, scribit Plin. V, cap. 2. Cam. — *Masæsylii*, populus Mauris conterminus, quorum regio a flumine *Molochat* initium sumens finit in promontorium, quod Masæsyliorum et Massylorum confinium dicitur. Sic Strabo, lib. XVII, pag. 829, cujus locus paullo corruptus e Dionysio corrigendus est. — *Massylia proles.* Populi sunt juxta Hesperidum hortos. Silius, lib. III, « Quin et Massyli, etc. » In Avieni v. 281. *Massili* per unum *i* teste Servio, Æn. IV, 132, « Massilique ruunt equites et odora canum vis ». Et parum infra : « Libyci nunc ruris ». Cam.

180. *Perfindere rastris.* Ita L. C. B. sed A. V. *proscindere aratris*, nescio unde petitum. Pap. Atqui hoc habent Ve. C. quæ quidem vitiose *precindere aratris* Vi. I. B. T. *perfindere rastris* tantum in serioribus exemplis est, quæ recensionem Papii sequuntur. Ego lectionem antiquarum edd. prætuli, quia phrasis *proscindere aratro terram* usitata et latina est, et græca Dionysii verba accurate reddit; *perfindere* autem nusquam repertum, certe rarissimum verbum, et parum conveniens *rastris*, quia rastris non perfinditur terra, sed frangitur vel minuitur; vid. Virgil. Georg. I, 94. Sed tamen *proscindere rastris* est in MS Est. Wd.—*Proscindere* de arando proprium. Varro, de Re Rust. I, c. 29: « Terram quum primum arant, proscindere adpellant ». Virg. Georg. II, v. 237: « validis terram proscinde juvencis ». Ovid. Her. XVII, v. 139: « curvo proscindere litus aratro ». — Avienus, in Arat. de Vergiliis : « Si condunt æquore flammas Tellurem presso proscindere tempus aratro ». Ed.

181. *Sonora* plaustra dicuntur, ut a Virgilio, Georg. III, 536, *stridentia*, et Æn. XI, 138, *gementia*, quia plaustra Veterum non rotas habebant radiatas, sed tympana cohærentia axi, et cantho ferreo juncta, quibuscum ipse axis volvebatur;

Quos prope tenduntur fines Carthaginis altæ,
Perpetuas Tyriis celebrat quæ condita laudes;
Qua regnans felix Dido per sæcula vivit,
Atque pudicitiam non perdit carmine ficto.
Hanc minor insequitur Syrtis, majorque secunda;
Qua tumor immensus Tyrrheni pellitur æstus,
Accessusque furit siccisque recessus arenis.
Ast inter Syrtes urbs est, quam nomine dicunt

unde magnum stridorem edebant, maxime si gravia et valde onusta essent. Vid. Scheffer. de Re vehic. lib. II, cap. 19, p. 246.

183. *Carthaginis altæ.* Quando, a quibus, ubi, quo astu Carthago condita est, docet Just. lib. XVIII: idque canunt Maro et Silius, uterque libro primo. Cam.

186. *Carmine falso:* sic C. B. vide notas. Pap. *carmine ficto* omnes meæ præferunt, idque ego aptius putavi. — *Carmine falso.* Virgilii nimirum. Notum est enim et epigramma illud, in quo Dido Virgilii hanc injuriam queritur. A.V. in eumdem sensum, *carmine ficto.* Quod autem in L. erat *crimine fasso*, quam edidimus scripturam adjuvat. Nam *fasso* ad *falso* proxime accedit: alioqui plane rejicienda est ea lectio: non enim existimo interpretem adludere ad illud Virgilii voluisse, « Huic uni forsan potui succumbere culpæ. Anna, fatebor enim, miseri, etc. » Pap. — *Carmine ficto.* Notum est istud epigramma, in quo de Virgilio queritur Dido. Huds. Exstat Antholog. Gr. Steph. lib. IV, pag. 320, ἀδέσποτον εἰς εἰκόνα Διδοῦς, cujus ultimi versus hi sunt: Πιερίδες, τί μοι ἁγνὸν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα; Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

187. *Syrtis.* De Syrtibus Plin. V, cap. 4; Solin. c. 40; Mela, I; Strabo, XVII; Herod. IV; Silius, III, circa finem. Luc. IX, 303: « Syrtes vel primam, etc. » Dicta Syrtis a græco σύρειν, i. e. a trahendo, quoniam fluctus ita trahit aquas, ut in litore sicca arena relinquatur aliquando. In Avieni versu 295, lego « Tyrrheno concitat æstu », ut sensus et ordo sit: Ardua moles undarum Tyrrheno æstu concitat pelagus infidum rati. Alii legunt *cogitur*, sed non placet. Et statim post lego « Parte alia lento, etc. » id est, meridionali Tyrrheno mari opposita. Cam.

189. *Accessusque furit:* sic L. C. B. nisi quod C. *accessumque* habebat. Male A. V. *accessuque furit siccisque receptus arenis.* Illa enim scriptura pulcherrime exprimit græcas dictiones πλημμυρίς, ἄμπωτις. Pap. *Accersuque furit siccisque receptus arenis* Ve. C. Vi. I. quæ tamen *accessu* ponit, cum B. et T. — *Siccisque recessus arenis*, id est, recessus maris siccas reddit arenas. Lectio, quam constituimus, usu earum vocum proprio de æstu maris confirmatur. Cic. de Divin. II, 14: « Marium accessus et recessus motu lunæ gubernatur ». Mela, lib. III, cap. 1: « Ingens infinitumque pelagus et magnis æstibus concitum modo inundat campos, modo late

Esse Nean polin : hanc supra justissima fertur
Hospitiis gaudens gens degere Lotophagorum.
Hos licet ad fines desertas cernere terras,
Exstinctis populis Nasamonum marte Latino.
Asbystæ post hos terrarum rura tenentes
In medio : summus Libycis et gentibus Ammon :

nudat ac refugit, non alios aliosque invicem, neque alternis accessibus, etc. » Virgil. Æn. I, 107 : « furit æstus arenis ». De æstu in Syrtibus sigillatim Solinus, cap. 27 : « Syrtes inaccessas undosum ac reciprocum mare efficit, cujus sali defectus vel incrementa haud promptum est deprebendere : ita incertis motibus nunc in brevia crescit dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis ».

191. *Nean polin* : sic L. C. Minus recte B. A. V. *Neapolin*. Pap. quod et meæ habent. — Hæc *Nea polis* in litore regionis Syrticæ inter Abrotonum urbem et Cinyphum fluvium, quæ et Leptis magna dicta est, secundum Strabonem, XVII, p. 574, et Ptolemæum, sed quam a Lepti distinguere videtur Plin. V, 4. Hodie *Napoli di Barbaria*.

192. *Justissima Lotophagorum gens*. Historiam lege apud Homerum, Odyss. IX, princ. Virgil. Cul. vs. 123, *impiam* dicit : « Inter quas impia Lotos, Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit, Hospita dum nimium tenuit dulcedine captos ». Ovid. Trist. IV, 1. De Loto vid. Plin. XIII, 17, et II, 21 et 22. Plura Herod. lib. IV, circa finem. C.

194. *Exstinctis populis Nasamonum*. Dicit Nasamonas a Romanis deletos. Caussam addere exitii videtur Dionysius, v. 210, quod fuerint Διὸς οὐκ ἀλέγοντες. Quæ quomodo intelligenda sit, exponimus in Excursu II ad calcem hujus carminis. — *Nasamonum marte Latino*. Id autem factum est per Balbum Cor. eo quod Lentulum ducem trucidaverant. In Avieno, vs. 305, lego « multo balatu » ; et infra, v. 308, « Vastavit dextera bello ». Item, v. 311, « Romanas aquilas ». Cam.

195. *Asbystæ* vel *Asbytæ*, populus e mediterraneis regionis Syrticæ, ad Cyrenaicam, de quibus Herodotus, lib. IV, cap. 170. Et Plinius, lib. V, 5 : « post Nasamones Asbystæ et Macæ vivunt ». — Et Herod. lib. IV, Asbytæ. Hermog. plura V, cap. 5, de hoc nomine disserit. Cam. — Solinus, cap. 28 : « Asbystæ lasere vivunt : hoc aluntur, hoc illis dulce est ».

196. *In medio* : *summus* : sic L. C. B. Sed L. etiam *est* ante *summus* habebat : sic, *In medio est summus*, etc. Minus recte A. V. *In medio summis*. Pap. *In medio est summus* in uno MS. Huds. *In medio summis* etiam præferunt quinque meæ edd. — *Hammon*. Originem ponit Lact. Theb. III super illud *Caonias*. Plura in adnotationibus Solin. De Cyrene plura apud Solinum dictavimus. C. — Silius, de Ammone, III, 16 : « Inter anhelantes Garamantas corniger Ammon Fatidico pandit venientia sæcula luco ». Avien. 316 : « fata canit venerabilis Ammon », unde conjici licet *summus* quo sensu hic capiatur. Ed.

Nec non Cyrene clarorum mater equorum,
Urbis Amyclææ populus quam condidit olim.
Marmaridæ post hos Ægypti ad flumina vertunt,
Gætulique super sunt, vicinique Nigretes.
Continuo post hos sequitur Phaurusia tellus.

197. *Mater equorum.* Propter Castorem Lacedæmonium, qui equis delectatus est, ut « Castor gaudet equis», Hor. Serm. II, 1, 26. Cyrenenses autem a Lacedæmoniis per Battum trahunt originem. Varias de hac re sententias apud Solinum recitavimus. Cast. — *Mater equorum.* Pindaro etiam Pyth. IV, ut Dionysio, dicitur εὔιππος Κυράνα. Et Strabo, lib. XVII, p. 837, tradit eam a Theræis, Spartanorum colonis, conditam et ἱπποτρόφον ἀρίστην esse. Hinc equites et bigæ in Cyrenarum nummis frequentes.

198. *Populus:* sic L. C. B. Sed A. V. *proles* falso. Pap. *Urbis Amyclææ propter quam* Ve. *Urbis Amyclææ Battus quam* C. Vi. I. *Amyclææ proles* B. et T. *Amyclææ populus* A. Papii cum R. P. H.

199. *Post hæc* in nostris MSS. Huds. *vertunt.* Vide notas Pap. *post hos Ægyptia flumina vertunt* Ve. C. Vi. I. B. T. — *Ægypti ad flumina vertunt.* Sic C. B. optime. Langianus codex *Ægypti ad flumina vergunt.* Nec hoc male; sed *vertunt* præfero. Sic Virgilius: «Et septem gemini turbant trepida ostia Nili», quasi *se turbant.* Adjuvant et V. A. edendo « Ægyptia flumina vertunt » : vix enim dubitare debemus, quin ex *Ægypti ad* fluxerit *Ægyptia.* Pap. — *Ad flumina vertunt.* Codex Lovaniensis, qui est Langianus Papii, *vergunt* habet; cujus lectiones a Nic. Heinsio diligentius enotatas, et exemplari Prisciani Papiano adscriptas accepi. Defendit hanc lectionem adscripta adnotatione Heinsius, provocans ad vs. 378, 420, 717, 823; item ad Ovid. Fast. III, 793, et Heins. ad lib. I ex Pont. Epist. IX, 52. Sed *vergere* sic usurpari a poetis et ipso Prisciano, nemo negabit, et hoc loco *vertunt* Prisciano plurimi codices vindicant; atque ille pari ratione, ut hic, *convertens* usurpavit versu 378.

200. *Super sunt.* Nescio unde L. C. B. V. communiter scribant unica dictione *supersunt.* Pap. — *Gætulique super.* Hic progressus fit ad gentes Africæ mediæ, quæ supra vel ultra hactenus memoratas et maritimas habitant. Sic accipiendum est nostri *super*, et Dionysii ἐφύπερθε. Incipit ab occasu, ut cum maritimis fecerat v. 174. Et Gætuli sunt supra Mauros. Avienus, v. 321, *a tergo* esse dicit: « tergo Gætulia glebam Porrigit, etc. » — Et hic Avienus *Nigretes* appellat *Nigretas.* Ed.

201. In nostris MSS *Maurusia.* Huds. *Phaurusia tellus* omnes antiquæ præter C. et I. quæ habent *Phaurusia proles*, et græcis literis Φαυρούσια scribunt. B. et T. Wd. — *Phaurusia tellus.* Cod. Lov. et Est. habuit *Maurusia*, Dorvillianus *Mansuria*, Leid. *Marusia*: quæ monstra verum *Phaurusia* non evertunt. *Phaurusia proles*, quod aliquarum edd. est, factum a librariis videtur ad modum ejus, quod versu 175 aderat *Maurusia plebes*, et vs. 177, *Massylia proles*. Phaurusii a Stra-

Hanc habitant juxta Garamantes Debride clari,
Quæ superat cunctas urbs miro munere fontis;
Frigore qui noctis fervet calcfactus et umbris,
At solis friget radiis glacialis et igni.
Omnibus extrema populis clauduntur in ora
Æthiopes; Libyes ubi finit litora Cerne,
Oceanum nimio quæ pulsat sole calentem.
Nec longe fervent Blemyorum collibus agri.

bone, XVII, p. 568, et ab aliis *Pharusii* dicuntur. Mela, III, 10: « Deinde Pharusii, aliquando tendente ad Hesperidas Hercule dites: nunc inculti, et, nisi quod pecore aluntur, admodum inopes ». Plin. V, 8: « Pharusii jam Oceanum attingentes ».

202. *Debride:* sic L. C. B. Male A. V. *Debrite.* De hac urbe et fonte Solinus, Polyhistor. cap. 31. Pap. et *Debrite* omnes edd. — *Debrite.* De fonte hoc plura in adnotat. Solini, cap. 42, ex Plin. et aliis. Cam. — *Garamantes* a fontibus Cinyphi et circa *Gir* flumen usque ad montes, qui vallem Garamanticam faciunt, habitarunt. Præcipua Garamantum oppida Matelgæ et Garama a Plinio, lib. V, c. 5, laudantur, qui de Debride addit: « Debris adfuso fonte, a medio die ad mediam noctem aquis ferventibus, totidemque horis ad medium diem rigentibus ».

203. *Munere fontis.* Præter Plin. l. c. de hoc fonte agunt Solinus, cap. 29 edit. Salm. Augustinus, de Civ. Dei, lib. XXI, cap. 5, et ex eo Isidorus, Orig. XIII, 13.

207. *Litora* L. C. B. Male A. V. *litore.* Pap. Ex meis *litora* habent C. Vi. I. — *Cerne.* Cerne insula est contra sinum Persicum sita, adversa Æthiopiæ: cujus neque magnitudo, neque intervallum a continente constat, auctore Plin. lib. VI, cap. 31. Lego autem *litora* non *litore;* ut sit ordo: Æthiopes clauduntur in ora extrema omnibus populis, qua parte Cerne insula finit litora Libyes, quæ Cerne pulsat Oceanum calentem nimio sole. Cam. — De *Cernes* insulæ situ omnia incerta sunt. Noster, ut Plinius, loc. cit. contra Æthiopiam, versus meridiem, adeoque in orientali Africæ litore, collocat, ita quidem, ut pro insula ejus maris maxima, quæ *Madagascar* hodie dicitur, haberi possit. Sed plures alii veterum Geographorum, esse eam in Oceano occidentali, et Æthiopibus Atlanticis oppositam, crediderunt. Vid. Vossius ad Melam, lib. III, cap. 9. — Insulam quoque *Madagascar* esse opinatur Rutgersius, Var. Lect. lib. I, cap. 14, p. 62. Ed. — Avienus, v. 328, habet: « Terminus Æthiopum populos habet ultima Cerne ». Et Dionys. v. 219, Αἰθιοπῆες... πυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης. Ed.

208. *Calentem* omnes meæ antiquæ: sed *cadentem*, fortasse ex errore, dedit Antverpiensis Papii et R. Wd.

209. *Blemyorum agri.* Blemyis, ut in primo scribit Mela, capita absunt. Os enim et oculos habent in pectore; lege Plin. V, c. 8; Solin.

Hinc fluvii pinguis descendunt flumina Nili
Partibus a Libycis; qui, currens solis ad ortus,
Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur:
Versum cultores Nilum dixere Syenes.
Hinc Boreæ currens ad partes flumine pingui,
Fertilis Ægypti terras fecundat opimas,
Septenoque ferit Pellæum gurgite pontum.
Non alius tantum fluviorum ditat arenas,
Atque trahens limum complectitur ubere campos.
Hic latis Libyen Asiæ disterminat oris;
Hæc ortus cernit, videt Austros illa calentes.
Hunc habitant juxta sapientum corda virorum,

c. 44; Strab. in ultimo; Augustin. serm. 37 ad Herem. hos se vidisse adserit. Avienus, v. 330, de Blemyis, « Corpore proceri, nigri cute, viscere sicci ». Vel si per synecdochen, tunc *nigri cutem* legendum est. Cam.

210. *Nili pinguis*. Nili originem, magnitudinem, inundationem, fertilitatem, ostiorum nomina scribunt Plin. V, cap. 9 et 10; Solin. cap. 45; Seneca, Natur. Qu. IV; Mela, I; Herodotus, II; Strabo, XVII; Ptolom. IV, cap. 5; Claudianus de Nilo. Longa est Achorei Ægyptii apud Lucanum, lib. X, de Nilo disputatio, « Finierat, contraque sacer, etc. » De Nili septem gurgitibus idem Lucan. VIII: « Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis ». Dictus autem Nilus quasi νέαν ὕλην, id est, novum limum trahens. Servius, ad Æn. IX, 30: « Ceu septem surgens, ... pingui flumine Nilus ». Cam.

214. *Hinc Boreæ currens*. Sic Papius ejusque asseclæ R. P. H. dederunt, eisque adstipulantur ex meis antiquis B. et T. Sed *Hinc currens Nilus* Ve. C. et I. et *Hinc Nilus currens* Vi. Quoniam sequitur *ad partes*, quod in hac lectione non habet, quo referatur, hinc, quod Papius edidit, *Hinc Boreæ*, rectum videtur. Wd.

216. *Pellæum pontum*, id est, Ægyptium ad Alexandriam, quia Alexander, urbis conditor, Pellæus juvenis poetis dici solet, a Pella, urbe Macedoniæ, quæ natalibus Philippi Macedonici et Alexandri nobilis est.

220. *Videt Austros illa calentes*. Dicit Libyam ad meridiem disterminari ab Asia, sed Avienus, vs. 350, ad occidentem, *axe Favoni Secernens Libyam*. Utrique græco ἐς Λίβα convenienter. Nam Λὶψ est ventus ab occasu brumali flans inter Austrum et Favonium, de utroque participans, ita dictus, quod a Libya spiret, qua ex ratione et Africus Latinis dicitur. Sic describitur in carmine de Ventis, quod num. 114 libri V Anthologiæ Lat. legitur, vs. 24, quod ipsi inter carmina geographica ponemus.

221. *Sapientum corda*. Scribunt

Disposuere vias qui vitæ mente potenti;
Et primi dederant sulcos et semina terris,
Obliquos solis tractantes pectore cursus.
Horum telluris fines nunc carmine dicam,
Et formam, celebrat quam gloria magna per orbem.
Hæc igitur latis diffusa patescit in arvis
Fertilis, et superans alias pinguedine glebæ.
Marginibus laterum formatur at undique ternis:
Lata quidem Boreæ sub litore tenditur oris;
Ast ortus angusta petit summamque Syenem,

Plato, Aristoteles, Herodotus, Strabo, Eusebius, Cicero, Macrobius, Augustinus, ac reliqui, veteres Ægyptios sapientissimos, ac scientiarum plurium inventores fuisse; a quibus et Græcos profecisse certum est. Ceres præterea Ægyptia prima, araudi, seminandi, moleudi, panem ex tritico facieudi artem reperit. Diodor. primo et sexto voluminie, et Plin. VII, cap. 56. Ipsa quoque prima leges instituit. Vid. Ovid. Met. V, 341: « Prima Ceres, etc. » In Avieni versu 356: « Tellurem docuit, cædeusque a partibus æthram », ut carmen stet. Et v. 360 infra lego sic: « Aspera nunquam Culmina consurgunt, portus cavat unda frequentes », non *ora*. Item v. 363: « Præ cunctis stupeas, speciesque modosque ». Cam.

222. *Disposuere vias vitæ*, id est, omnem vitæ commode degendæ rationem docuerunt. Ægyptum « matrem artium » vocat Macrob. Saturn. I, 15.

223. Jo. Schraderus in schedis legi vult *dederunt* e cod. Leid. Wd. — *Et primi dederant sulcos*. Sic Tibullus arationis inventionem, sationem arborum et vitium Osiridi Ægyptiorum tribuit lib. I, 7, 29: « Primus aratra manu solerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum, etc. »

224. *Obliquos solis cursus*. Mercurius Ægyptius primus astrorum cursus observavit. Diodor. I et II; Gell. Noct. Att. XVIII. Item cæteri. C. — Sed hoc forte de Chaldæis verius. Ed. — *Obliquos solis cursus*. Macrob. S. Scip. I, 21: « Ægyptii, quos constat primos omnium cælum scrutari et metiri ausos, deprehenderunt cum sole et luna quinque stellas vagari, nec has tamen sine certa erroris sui lege discurrere,... sed intra unius obliqui circi limitem omnes habere discursus, etc. »

228. *Glebas* in uno MS. Huds.

231. *Ast ortus angusta*. Falsum hoc mihi videtur, Ægyptum, cujus latior pars maritima ad Boream est, angustam esse versus Orientem: nam pars ejus acutior, sicut Syene, ad quam procedit, omnino est australis vel meridialis. Hoc animadvertens Eustathius ad Dionysii versum 243, ἐπ' ἠῶ, quod ibi dicitur, non Orientem designare censet, sed Auroram σωματικῶς acceptam, pro matre Memnonis, quæ apud Æthiopes, ad quos usque angustior pars Ægypti tendit, colebatur, et cui

Qua celsi mediam montes utrimque coercent,
Irrigui per quam descendunt flumina Nili.
Hanc habitant homines multi, pariterque opulenti;
Qui veteris claræque colunt sub mœnia Thebes,
Quam perhibent centum portas habuisse priores,
Filius Auroræ Memnon qua regna tenebat.
Hic sunt et septem mediis in finibus urbes;
Quas celebrat totum discurrens fama per orbem :
Et quicumque maris vivunt prope litora vasti,

Thebis, urbe australi Ægypti, simnlaerum erat positum, teste Plinio, XXXVI, 7. Hane rationem Avienus et Priscianns non intellexerunt, atque igitnr ille versu 365 *lucem Eoam*, hie *ortum* nominavit. — Sed Holstenius ibi meridiem pro ἠῶ intelligit, adnotante Schradero ad Avienum. Ed.

232. *Qua celsi mediam :* sic L. C. B. rectius *quam* A. V. *quam*. Pap. et habent C. I. B. et T. sed *Quam celsi media* Ve. et Vi.

236. *Centum portas*. Sumpta ex Homero, Iliad. IX : « Cui eentnm, inquit, portæ, portarum qnaque ducenti Sublimes in equis homines, et turribus errant ». Plura de hae urbe Diodor. lib. II; Strabo et alii, ubi supra. Hæc postea Diospolis dicta est, id est, Jovis urbs. Cam.

237. *Memnan qua regna*. Memnonis, Auroræ ac Tithoni filii, historiam, quoniam alibi compluscula de eo dictavimus, lege apud Diod. Siculum, III, et Strab. XV. Multa Naso, Met. XIII, 577 : « Non vacat Auroræ, etc. » Cam.

238. *Septem nrbes*. Intelligit Saim, Memphim, Syenen, Bnbastin, Elephantiden, Theben, et in litore Alexandriam, auctore Mela, lib. I; Plin. V, cap. 10. In Avieno, v. 372, lego, « Ast modus est olli »; et versu 376 lego, « Templa Sinopæi Jovis hie stant nixa colnmnis », ne versus elaudicet. Quid si legatur « Templa Sinadæis Jovis, ete. » De *Sinadæo* marmore passim omnes. Prima eastigatio græco eodiei conformior. De hoc antem Alexandrino templo plura Rufinus, cap. 23, et inde Ecclesiasticæ hist. lib. XI. Priscianus plura hie præteriit. Cam. — *Septem mediis in finibus urbes*. Describit Heptapolin, mediam partem Ægypti, quam a Thebaide et illa, quæ ad mare vergit, sive Delta, distinguit. Nempe Dionysius, v. 251, Ἑπτάπολιν μεσάτην ἤπειρον, *mediam continentem*, dicit. Ptolemæo eadem vocatur Heptanomis, a septem nomis sive præfecturis, quæ secundum Plinium, lib. V, eap. 9, erant septem oppidorum nobilium. Qui a Ptolemæo euumerantur septem nomi, snnt Memphitis, Heracleotes, Arsinoites, Aphroditopolites, Oxyrynchites, Cynopolites, et Hermopolitanus, a totidem urbibus nominati. Camers, qui hie septem urbes Ægypti universæ nobiliores nominavit, mentem auctoris non satis perspexit.

240. *Litora vasti* L. C. B. sed A. V. *vasta* Pap. *vastu* omnes antiquæ.

Qua lacus est ingens liquidæ Serbonidis undæ.
Ad cujus Zephyrum Macetum sunt mœnia regis;
Et Pharos Idothees scopuli Pallenidis alti.
Post urbs sub Casio Pelusi vergit ad ortum;
Navigiis populus duris quam possidet aptus.
Non tamen est Libyes ponendus finibus iste:
Scilicet Eoas Nili qui continet oras;
Nili, quem circum floret mirabilis arbor,
Exstinguitque sitim pomo, cui nomen Adipsos.
  Hæc facies Libyes: hic claudit terminus illam.

241. *Serbonidis undæ.* Codex Lovan. seu Lang. hic habebat *Tritonidis undæ*, cum glossa *Serbonidis.* Sed hoc fortasse e versu 253 huc irrepsit: nec vero debet Tritonis lacus temere cum Serbonide confundi. Est autem Serbonis, vel Sirbon, uti Stephanus dicit, palus ingens in Ægyptii et Palestinæ confiniis, in ora maris Syriaci, inter Casium et Pelusium.

242. *Macetum:* vide notas. Pap. Sic ex antiquis sola Ve. reliquæ habent *Macedum.* Ego *Macetum* teneo, quod *Macedum* pro corrupto habendum, et *Macetum*, tamquam verum et genuinum, plurimis Ausonii et Claudiani locis vindicarunt Scaliger et Heinsius. Wd. — *Macetum.* Ita L. C. B. V. quum hic, tum inferius versu 433, pro quo edere maluit Aldus *Macedum.* Ego tamen illam scripturam genuinam habeo: et Macedones appellatos fuisse Macetas suspicor, ex his Eustathii verbis, scholio in Dionysium 60: ἦν δέ τις μοῖρα Μακεδονίας Μακέτη λεγομένη, ἐξ ἧς καὶ ἡ Μακεδονία Μακετία ἐλέγετο. Pap. — Et item genuinam esse lectionem *Macetum* demonstrat Burm. Anth. Lat. t. I, p. 189 in notis ad epigr. de Julio Cæsare, ubi Alexander dicitur *Macetum juvenis ferox.* Ed. — *Mœnia regis.* Plura hic prætermisit poeta, quæ Dionysius et Avienus scribunt. Cam. — *Macetum mœnia regis*, Alexandria urbs. Dionysius unde Μακεδόνιον πτολίεθρον vocat.

243. *Idothees Pallenidis.* In Pharo Ægypti urbe eminens scopulus est, in quo Idothea, Protei filia, ex Pallene Macedoniæ civitate oriunda, sepulta est, a qua et nomen habet. Quo in loco ingens turris erecta postea, e qua facibus accensis nocturna dirigitur navigatio. Cam. — *Idothea* Protei senis marini filia ab Homero celebratur, Odyss. lib. IV. Ejus sepulcrum in Pharo insula fuisse Eustath. scribit.

245. *Navigiis duris aptus*, h. e. navigandi peritus. *Navigium* pro navigatione, more sequioris latinitatis, ut *tempora navigii* vidimus apud Rutil. I, 541. *Dura* navigatio, i. e. laboriosa dicitur, ut infra, vs. 612, *duri nautæ.*

249. *Exstinguitque:* sic L. C. B. Male A. V. *Exstinguit quæ.* Id nimirum non viderunt, qui deesse hic quædam, quæ Dionysius habet,

Sunt tamen huic aliæ gentes, quæ litore summo
Tethyos, aut mediis habitant telluris in arvis,
Et gratas circum ripas Tritonidis undæ.
Hic lapis, heeliotropius qui nomine vero

viderant. Pap. — *Adipsos*. Hæc arbor a siti uomen sumpsit, quasi sine siti, i. e. sitim tollens, de qua Plin. XII, cap. 23, et XXII, cap. 9. Cam. — *Nomen Adipsos*. Solinns, e quo habet Priscianus, cap. 32 edit. Salm. de ea arbore sic refert: « Palma qnoque Ægyptia dicenda res est: proprie Adipsos vocatur, ut dici oportuit eam, quæ gustata arcet sitim. Odor ei idem, qui et malis Cydoniis; sed demum sitim sedat, si prius quam maturuerit, decerpatur: nam si matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit, linguam retardat; obsessisque officiis mentis et corporis vitium facit ebrietatis ».

251. *Huic aliæ* L. C. B. Corrupte A. V. *hie*. Pap. *hic* etiam antiquas meas obsedit.

253. *Gratas ripas Tritonidis*. Hoc propter Minervam ibi genitam, ut alibi adnotavimus. Cam. — De *Tritonide* lacu in regione Syrtica Africæ Mela, lib. I, cap. 7: « super hunc (sinum Syrtis minoris) ingens palus amncu Tritona recipit, ipsa Tritonis: unde et Minervæ nomen inditum est, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant ». Describunt etiam Lucan. IX, 347 seqq. et Silius, III, 322 seq.

254. *Hic lapis heeliotropius*. Hæc e Solini cap. 29 post medium desumpta sunt. Vide notas. Pap. Hunc versum, uti nos, exhibent antiqua Ve. C. Vi. et I et sequente versu ponunt *Dicitur, convertit*. Sed *heliotropius est* scribunt et seq. versu *Dicitur, invertit* B. et T.—A. *Hic lapis heliotropius est qui nomine vero Dicitur, invertit:* nec dissentiebat L. præterquam quod pro *invertit* habet *hic vertit*. C. B. *Hic lapis heliotropius qui nomine vero Dicitur est, vertit:* nisi quod B. *heliotropium* scribit. V. *Hic lapis heliotropius qui nomine vero Dicitur, convertit.* Quidquid horum amplectaris, non potes, quin peccari in quantitatem vocis *heliotropius* admittas. Ego C. B. sum sequutus, quibuscum et V. toto priore versu convenit. Vocem autem *heliotropius*, *e* duntaxat elemento addito, ita immutari video, ut in hexametrum carmen commodissime recipiatur: si nimirum *heeliotropius* scribatur, tamquam e græco ἠελιοτρόπιος. Nam si Græcis licet nunc ἠέλιος, nunc ἥλιος, ut quoque loco commodum est, efferre; quidni et nobis liceat, dum Græcis utendum est, græcam in iis libertatem usurpare? Librarios quidem nihil facilius, quam geminatum *e* (si modo Prisciano ita placuit) latere potuisse, quis non videt, consueta vocis ejusdem orthographia deceptos? Sequenti versu sive quis *invertit*, sive *est vertit*, sive, ut L. *hic vertit* legat, non contendam. Pap.—*Heliotropius*. De hoc lapide, qui ab effectu sic est denominatus, scribunt Solinus, cap. 40, et Plin. lib. ult. cap. 10. Multa Albertus, II, cap. 5 Mineralium, sed in nomine decipitur, eam Elio-

Dicitur, est; vertit radios nam solis, in unda
Si quis eum fusa labris immergat ahenis,
Sanguineique rubens resplendet luce coloris;
Purior at soli renitet nudatus ab undis.
Si placet Europes quoque me tibi dicere formam,
Haud taceam: similis Libyæ est; sed vergit ad Arctos;
Finibus et pariter distentis pergit ad Ortus.
Linea namque Asiæ similis disjungit utramque:

trophiam nominans. Cam.—*Hic lapis*. Hoc voluit, heliotropium lapidem in aquam missum solem sanguineum repercnssu ostendere, extra aquam purius reaitere, et solem pnrum exhibere. Huds. In codice Leidensi *heeliotropius* exstat totidem literis, ut conjecit Papius. Notavit Scbraderus in scbedis: igitur sic scribendum. Editi nonnulli *est* tantum metri implendi caussa adposuerunt. De heliotropio sic Solinus, c. 27 Salm. « De gemma heliotropio inter Æthiopiam, Africam, Cyprum certamen fuit, quænam mitteret generis hujus eminentissimam. ... Canssa hujus nominis de effectu lapidis est et potestate. Dejecta in labris æneis radios solis mutat sanguineo repercnssu, extraque aquam splendorem aeris abjicit, et avertit».

257. *Sanguineaque:* sic C. B. sed L. A. V. *sanguineique*. Pap. Et *sanguineique* habent omnes libri mei, idque ipse præferendum duco.

258. *At soli:* L. B. *sole*. Pap. Ex meis C. babet *sole*, et *ad solem renitet* I. — Post hunc versum in MS Lovan. scriptum est Explicit Lib. I. Incip. II.

259. *Si placet Europes*. De Europa scripturus, prius summatim et modo universali eam explicans, describit ejus formam et terminos. Quam teste Plin. quia altrix victoris omnium gentium populi, longeque terrarum pulcherrima, plerique merito non tertiam partem fecerunt, verum æquam, in duas partes, ab amne Tanai ad Gaditanum fretum, universo orbe diviso. De eo scriptores suis locis convenientius citabuntur. Cam.—*Tibi dicere* L. C. B. Absnrde A. *nunc dicem*, sed operarum vitio V. enim habet *nunc dicere*, falso. Pap. *me nunc dicere* est in omnibus meis. Sed magis placet *me tibi*, quia sic solet Priscianus proponere. Vid. infra v. 343, 834, et supra v. 160.

261. *Pariter*. In Avieni v. 408 lego sic: « Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique », ut sit sensns, utrique, sc. Europæ et Libyæ, est simile principium, sicut est similis finis. Et parum supra v. 405 *Qualis nux*. Cam.

262. *Linea namque Asiæ*. Lineæ et fila dicuntur geographis et poetis limites, fines, qui partes aliquas terrarum orbis discernunt. Lineam dici de horizonte, item de circulo æquinoctiali et solstitiali, docet Salmasius ad Solin. p. 465. Sic inprimis Avienus de æquinoctiali, Phænom. vs. 995: « ingenti se tramite linea tendens Dividit ima Noti, discernit et alta Aquilonis ». Confer infra v. 614 et notam. Ed. — Avien. 401: « Ambæ Asiam rursum simili sub limite tangunt ». Ed.

Hæc Notias spectat partes, Aquilonis at illa.
Ast ambas unam si terras esse putemus,
Adsimulent conum laterum compagibus æquis,
Cujus ad occasus est summum, lata sub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoscitur arte.
Ad cujus summum, prope metas Herculis alti,
Magnanimæ gentes, dederat queis nomen Iberus,
Ad spatium multum terrarum rura colentes,
Oceanum Boreo contingunt frigore durum;
Scrutanturque decus pulchrum sapientibus auri,
Quos tamen haud maculat præsens, nec dejicit absens.

265. In MSS nostris *Adsimulant*. Huds. — *Assimulent conum*. Europa divisim sumpta dimidiato cono similis est; cum Africa simul cono toti similem dicit. Terra enim tota (ut ante exposuit), « Arctatur rapidos cursus ad solis utrimque Adsimilis fundæ ». Cam.

268. *Ad cujus summum*. Malim legere *summam*, quomodo sæpius vocare solet caput vel extremum terræ. Et v. 174 *summam Libyen* dicebat de eadem regione. — *Metas Herculis*. Versu 73 supra pauca de his metis sunt adducta. Qui plura cupiunt, adeant Diodorum, lib. V, qui hæc fabulamenta affatim explicat. Cam.

269. *Magnanimæ gentes*. Florus, II, cap. 6 : « Bellatricem illam, armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium, etc. » Plura Strabo, lib. III; Plin. III, cap. 1; Solin. cap. 36; Mela, lib. II; Justin. lib. ultimo. Plura Ptolom. II, c. 4 et 5. Silius, III : « Nec non totus, etc. » Claudian. de Laud. Serenæ : « Quid dignum memorare tuis, etc. » Hispania, inquit Ptolom. II, cap. 2, quæ apud Græcos Iberia dicitur, tres regiones habet, Bæticam, Lusitaniam, Tarraconensem. Cam.

272. *Scrutanturque* L. C. B. apertum vitium est in A. V. *scrutaturque*. Pap. Id vitium etiam in Ve. C. et I. — *Scrutanturque decus auri*. Astures intelligit, de quibus, ut loco huic attinet, sic in primo Silius, « Sed scelerum causas operit Deus : Astur avarus Visceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro ». Cam.—*Pulchrum sapientibus*. « Divitiis nullis sapiens nec frangitur auro. Omne suum ad finem dirigit auctor opus ». Parvi animi est amare divitias. Nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere si non habes, si habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Auctor Cic. Offic. primo. Hæc duo carmina non habentur in græco. Camers.

273. *Nec dejicit absens*, non affligit, timidos, humiles reddit. Plenius dixit Cicero *de gradu dejicere* Off. I, 23, 5 : « Fortis vero et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur ».

Qua sunt Germani bellaces atque Britanni,
Saltibus Hercyniis Germania subjacet atrox.
Hæc tergo similis taurino dicitur esse,
Et pascit volucres, mirum, fulgentibus alis,
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.
Pyrrhenes sequitur mons : post hunc Celtica tellus,
Eridani fontis contingens rauca fluenta.
Hic Phaethonta suum charæ luxere sorores :
Hic electra legunt alnis stillantia Celtæ,

274. *Quà sunt.* Incipit eam Europæ partem describere, quæ ad Septemtrionem porrecta est. De qua Plin. lib. IV; Strabo, lib.VII. Item cæteri. CAM.

277. *Et pascit.* Vid. Solinus, c. 22, in principio. Pap.—*Pascit volucres.* Quæ de his avibus hic dicuntur, sumpta sunt ex Plin. X, cap. 47, et Solin. cap. 32. Vocantur autem hæ aves, si Alberto credimus, Lucidiæ, quoniam, inquit, pennas habent noctilucas, quibus projectis vias demonstrant, et ideo nomen hoc acceperunt. CAM. — *Et pascit volucres.* De his Solinus, cap. 20 : «Saltus Hercynius aves gignit, quarum pinnæ per obscurum emicant et interlucent, quamvis densa nox denset tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, præjactisque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium ». Conf. Plin. lib. X, cap. 47.

279. *Post hunc* L. C. B. et lex carminis. In A. V. *post hunc est.* Pap. quomodo et in Ve. — *Pyrrhenes sequitur.* Pyrenæos Antiqui non solum vocabant montes, qui Galliam ab Hispania separant, sed etiam montem Germaniæ prope silvam Hercyniam, Pyrenen nomine, ex quo fluere Danubium dicebant. Hodie Germanis dicitur *Brenner.* Quod post hæc Celtarum et Eridani fit mentio, hoc inde interpretantur nonnulli quod Veteres sæpe Rhodanum cum Eridano confuderunt. De quo vid. Cluver. in Germania ant. III, cap. 34, pag. 635.

280. *Eridani fontis.* De Eridano, qui et Padus dicitur, abunde Plin. lib. III, cap. 15, et Solinus, cap. 8. Quæ de Phaethonte et ejus sororibus, quæ Heliades dictæ sunt, hic dicuntur, scribunt Ovid. Metam. II; Virgil. Æn. X; ibi *Namque ferunt,* etc. Diod. Sic. lib. VI, ubi docet, cur creditum sit, electrum apud Eridanum provenire : faciunt, quæ de electro scribit Plin. XXXVII, cap. 2. Multa apud Solin. cap. 33 adnotavimus. CAM.

282. *Alnis stillantia.* Heliades in alnos mutatas Priscianus, forte Virgilii exemplo, prodit, qui Ecl. VI, 62 : «Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ Corticis, atque solo proceras erigit alnos». Sed alii mutatas in populos dicunt, ut Ovid. Pont. I, 2, 33; Val. Flacc.V, 430. In larices mutatas esse significare voluit Accoleius Lariscolus in num-

Succina quæ memorant, mellis vinive colore;
Quæ paleas rapiunt tractu frondesque caducas.
Post hos Tyrrheni, quos juxta solis ab ortu
Incipiunt Alpes; quibus exit gurgite vasto
Oceani rumpens glacialis litora Rhenus.
Hunc prope consurgit fons Istri flumine longo;
Qui poscens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino:

mo Romano, quo tres Phaethontis sorores effrutescentes signatæ sunt. Prodit idem Pallad. lib. XII, c. 15.

283. *Mellis vinive colore.* Hæc Priscianus e Solino addidit, qui cap. 20 Salm. de succino: « Pro facie habet nomina: mellenm dicitur et Falernum; utrumque de similitudine aut viní, aut ntique mellis. In aperto est, quod rapiat folia, quod trahat paleas ». Atque hæc hausta e Plinio, lib. XXXVII, cap. 3, s. 12.

284. Pro *tractu* ex meis Vi. habet *tactu*, quod fortasse melius est. Wd.

285. *Post hos Tyrrheni.* Qnod Tyrrheni infra rursus vs. 349 in Italia nominantur, et hic alieno loco positi videntur, Holstenius ad Steph. de Urb. versnm Dionysii 294 male insertum a librario putat. Atque eum cum dnobus præcedentibus Avienus non transtnlit. Vide versnm ejns 428. — Plane tamen apud Dionys. differre videntur Τυρσηνὶς γαίη v. 294, et Τυρσηνοὶ ἄνδρες v. 349. Ed.

286. *Alpes.* De Alpibus et Alpinis populis multa Plin. III, cap. 20. Sil. III, « Conspectæ propius, etc. » Ibidem de Rheno Germaniæ fluvio, etc. lib. IV, cap. 15, ponit nomina duorum ostiorum ejus. Et Claudianus, XXVI, de Bello Getico, 330: « Prominet Hercyniæ, etc. » C.

288. *Fons Istri.* De Istri flnminis, qui et Danubius dicitur, ortu, ostiis, magnitudine, plura adnotavimns ex Soliui cap. 23; Plin. IV, cap. 12; Strab. VII. Claudian. ubi supra. Val. Fl. VIII, 291: « Haud longis jam distat aquis, etc. » Cam.

289. *Ortus:* sic L. C. B. pulcherrime. In A. erat, *ortum Euxini percurrit in undas*, ab emendatoribus lectione corrupta. Nam V. bona fide vitium repræsentabat, sic, *ortus Euxini pervenit in undas.* Pap. Cum V. Papii convenit mea Ve. Lectionem Aldinæ servat B. et T. *ortus Euxini pergit in undas* I. rectam a Papio receptam firmant C. et Vi.

290. *Irriguam Peucen.* Peuce insula Mysiæ inferioris inter dextima duo ostia Istri: recentioribus Geographis *Barillana*, aliis *Pisina*. Eam describit Val. Flacc. VIII, 217: « Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine Nymphæ, Torvus ubi et ripa semper metuendus utraque In freta per sævos Ister descendit Alanos ». Et Claudian. IV Cons. Hon. 630: « Corporibus premitur Peuce: per quinque recurrens Ostia, etc. » — *Gurgite quino.* Sic de Nilo supra vs. 216 *septeno gurgite.* Quinque ostiis exire Istrum facit cum Dionysio Priscianus, quomodo et Claud. l. c. et de Bell. Get. 337: « Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite ». Plerique tamen Nilo

Cujus ad Arctoas est partes barbara tellus,
Innumeras gentes gremio complexa reducto,
Cui finem faciunt Mæotidis ostia vastæ.
Hinc sunt Germanique truces, et Sarmata bellax,
Atque Getæ, nec non Bastarnæ semina gentis,
Dacorumque manus, et Martia pectora Alani,
Atque Dromon Tauri retinentes fortis Achilli
Angustum et longum, Mæotidis ostia juxta.

comparant et septemplicem vel septem geminnm dicunt, ut Ovid. Trist. II, 189; Val. Flacc. IV, 718, et VIII, 185. Sed ipso studio comparandi cum Nilo videntur quinque ejus majora ostia in quædam minora esse fissa. Mela, II, 1, 75, docet, « totidem, quot Nilus, ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilem effluere ». Snnt etiam, qui sex ostia attribuant.

291. *In arctoas* C. B. *ad arctoas* Pap. *in arctoas* Ve. C. I. B. T. *ad Arctoas* Vi. Hoc amplector, quia hic Prisciani mos loquendi est; vid. vers. 214.

294. L. *Hic*, uec male. *Hinc* autem pro ab hac parte, boreali nimirum, hoc loco accipiendum. Pap. In uno MS *Hic sunt*. Verum *Hinc* accipiendum pro *hac parte*. Huds. Ex meis Vi. et I. habent *Hic*, sed reliquæ *Hinc*. — *Germanique truces*. Germanis cæterisque Septemtrionalibus populis perpetuo epitheto feritas, truculentia, ferocitas tribuitur. Avieu. 422: « Gallorumque truces populi ». Rursus, 442, « Sarmata, Germani, Geta, Bastarnæque feroces ». Claud. ubi supra, « Germania quondam Illa ferox, etc. » E diverso Meridionales, et qui loca fervida incolunt, populi timidi, ac imbelles plerumque sunt. Hujus caussam, quoniam brevitati studemus, lege apud Aristot. Problem. sect. 14. De his autem locis ac populis Plin. IV, cap. 12; Strab. VII; Mela, II; Solin. cap. 23 et seqq. Ptolom. II, cap. 10, III, cap. 5 et seqq. Herod. IV; Lucan. III; Corn. Tacit. Germanos in quinque genera partitur Plinius, IV, cap. 14. Germaniæ mensuram idem ostendit, eodem lib. IV, cap. 13. Spartianus scribit Getas eos esse, quos Gothos alio vocamus nomine. Cam.

295. *Atque Getæ* L. C. B. V. Sed A. *At quod* operarum vitio. Pap.

296. *Dacorum manus*. Græci, teste Plin. lib. IV, Dacos Getas dicunt, nunc, ut quibusdam placet, Valachi nominantur. Ea autem regio, quæ modo Dacia dicitur, Veteribus Chersonesus dicta est. Camers. — *Alauni* C.

297. *Dromon* græcis literis scribunt B. et T. Wd. *Achillis* Vi. reliquæ *Achilli*. — *Dromon Achillis*. Locus est in his terris, in quo Achilles cum suis, quum maris tempestate tenerentur, cursum, vitandi otii caussa, exercuit. Meminerunt Plin. IV, cap. 14; Mela, II, in princ. Strabo, VII; Ptolom. III. Locum depingit Ptolom. tab. octava Europæ. Cam. — *Atque Dromon Achilli*. Dromos Achillis est insula maris Euxini, vel potius peninsula, quæ et Achillea dicta, non procul ab

Hos equites supra celeres funduntur Agavi;

ostio Borysthenis, bodie *Fidonisi*, ad formam gladii in transversum porrecta. Sic dicta, ut Eustathius perhibet, quia Achilles illuc usque Iphigeniam a Diana ex Aulide in Scythiam raptam, ne immolaretur, est persequutus. At aliam rationem nominis dedit Mela, lib. II, 1, 52, quam vide in Camertis not.

299. *Funduntur Alani* dedit Papius. In MSS nostris (aliisque quibus Papius usus est) *Agavi*. Huds. *Agavi* habent Ve. C. Vi. I. P. *Alani* B. T. A. R. — *Funduntur Alani*. Sic A. nec differebat L. Cæteri codices C. B. V. habent *Agavi*: quæ scriptura cum quibusdam exemplaribus Græcis facit, quæ versu 308 legunt φῦλον Ἀγαυῶν· ut credibile sit perantiquam eam varietatem Græcorum codicum esse, etsi ab Eustathio non agnoscitur. Nam Priscianum existimo, ut quod sentio eloquar, *Agavi* non *Alani* scriptum reliquisse: tanti apud me est duorum illorum MSS auctoritas. Langiano quidem plurimum etiam, ut meretur, tribuo: sed nimirum, quoties variare adnotatum est; nam omissumne aliquid aliquando fuerit, scire non possum, quum aliena fide, ut admonui, exemplar hoc citem. Pap. — *Funduntur Agavi*. Non lego apud alios in his locis Agavos populos. Græcus codex habet supra jam dictos populos esse Alanorum gentem multequam, hoc est, equis abundantem. Videtur ergo legendum *celeres funduntur Alani*. Quid si *Arii* legatur ex Lucani libro III: « Substringens Arimaspe comas: hinc fortis Arius ». Cam. — *Funduntur Alani*. Præter libros scriptos et excusos plurimos a Papio meque in V. L. indicatos, etiam codices Lovan. Leid. et Dorvill. habent *Agavi*: quæ igitur lectio magna se auctoritate tuetur. In vulgatis quidem Dionysii vs. 308 est φῦλον Ἀλανῶν, eamque lectionem agnoscit Eustathius: sed quosdam ibi legere Ἀγαυῶν, testatur Papius in notis, nec probabile est, Dionysium, qui quarto abhinc versiculo Alanos jam nominaverat, bis illud nomen posuisse; nec Avienum videmus eorum nomen repetere. Certe Priscianum olim apud Dionysium legisse φῦλον Ἀγαυῶν codicum vett. scriptorum et impress. consensus, tum et græca quædam exemplaria docent. Unde miror, Papium, quod verum ipse existimabat, non edidisse. Camertem non mirum est veterum edd. lectione *Agavi* offensum esse, quia in græco vulgato *Alani* reperiebat, et rationes a nobis adductas ignorabat; nec tamen ille ausus est *Agavi* e textu ejicere. Cæterum hic Agavorum populus obscuræ famæ, nec fortasse ibi Dionysio satis notus est, quia apud Homerum, qui Iliad. XIII, 5, Ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν conjungit, dubium est, Agavi an Hippemolgi proprium populi nomen sit. Et Dionysius distinxit utrosque. Quando autem Agavos dicit πολύϊππους, nihil aliud eo nomine, quam quod Homerus, indicare videtur, multos equos pascere, quod lacte equino vivant: atque hinc Priscianus parum accurate interpretatus est *equites celeres*. — Et hoc confirmat quod Dionys. qui, v. 305, ubi ἀλκήεντες Ἀλανοί, robustos Alanos nominat, non verisimile est iterum de Alanis alio respectu mentionem fecisse. Ed.

Atque Melanchlænum populus metuendus in arcu.
Post Hippemolgi sunt, Hippopodesque potentes,
Atque Gelonus, cum Neuris, pictique Agathyrsi :
Hic ubi descendit porrecta Borysthenis unda,
Euxinumque subit Criû prope tracta metopon.
E regione jacet locus hic Symplegados arctæ.
Hic sunt Aldesci quoque, Panticapique fluenta :

300. *Melanchlænum.* A nigro et atro colore, quo sunt induti, nomen habent. Hi sagittas veneno tingunt. Lucan. III, 267 : « tinxere sagittas Errantes Scythiæ populi ». Ovid. ex Ponto, IV, 7. In Avieni versu 444, lego, « Taurisci Scytha », a monte Tauro, cujus incolæ Tauroscythæ nuncupantur, ut Plin. IV, cap. 12 ; Solin. cap. 34 ; Pompon. lib. I adserunt. Cam.

301. Alii *Hippomolgi.* Huds. sic ex meis I. et T. *Hippemolgi* Ve. et B. *Hippemologi* C. et Vi. — *Hippopodes.* Populi sunt insulares, pedes equinos habentes : de quibus Plinius, IV, cap. 13. Cam.

302. *Atque Geloni :* sic L. A. V. Sed C. B. *Gelonus*, nec male. Pap. *Gelonus* in MSS nostris, aliisque. Huds. Idem *Gelonus* habent sex mei antiquiores : *cum nervis* C. *Geloni* A. R. P. — *Pictique Agathyrsi.* Hoc e Virgilio expressit, Æn. IV, 146. Agathyrsi populus Scythicus, quos Maro dicto loco ad Hyperboreos, qui θεωρίας seu legationes sacras ad Delios mittere solebant, retulisse videtur, judice Heynio, Exc. II ad Æn. IV. *Picti* autem vocantur, ut Geloni, qui iis conjunguntur, Georg. II, 115, ob rationem, quam Solinus, cap. 15, profert : « Gelonis Agathyrsi collimitantur, cærulo picti colore, fucatis in cærulum crinibus ; nec hoc sine differentia : nam quanto quis anteit, tanto propensiore nota tingitur, ut sit indicium humilitatis minus pingi ».

303. *Borysthenes*, qui hodie *Nieper* vel *Dnieper :* olim Naparis ab Herodoto.

305. *Symplegados arctæ.* De his insulis Plin. IV, cap. 13. Val. Flacc. IV, 637 : « Omnibus extemplo ». Lucan. II, 338. Ovid. Metam. XV, 718 : « Undarum sparsas, etc. » C.

306. *Aldesci* A. V. Sed L. C. B. *Ardisci*. Pap. In MSS nostris *Ardisci* Huds. *Aldesti* Ve. et I. *Aldesci* reliqui. — *Aldesci*, quod in græco est, habent pleræque veteres edd. sed *Ardisci* omnes scripti tum Papii, tum quorum ipse copiam habui, Estens. Lov. Leid. quæ igitur scriptura Prisciani esse videtur. Nam *Ardisci* nomen apud alios, præsertimque Herodotum, est : aliis fere ignotus fluvius. *Panticapes* item fluvius Scythiæ Europææ, quem Plinius, IV, 12, « Nomadas et Georgos disterminare » ait, et influere Hypanim ; Herodotus Borysthenem. Hodie dici *Przepets*, vel, ut alii, *Samara*, invenio in recentioribus. Qui vero Aldescum et Panticapen effundi in mare Glaciale, quod alias Scythicum, dixerunt, haud dubie falluntur, decepti fortasse verbis Prisciani nostri, qui misceri Ponti glacialibus undis subjicit. Nam ipse Dionysius versu 316 ha-

Dividui currunt Riphæis montibus ambo.
Immiscent qua se Ponti glacialibus undis,
Nascitur electrum præfulgens luce nitenti,
Mense solet primo qualis splendescere luna.
Hos adamanta legunt juxta fortes Agathyrsi.
Tot dirimit gentes Aquilonis partibus Ister.
Hujus ad australes terras, Gerrhæque feroces,
Noriciique colunt bellaces, Pannoniique,

bet πεπηγότος πόντου, quod etiam de Euxino valet, et ab Eustathio sic explicatur : πήγνυνται δὲ καὶ ἅλες παρὰ τῷ στόματι αὐτοῦ (Βορυσθένους) αὐτόματοι.

309. *Nascitur electrum.* Succinum intelligi firmat Plin. XXXVII, 11 : « Philemon fossile esse, et in Scythia erui duobus locis, candidum atque cerei coloris, quod vocaretur electrum : in alio loco fulvum, quod adpellaretur subalternicum ». Candidum hoc loco accipiendum esse, verba poetæ docent : talem ejus fulgorem dicit, qualis sit lunæ crescentis. Salmasius, Exerc. Plin. pag. 540, Eustathium notat, quod Dionysii verba ἤλεκτρος ἀέξεται οἵά τις αὐγὴ Μήνης ἀρχομένης, sic acceperit, quasi electrum augeatur cum lunæ sidere; et quod contenderit, per ἤλεκτρον non succinum significari, sed lapidem quemdam, sive calculum litoralem. Palam est, Eustathium verbis Dionysii, τὴν ἤλεκτρον cum lunæ splendore comparantis, inductum esse, ut lapidem quasi seleniten esse crederet, quem Solinus, cap. 37, describit. Simili tamen in opinione fuit Avienus, qui ἤλεκτρον de *nivea crystallo* intellexit v. 453, quam item in Scythia pretiosissimam nasci forte apud Solinum legerat : quem vide cap. 15.

311. *Fortes Agathyrsi* L. C. B. V. In uno MS *fontes*. Huds. *fortes* Vc. C. Vi. I. *algentes Agathyrsi* B. et T. — *Fortes Agathyrsi :* Aldus edit *algetes*, quum *algentes* edere constituisset, studio exprimendæ vocis græcæ ψυχροῖς Ἀγαθύρσοις· audacter, ut solet, genuina dictione loco mota. Papius. — Avienus, v. 455, « proceros Agathyrsos ». Ed.

313. *Gerræque* Vc. C. I. T. *Gerrhæque* Vi. B. — *Gerrhæ.* Gerrhus Scythiæ fluvius, qui Corcinen urbem attingit, et inter Basilidas et Nomadas evolvitur; vid. Plin. IV, cap. 12, et Mela, II, in principio. Hujus accolæ fluminis Gerrhæ dicti sunt. De Noricis, Pannoniis ac Mysiis lege Plinium, III, circa finem. Plura notavi apud Julium Solinum, cap. 34. Cam. — *Gerrhæque feroces.* Gerrhæ qui fuerint populus, nusquam invenio. Camers credit esse accolas Gerrhi Scythiæ fluvii, qui cum Hypacari flumine uno ostio in sinum Carciniten, ad isthmum Chersonesi Tauricæ, effunditur, de quo vid. Mela, lib. II, cap. 1. Sed hæc collocatio plane adversa est ei, quam Dionysius et Priscianus designant, qui Gerrhas Istro ad Austrum esse dicunt, simulque populos ejusdem situs, Noricos, Pannonios, recensent. Igitur vitium ali-

Et Mysi Thracum Boreis in finibus orti;
In quorum terris, quas ponti præfluit unda,
Ignipotens oleo commixto gignitur herba,
Medica cui nomen; cujus compescere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem pascit in illa:
Pulveris hunc jactus potis est exstinguere solus.

quod in nomine latere vix dubito, et quum alia ratio deficiat, amplector sententiam Tanaqu. Fabri, qui Epist. crit. 27 censuit, apud Dionysium non Γέῤῥαι, sed Ῥαῖτοι legendum esse. Sane Rhæti ob vicinitatem regionum Noricis, Pannoniis et Mysis conjungi solent, ut fit apud Solinum, cap. 21, atque eo loco, unde Priscianus narrationem, quæ sequitur, de oleo Medico petiit. Unde haud difficulter colligas, etiamsi rectum sit nomen Gerrhæ, Priscianum saltem id pro altero Rhætorum nomine habuisse.

315. *Et Mysi.* A. *Mœsi* nec dissentiebat L. adpellatione Latinis notiore. Pap. *Mysi* omnes mei libri.

316. Vide Solinum, cap. 13, in fine: *præfluit* L. C. B. rectius, quam A. V. *perfluit.* Pap. Et *perfluit* omnes meæ antiquæ: *præfluit* editores post Papium: *qua præfluit* cod. Est.

317. *Ignipotens:* quæ ignem alit et accendit.

318. *Medica herba.* Quod hic de hac herba scribitur, non ex Dionys. sed ex Solino, cap. 34, sumptum est. De Thracia copiose Plin. IV, cap. 11; Solin. cap. 15; Strab. VII; Mela, II, circa principium. Similia de Maltha et Naptha scribit Plin. II, cap. 107 et 108. Cam. — *Medica cui nomen.* Apud Solinum, cap. 21: « In Pontica est herba, qua inficitur oleum, quod vocatur Medicum». Perverse ideo Priscianus adpellat herbam istam Medicam, qua conficiebatur oleum Mediæ. Huds. Verba Solini sunt: « In parte Mœsiarum, quæ Pontica est, adparet herba, qua inficitur oleum, quod vocant Medicum. Hoc ad incendium excitatum si obruere aqua gestias, ardet magis, nec alio sopitur, quam jactu pulveris». Medicum vocabatur, quod in regione Medorum conficeretur. Amm. Marcell. XXIII, cap. 5: « In hac regione (Perside) oleum conficitur Medicum, quo illitum telum si emissum lentius laxiore arcu hæserit usquam, tenaciter cremat, et si aqua voluerit obruere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum, nec remedio ullo, quam jactu pulveris consopitur». Quidam oleum Medeæ adpellarunt, quia hæc eo genere olei usa pellicem cremaverat. Vid. Plin. lib. II, cap. 105. Pluribus hæc explicavit Salmas. Exerc. Plin. ad Solin. cap. 21, p. 170 sq.

319. *Cupiat:* sic C. et B. et Solini verba adjuvant, *si obruere aqua gestias.* Libenter autem Priscianus, quæ de Solino transfert, paribus verbis exprimit. L. A. V. *capiat*, nec male fortasse. Pap. Solinum hic exprimit Priscianus: *plus ignis pascitur illa* legit Salmas. Huds.

320. Pro *jactus* in uno MS *factus.* Huds. — *Pulveris hunc jactus.* In cod. Lovan. Heinsius invenit *tactus*, cum eoque confert adscripta in

Thraces arant post hos latissima rura tenentes:
Quæ torrens stringit finitque Propontidis unda,
Atque Hellesponti fauces, Ægæus et altus.
Nascitur hic scopulis Pallenæ gemma refulgens,
Asterium perhibent : stellis certare putatur;

margine verba Ovidii, Met. IX, 36, « tactu flavescit arenæ ». Sed hæc vocabula fere perpetuo permutantur a librariis, et apud Ovidium *jactum* cum Barthio defendit Heinsius ipso hoc Prisciani inter alia loco. Priscianus autem, ut Solinum, qui *jactum pulveris* dicit, aperto æmulatus est, ita et Solinus Virgilium, qui Georg. IV, vs. 87: « atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent ».

321. *Altissima* in MSS nostris. Huds.

323. *Ægæus :* vide notas. Pap. Post *Ægæus* distinguunt, et sequente versu *altus scopulus* legunt Ve. I. *Ægæus et altus* cum sequente *scopulis* C. Vi. *et altis Nascitur hic scopulis* B. *et altus Nascitur hic scopulis* T.—*Ægæus et altus :* sic L. C. B. A. V. Sed A. V. puncto post *Ægæus* posito, et sequentis versus initio ita edito, *Nascitur hic scopulus*, occasionem vitii posterioribus dederunt : inter quos Morelium sic edidisse video, *et altis Nascitur hic scopulis*. Pap. — *Ægæus et altus*. Hæc conjungenda esse, neque *altus* trahendum ad sequentia, præter auctoritates a Papio adductas probat cod. Dorvill. tum Prisciani mos, qui Ægæum mare vocare altum solet. Vid. infra v. 400, 540, 785.

324. *Pallenæ :* sic scribo ex C. V. B. in quibus erat *Pallene*. L. *his scopulis Palerea;* A. *Pallenes* ex græco. Pap. *Pallenes* habent ex meis Vi. B. T. — *Pallene* Chersonesus vel peninsula Macedoniæ est inter sinum Thermaicum et Toronæum, olim etiam Phlegra dicta, cui fabula de Deorum cum Gigantibus pugna adficta est. — Avien. v. 468 : « Pallena sub antris Lychnitis rutilæ flammas alit ». En.

325. *Asterium*. Transtulit hæc poeta ex Plin. Hist. Nat. XXXVII, cap. 9. Nomen autem ab effectu sumptum est. Aster enim stella dicitur, cujus splendorem lapis hic plurimum imitatur. Cam.—*Asterius* lapis, vel *asteria* gemma inter candicantes refertur a Plinio, XXXVII, cap. 9, s. 47, « et perhibetur inclusam lucem pupillæ modo quamdam continere, ac transfundere cum inclinatione, etc. » In Pallenæ montibus autem inveniri non hanc, sed, quam proxime describit, *astrion* dicit. Diversa ab his est, et ab interpretibus Dionysii agnoscitur, quæ deinde vocatur *lychnis*, Avieno *lychnitis*. Quamquam Plinius d. l. genus quoddam astrii memorat lucernarum lumini simile, ut λυχνὶς vel λυχνῖτις dici queat, Salmasius tamen, Exerc. Plin. p. 531, errorem esse demonstrat, si quis, quæ Dionysius de lychnite dicit, de asterio intelligenda, et explicationis caussa ab eo addita existimet; quod etiam opinatur Camers : nam per ipsam descriptionem utriusque lychniten esse ex rubentibus et ignitis gemmis nec quidquam habere com-

Et flammæ similis splendenti lumine lychnis.
Hi ripas Istri porrectas undique cingunt.
Europæ reliquas nunc partes adspice ternas,
Phœbeos vergens quibus eminet illa sub ortus.
Prima est, Hispanum quæ frangit litore pontum;
Altera, Tyrrhenum quæ pulsat molibus æquor;
Tertia, quæ Graios circumflua gurgite pascit.
Sed tamen Oceanum contingit Iberica tellus
Occiduum: Calpen qua summam sustinet unam
Herculis e statuis; quam supra dives et alta
Tartessus, Cempsique, sedent qui collibus imis

mune cum astrio, quæ candida est, licet in eo genere reperiantur quædam, quæ lucernarum lumini sint similes.

326. *Lychnis.* Lapis iste videtur esse idem cum eo, qui asterius dicitur; de quo Plin. XXXVII, c. 7, et Solin. c. 65. Cam.

327. *Hi ripas* L. C. B. Male A. V. *Hic*. Pap. *Hie* habent Ve. I. B. T. *Hi* Vi. *He* C. Wd. *cingunt* L. C. B. Male A. V. *stringunt*. Pap. Et hoc *stringunt* habent sex mei antiquiores; *cingunt*, qui Papium sequuntur, R. P. — *Hic ripas*. Videtur legendum *hi*, sicut ad omnes Istri accolas referatur. Cam.

328. *Europæ reliquas*. Describit eas Europæ partes, quibus ad Occidentem, Meridiem, ac Orientem porrigitur. Antea enim Septemtrionalis pars descripta est. Hac autem sunt Hispania, Italia et Græcia. Camers.

330. *Litore* L. C. B. Sed A. V. *litora* inepte. Pap. *litora* habent ex meis Ve. Vi. B.

331. *Molibus æquor*. Moles vocantur omnes terræ aggeres, vel crepidines ex litore porrectæ in mare, sive hæ nativæ, sive manu factæ. Virgil. Æn. II, 497: « aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles ». Horat. Carm. III, 1, 34: « jactis in altum molibus ». Vid. infra v. 478.

332. *Gurgite pascit* omnes meæ edd. præter Vi. quæ *poscit*. Wd.

333. *Tamen* pro *autem* posuit Papius.

334. *Calpen* L. C. B. Male A. V. *Calpæ*. Pap. *Calpe* ex meis habent C. Vi. unde in aliis *Calpæ* factum est, ut in Ve. et I. atque hoc fore præferendum puto alteri lectioni, quæ *Calpen* ponit. Nam *Iberica tellus* dicitur sustinere *Calpæ summam* rupem, ἄκρην, ut supra, v. 90, *Cretæ summam* dicebat, quæ *una* est *e statuis Herculis*. Ex antiquioribus meis *Calpen* tantum habent B. T. et quæ Antverpiensem sequuntur. Wd. Pro *qua* C. B. *qui*. Pap.

335. *E statuis:* sic ubique L. C. B. V. quum A. constanter habeat *stelis*. Pap. Ex meis legunt *stelis* Aldinam imitantes B. et T.

336. *Templique sedent* Ve. vitiose: *Chemique* C. *Chemsique* I. reliqui *Cempsique*. Wd.—*Cempsique sedent*. Codicum varietas ostendit hunc

Pyrrhenes, cælum qui tangit vertice summo.
Ast ambas inter tellus jacet Ausonidarum,
Limite quam recto mediam secat Apenninus:

locum, ut pleraque corruptum. Quidam enim codices habent *templi*, nullo sensu. Alii *Bemsi*. In Dionysio et Avieno (nisi hi quoque depravati sunt) *Cempsi* legitur. Qui autem Bemsi vel Cempsi sint, quum hæc dictaremus, nil certi succurrebat. Quid si non *Bemsi*, nec *Cempsi*, nec *templi*, sed unius tantum literæ immutatione *Tempsi* legatur. Est enim Tempsis Tmoli montis cacumen, in quo homines centum et quinquaginta annos vivere traduntur, ut scilicet hos populos Tempsos nominet, alludens ad Argantonium, qui in his regnans locis (ut Anacreon cecinit) centum quinquaginta vixit annos. Plinius, CXX. At Silius, III, 396: « Argantoniacos armat Cartheia nepotes, etc. » Videtur autem Silius aliam a Tartesso Cartheiam facere; Plinius et Strabo eamdem lib. III. Visum est mihi aliquando hic, et in Avieno, *Celtæ* legendum, qui in Pyrenæi radicibus habitant. Et sequenti vs. « Gens agitat rupis vestigia Pyrenææ, » ut infra idem Avien. 1063, « Gens agitat salso quidquid pulsatur ab æstu ». *Agitat*, id est, exercet, concutit, ut *costas agitator aselli*. De Pyrenæis montibus eleganter Silius, III, 415, quamquam fabulose, « At Pyrenæi, etc. » Idem, IV, 741, eleganter Apenninum Italiæ montem describit, « Horrebat, etc. » Italiæ populos describit libro VIII, 356, ibi « Faunigenæ socio bella, etc. » Late Plinius, III, c. 5; Solinus, cap. 8; Strabo, IV, V et VI; Virgilius, Æn. VIII et X. Item cæteri. Cam. — *Cempsi*, quos Dionysius ad radices Pyrenæi habitare dicit, ignoti cæteris Geographis sunt. Solus Avienus iterum meminit in Ora mar. vs. 257 et 301; ubi Cempsos post Tartessum et Cartaren insulam versus Orientem ponit. Sed Cartare ipsa ignota, nec per eam viam situm ejus recte definire licet. Plerique tamen pro Celtis habent, et Ceporinus Dionysii interpres hoc loco Κεμψοὶ vertit *Celti*. Sed tamen ipse auctor supra v. 279 Celtarum nomen usurpavit, eosque Pyrenes monti subjecit, unde cur hic Κεμψοὺς nominare voluerit, nulla ratio subest. Satius itaque fuerit, Cempsos pro diverso a Celtis populo habere, qui, quia a Nostro inter Tartessum et Pyrenæos collocantur, fortasse Hispaniæ interioris fuerint.

337. *Quæ tangit* codd. Est. et Leid. idque vulgatæ lectioni *qui* præferendum videtur. Pro *Pyrrhenes* Lovan. habet *Sirenes*, sed nullius usus hæc lectio.

338. *Inter:* sic C. B. reliqui *intra*. Pap. *intra* habent omnes meæ ante Papiauam. — *Ambas inter tellus*, i. e. inter primam et tertiam earum partium Europæ, quas supra vs. 330 seq. describendas proposui, media est Italia.

339. *Mediam secat Apenninus.* Sic de Apennino Rutilius, II. vs. 27: « Diversas medius mons obliquatur in undas ».—Scribendum est *Apenninus*, non *Appenninus*, quod ita fieri solet in ejus modi polysyllabis, quorum prima pariter producitur; ut *Sicelides*, *Priamides*, *Sicania*, prima longa, quamvis derivata a *Si-*

Qui mons, incipiens Boreis ex Alpibus altus,
In freta Sicaniæ porrectas terminat oras.
Hunc urbes circum, populi, gentesque frequentant,
Quos breviter retegam nostro tibi carmine cunctos.
Tyrrheni primum fortes; juxtaque Pelasgi,
Cyllenes quondam propria qui sede relicta
Tyrrhenis socias petierunt navibus arces.
Hos prope sunt omni superantes laude Latini;
Quorum per terras decurrit in æquora Tibris

culus, *Priamus*, *Sicani*, quorum prima brevis. Ed.

344. *Tyrrheni.* De Tyrrhenorum origine non omnes idem sentiunt. Lege Myrsilum Lesbium; Dionys. Autiq. Sic. V, in princip. Cam. — *Pelasgi.* Intelligit, ut videtur, Arcades, qui duce Evandro relicta Pelasgia, hoc est, Peloponneso, in Italiam navigarunt, et pnlsis Aboriginibus ea loca tenuerunt, in quibus nunc Roma est. Anctores sunt Virg. Æn. VIII, 51, « Arcades his oris, etc. » Plura Ovid. Fast. I, 461, « Proxima prospiciet, etc. » Dionysius Halic. Antiq. Rom. I; Solinus, cap. 2. De Pelasgia, quæ postea Peloponnesus dicta est, Plin. IV, cap. 4. Id autem, teste eodem Dionysio, annis LX ante res Trojanas factum est. Legendum autem est non *Cyllentes*, sed *Cyllenes*. Est enim Cyllene mons et oppidum Arcadiæ, unde Evander in Italiam venerat. Possunt et hi Pelasgi accipi, qui eam, quæ nunc Thessalia dicitur, regionem incoluerunt, quique sedes proprias coacti relinquere, rohabitatores Aboriginibus fiunt. Halicarn. et Myrsilus sunt auctores. Prima sententia græco codici conformior. Avienus, vs. 490 : « Prima vetustorum gens est ibi Tyrrhenorum, etc. » Cam.—*Pelasgos* de Arcadibus interpretatur Enstathius, ut Camers hac nota facit.

346. *Tyrrhenis socias.* Heiusius ad hunc versum notavit, legere se *Tyrrhenas sociis*, qnæ lectio tam necessaria est, nt mirer nondnm observatam ab aliis esse. Non enim Arcades snb Evandro cum Tyrrhenorum navibus oras sociorum in Italia, sed sociatis snis navibus oras Tyrrbenorum petebant. Interim lectionem vnlgatam relinquo, si quis forte verba poetæ per hypallagen explicanda judicet. Cæterum versns hic cum præcedente 345 in codice Leid. abest, errore librarii manifesto, qui simili principio versnum 344 et 346 *Tyrrheni* et *Tyrrhenis* deceptus duo istos transiliit.

347. *Hos prope sunt.* MS Leid. habet *Hos referunt*, quod nullum usum habere videtur : sed *omnes superantes* Lovan. qnod est fortasse non spernendum.

348. *Per terras:* sic L. C. B. Sed A. V. *terram discurrit.* De versu autem, qui in A. sequebatur, vide notas. Pap. *terram discurrit* omnes meæ : et omnes ignorant versum, quem Aldina post hunc inseruit. Hic versns ita est : *Ante alios Thybris fluvios præstantior omnes ;* qui

Regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam,
Romam, quæ genitrix regum dominatur in orbem.
Post hos pingue solum sequitur, Campania dives.
Hic tibi Parthenopes domus est castissima, frugum
Fertilis : hanc pontus propriis exceperat undis.

abest ab nmnibus codicibns L. C. B. V. neque dubium, qnin eum Priscianus præter legem adquisierit per correctnres Aldinianos, per quas personas nullo jure Romauo poterat. Itaque adimendum illi putavi, nt nnn paucos etiam alios, de quibus snis locis admnnebo. Pap. — E Msptis etiam Dorvillianus habet *discurrit*, sicut omnes impressi vetustiores. Et videtur eo verbo Priscianus singulariter uti pro *percurrit*, neque temere mutandum erat a Papio.

350. *Romam, quægenitrix*. De hac re compluscula in principio adnotationum Flnrianarum congessimus C. — *Genitrix regum*. Vide notata nostra ad Rutil. I, 49. Statins, Silv. III, 3, 51 : « premit felix regum diademata Roma ».

351. *Campania dives*. Lege quæ Flnr. I, c. 16, de Campania adnotata snnt. De Parthenope præter alios lege Sil. XII, in principio. Ibidem et de nomine, ac Sirenis ipsis habetnr abunde. Lege Virg. Æn. V, in fine. Ovid. Met. V, 551 : « Hic tamen indicio, etc. » Cam. — Avieu. 496 : « Hic Campanus ager glebam jacit ». En.

352. *Hic ubi* habent Ve. 1, C. I. B. T. A. et ejus sequaces. Sed *Hic tibi* Ve. 2. et Vi. quod illi prætulerim. — *Castissima, frugum*. Pro eo Lovan. cod. legebat *certissima frugum*. Sed ut hoc jam exprimitur sequente *Fertilis*, ita *castissima* requirit græcum Ἁγνῆς Παρθενόπης, Dion. 358, quamquam ibi ἁγνὸν potius legisse videtur Priscianns.

353. *Exceperat ulnis* conjecit Jo. Schraderus in schedis : de qun in notis. Wd. — *Propriis exceperat undis*. In nra libri mei collatione qunrumdam codicnm instructi vir doctus nntavit, *ulnis* hic legisse Wassium. Idem vero conjecisse Schraderum in schedarum laciniis, quas habeo, monui in V. L. Atque hic primn nititur Dionysii ἑοῖς κόλποις v. 359, et quod Avienus v. 497 interpretetur *blando suscepere sinu*. Tum excitat verba Phœbi apud Ovid. Met. lib. II, 68 : « Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis, Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri » ; in quibus etiam *excipit ulnis* legendum esse subjecto locn Val. Flacci, lib. II, 36, prnbat : « Jamque Hyperinnins metas maris urget Iberi Currus...quum palmas Tethys grandæva sinusqne Sustulit, et rupto sonuit sacer æqnore Titan ». Elegans haud dubie et erudita hæc coujectura est, sed adductas rationes non eas esse video, quæ necessario hanc novam lectionem contra auctoritatem veterum librorum inferendam snadeant ; siquidem κόλποι et *sinus* tam recepta et usitata maris, aut cujusdam rccessns ejus, vocabula sunt, ut metaphorica esse desinant, et in iis usurpandis nemn de imagine personæ alicujus, sinu aut ulnis excipientis, cogitet ; verbum etiam *excipere* sæpissime usurpatur de rebus, in quibus nullus ul-

Ad Noton est, longe supra Sirenida rupem,
Picentis Silari gurges, spectabile flumen.
Hunc habitant prope Lucani, Brettique coloni,
Ad Leucen petram longissima rura tenentes.
Hinc est ad Boream Zephyri quæ summa vocatur;
Sub qua sunt Locri celeres, qui tempore prisco

narum vel brachiorum locus est. In ipso Val. Flacci loco, qui maxime juvare videtur, viri docti pro *palmis* legere *pallam* maluerunt, atque ibi non mare ipsum, sed Tethys, Dea maris, nominatur.—Denique *undis* in hoc loco rectum esse facile comprobatur ex Virgilio, Æneid. IX, vs. 817, de Turno: « ille suo cum gurgite flavo Accepit venientem, ac mollibus extulit undis ». Ed.

354. *Sirenida rupem*. De qua Virgil. Æn. V, 864: « Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat; Difficiles quondam, multorumque ossibus albos ». Non aliam Σειρηνίδα πέτρην Dionysius intelligit, quam quæ paullo ante dicebatur μέλαθρον Παρθενόπης, quæ una Sirenum fuit. Mela, II, 4, *petras* memorat, quas Sirenes habitaverint, sed in continente ponit, vel litore. Hinc easdem facere cum promontorio Minervæ, Surrentino, videtur, cujus ex adverso Caprearum insula est. De quo Plinius, III, 5: « Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede ». Hoc promontorium quum terminus sit Campaniæ in ora adversus Picentinos, adparet ex insequentibus Prisciani versibus, hunc idem promontorium per Sirenida rupem intelligere. Quod ipsum jam agnovit Salmasius ad Sol. p. 45. Qui tamen ubi contendit, male Eustathium et Avienum Sirenida rupem de Neapoli, vel Parthenope, accepisse, cujus mentio præcessit, hoc quidem vere dixerit de Eustathio, non item de Avieno, quem video de Parthenope non aliter loqui, quam Dionysium, qui Parthenopen nominans Sirenas intelligit. Cæterum alii Geographi singulares petras, vel insulas saxosas, a promontorio Minervæ sejunctas, pro sedibus Sirenum habent, et Sirenusas adpellant, quas Virgilium l. c. descripsisse arbitror, quasque sigillatim Salmasius vult a Dionysio significari.

355. *Picentis:* sic C. B. Adjuvat et V. in quo *Dicentis* vitiose legitur. A. *Peucentis*. Pap. *Dicentis* habet Ve. 1 et 2. *Lucentis* C. Vi. et I. *Peucentis* B. et T. *Silaris* in nostris MSS. Huds. In græco est, v. 361, προχοαὶ Πευκεντίνου Σιλάροιο. Wd.—*Silarus* fluvius, Picentinos a Lucanis dividens, cujus meminit Virg. Georg. III, 146; Silius, VIII, 581. Lucano *Siler* vocatur, lib. II, 426.

356. *Brettique:* sic L. B. et C. in quo est *Bretique*. A. V. *Brutiique*. Pap. *Brutiique* Ve. 1 et 2, C. Vi. I. *Brutique* B. et T.

357. *Leucen petram:* sic L. C. B. in A. *Leucopetram*. Pap. Et *Leucopetram* meæ omnes.—*Leucopetra* promontorium Bruttiorum in extremis Italiæ, ultra Rhegium. Vid. supra v. 82.

358. *Zephyri summa*, ἄκρη, ut supra, v. 332, *Calpæ summa*. Wd.—

Istuc reginam propriam venere sequuti;
Ausoniamque tenent, qua currit flumen Alecis.
Mœnia cernuntur Metaponti deinde, Crotonque,
Quam pulcher gratam præterfluit Æsarus urbem.
Ulterius pergens hinc templa Lacinia cernes.
Post hæc est Sybaris, periit quæ numinis ira,

Zephyri. Per apocopen. Est autem Zepherium Italiæ promontorium juxta Locros, de quo Plin. III, c. 5, et Strabo, lib. VI, ubi de his locis et populis abunde scribunt. C. — *Zephyri summa*, i. e. Zephyrinm promontorinm, de quo Camers.

360. *Illuc*. C. *Istuc* recte: nec multo aliter B. *Istic*. Pap. Rectius *Isthuc* in uno MS. Huds. Et sic MS Est. et ex impressis Ve. 1 et 2, C. Vi. I. reliquæ *Illuc*.—*Reginam propriam*. Locrensium Ozolarum servi, quum eorum domini diutius in bello commorarentur, matronis concubuerunt: quæ ob hoc maritorum iram timentes, duce Evante in Italiam navigarunt. Auctor Eustathius. De Locrensium origine plura Strabo, VI; Justin. XX. Virg. Æn. III, 399: « Hic et Naricii », ubi Serv. plura scribit. Lege Plin. III, c. 5, et Solin. cap. 8. De bis locis et populis plura Strabo, VI; Plin. III; Mela, II; Ptolom. III; Silius, XI. Cam.—*Istuc* e Msptis habent Leid. Dorv. Est. *Istic* Lovan. Historiam, qnam Priscianns tangit, refert Camers. Græcus textus habet σφετέρῃς μιχθέντες ἀνάσσαις, plures dominas servorum Locrensium indicans. Priscianus antem, unam eorum reginam nominans, legisse in suo codice videtur, quod Eustathius dicit ab aliis scribi, σφετέρῃ ἀνάσσῃ μιχθέντες, ἢ πεισθέντες. Cæterum diversæ de Locrorum origine sententiæ Veterum fuerunt, quas excussit Heynius, V. C. Opusc. Acad. Vol. II, p. 46 seq.

361. *Halecis* scribunt cod. Leid. Dorv. quod rectius videtur. *Alexis* Lovan. Est autem Halex fluvius Bruttiorum, quem et Strabo, VI, p. 180, scribit agrum Rheginum a Locrensi separare.

362. *Metapontum* urbs maritima Lucaniæ ad sinum Tarentinum, multum dissita ab urbibus quæ hactenus sunt nominatæ.

363. *Æsarus* flumen Magnæ Græciæ juxta Crotonem urbem. Græcis Αἴσαρος, sed Latinis fere Æsar vocatur. Ovid. Met. XV, 23: « patrias, age, desere sedes: I, pete diversi lapidosas Æsaris undas »; qui hodie *Esaro*.

364. *Lacinia templa*. Præter citatos lege Livium, anno 24 ab Urb. cond. qui de hoc templo plura scribit. C.—*Templa Lacinia*: intelligit promontorium Lacinium in Bruttiis, juxta Crotonem, templo Junonis Laciniæ celebre, cujus nomine plerumque ipsum promontorium signari solet. Vid. Liv. XXVIII extremo, et Ovid. Metam. XV, 701, de Æsculapio Romam advecto: « præterque Lacinia templo Nobilitata Deæ, Scylaceaque litora fertur ».

365. *Sybaris periit*. Oraculo prædictum fuerat, Sybaritanos felices futuros, quoad hominem Diis non præponerent. Evenit tandem, ut Sybaritanus quidam servum suum ante Dei aram, nulla habita numi-

Præponens hominum tumulos cælestibus aris;
Poscere qui Pisis ausi certamina soli.
Samnites medio complectitur Itala tellus
In gremio, Marsosque simul; tunc deinde Tarentum

nis reverentia, scriter cæderet. Id quum servus idem cerneret, ad domini sni paternum sepulcrum non longe distans mox confugit. Ea ex caussa a cædendo servo statim dominus dicitur destitisse. Nec multum post, juxta oraculi responsum, a Crotoniatis Sybaritæ penitus eversi sunt: auctor Stephanus de Urbibus, qui quatuor græcis versibus id ipsum explicat oraculum, quos, ut potui, latinos feci: « Præfelix Sybarita quidem, semperque beatus, Dum florens Superos merito celebrabis honore. Ast homines ausus postquam præponere Divis, Trux tibi tunc bellum, cladesque domestica surget ». Plura de Sybaritis Strab. lib. VI, et Herodot. lib. V et VI. Cam.

367. *Ponere qui priscis.* Vide notas. Pap. In MSS Bodl. et Buslidiano *Poscere qui Pisis:* cui lectioni favet paraphrasis græca. Huds. *Poscere qui piscis* cod. Estens. *Postere* vel *Poscere qui priscis* Ve. 1 et 2. C. Vi. I. *Ponere* cum Aldina B. et T. *Pisis* etiam conjiciebat Schraderus: nec hoc dubium; *Ponere* e correctione Aldina esse videtur, *Poscere* verum. Wd. — *Ponere qui priscis ausi certamina soli.* Hunc versum nec intelligo, nec statuere possum, an de Sybaritis an Samnitibus potius sit accipiendus. Itaque ut in A. legitur reliqui: varietatibus exemplarium hic adnotatis, si quid alicui fortassis in mentem venire possit. L. habet *Poscere qui piseis.* B. *Poscere qui Pisis*, atque supra *Pisis* adnotatum est *civitas*. V. *Poseere qui priscis.* Pap. — *Poscere qui Pisis.* Hæc vera et indubitata lectio. Nam *Poscere* quum vetustis et incorruptis editionibus, tum scriptis codd. Leidens. Estens. Dorv. Lov. et Buslid. Papii probatur, et *Pisis* e mendosa scriptura *priseis* et *piscis* facile erui ductu ipsius Dionysii poterat, qui vs. 374 Sybaritas dicit Μηναμένους ὑπὲρ αἶσαν ἐπ' Ἀλφειοῦ γεράεσσι. Nam Alphei præmia haud difficulter insinuant certamina Pisis, urbe Elidis, ad Alpheum fluvium celebrata, quod miror Papium non vidisse: et *Poscere* aptissimum græco est, quo Sybaritæ dicuntur insaniisse circa Alphei præmia, atque igitur insana cupiditate ablatos petere ea Pisis et imitari voluisse. Librarius codicis Lovan. extremæ voci *soli* glossam adposuit *id est, Apollini*, eoque sensum versus plane pervertit. Nos, quas res et quæ fata Sybaritarum hoc loco significet Priscianus, exponimus Excursu III ad calcem hujus carminis.

368. *Samnites medio.* Melius quam Avienus, qui v. 522, « Samnitesque truces habent confinia », sc. Sybaritarum, falso, quia longe remoti. Et exacte Priscianus Dionysium exprimit μέσσην χθόνα ναιετάουσι. Ed.

369. *Tarentum.* De Tarenti origine, nomine, situ, potentia, lege quos citavimus ad Flor. I, cap. 18. Multa Servius, Æn. III, 551, super illud « Hinc sinus Herculei, etc. » De Calabra tellure, et locis his plura Plin. III, cap. 11; Strabo, VI. C.

Tangitur æquoribus, quod munivere Lacones.
Continuo Calabræ telluris rura sequuntur.
Usque Hyrii summam sed tendit Iapygis ora;
Qua salis Adriaci trahitur vastissimus æstus,
Atque sinum penetrans Aquileium, colligit undas.
Alta Tegestræon postremæ mœnia terræ,
Qua sinus Ionius finitur gurgite lasso.
Hi sunt Ausoniæ populi gentesque potentes.
Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, Hyllesque feroces,

370. *Quod munivere Lacones,* hoc est, exstruxere, condidere. Plaut. in Bacchid. IV, 9, 2: « Pergamum divina mœnitum manu ». Tarentum quidem a Tarante Neptuni filio conditum dicitur, sed Lacedæmonii duce Phalanto postea expulsis veteribus incolis occuparunt, et colonia auxerunt. Justinus, lib. III, cap. 4. Inde *Lacedæmonium* vocatur Horatio, Carm. III, 5 extr. et Ovidio, Metam. XV, 50. « Regnata Laconi Phalanto rura », Horat. Carm. II, 6, 12. De colonia eo ducta uberius agit Heynius, Opusc. Acad. vol. II, p. 217 sq.

372. *Usque Hyrii summam,* id est, usque ad Hyrii, oppidi maritimi, promontorium extenditur Apulia, quæ est *Iapygis ora.* Oppidum hoc in peninsula montis Gargani. — *Sed tendit:* sic C. B. V. Reliqui *se.* Pap. *Usque Hirru summam* MS Est. *se* ex meis habent B. et T.

373. *Vastissimus æstus,* i. e. latissimus. Mela, lib. II, cap. 3, 358: Hoc mare (Adria) magno recessu litorum acceptum, et vaste quidem in latitudinem patens, qua penetrat tamen vastius, etc. »

375. *Tegestræon.* More quorumdam Græcorum Tegestrum dixit. Artemidorus autem, ut Stephanus scribit, Tergestrum nominat. Latini Tergeste vocant. Cam. — *Tegestræon urbs* Dionysio, Latinis *Tergeste* vel *Tergestum,* colonia, ultra Aquileiam in Adriæ sinu intimo sita, qui inde sinus Tergestinus adpellatus, aliquando finis Italiæ. Vid. Plinius, III, 18; Mela, II, 3 extr. Hodie *Trieste.*

377. *Populi Ausoniæ,* etc. Plinius, III, c. 5, auctoritate Divi Augusti dicit Italiam in undecim regiones divisam. Eodem quoque loco ponit ejus terminos et mensuram. Idem scribit Solinus, cap. 8, et Ptolom. III, cap. 1. Cam.

378. *Flexilis hinc.* Describit altam Adriatici maris oram, quæ Septentrionem versus Italico litori opposita est. Ea autem a Tergestino sinu incipiens in Græciam usque porrecta est: de qua scribunt Plin. III, cap. 19 et seqq. Strabo, VII; Mela, II; Ptolom. II, in fine; Appian. in Illyrio. Cam.

379. *Hylleisque feroces.* Id enim sibi velle video tam C. B. scribendo *Hillesque:* quam A. V. *Hyllisque* L. habet. *Hyllosque* Pap. *Hyllisque* Ve. 1 et B. *Hyllosque* C. Vi. I. T. — *Hyllesque feroces.* Dionysius, v. 385,

Bulimeon pariter præstringens litora currit,
Et venit Illyrias late porrectus ad arces;
Qua tollunt montes excelsa Ceraunia summos.
Cernitur hic tumulus, qui Cadmi dicitur esse
Harmoniæque simul: namque hic serpentibus illi
Corpora post longum tempus mutasse feruntur,
In senio, postquam patriam Thebasque relinquunt.

Ὑλλείων χθόνα· et dubium est, ille *Hyllies*, an *Hylleos* vocaverit. Plin. III, 22, « peoinsula Hyllis », quæ et promontorium Diomedis, memoratur, in Illyrico ad mare Adriaticum, Stephano et Eustathio χεῤῥόνησος Ὑλλίς. Holstenius vult bodie vocari *Sabioncello* sive peninsula Stagni; alii malunt *Capo Cista*. — *Hyllosque feroces*. Hyllis Liburniæ regio, circuitu centum M. passuum. Plin. III, cap. 22. Dicta autem, ut ait Stephanus, ab Hyllo Herculis filio: hinc eos feroces nooiinat. Camers.

380. *Bulimeon*. Ex Stephano videtur legendum Bulineon, vel Bulinon. Est enim regio circa Illyrium. Alii oppidum esse volunt, ut idem scribit. Iu Avieni versu 529 lego « Incubat oræ », uoo *oram*. Cam. *Bulimeon*. Diversimode scribi Eostathius observat Βουλιμεῖς, Βουλινεῖς, vel Βουλινοῦς. Strabo adeo vocat Βουλλίονες. Sed Βουλινοὶ Stephano gens est circa Illyricum. Livius, XXXVI, 7, « Byllinum agrum », et lib. XLIV, c. 30, « Bullinorum auxilia » memorat. Desceodit vero a Βυλλὶς, Latinis *Bullis*, quod est oppidum Illyrici maritimum, itidem a Stephaoo memoratum.

382. *Qua tollunt*: sic L. Reliqui omnes libri male, *Quas tollunt montes excelsa Ceraunia summas* Pap. *Quas...æterna Ceraunia summas* MS Est. *excelsa eacumina* Ve. 1 et 2, C. I. *Ceraunia* Vi. B. T. Sed *Quas summas*, quod omnes libri ingerunt, nou videtur plane rejiciendum. Nam præcedeos *arces* suo more adpellat *summas*, i. e. promontoria, easque dicit *montes*, qui dicuntor *Ceraunia*, *tollere*.

384. *Harmoniæque*. Al. *Hermoniesque*. Huds. sic et C. *Hermionæque* Ve. 1 et 2, Vi. I. *Harmoniæque* B. et T. *serpentibus illis Corpora post longum tempus motasse feruntur* codex Est.

385. *Corpora mutasse*. Cadmus fugiens iofortunia Thebanorum, existimans se loco etiam mutare fortunam, cum Hermione conjuge versi sunt in dracones in Illyrio. Lact. Theb. II et III ibi « Prima fides ». Et ibi « Rectat et Illyricas ». Fabulam scribit Ovid. Metam. IV ibi « Nescit Agenorides ». Id autem factum dicitur, apud Enchelias Illyrii urbem, ut Lucan. scribit, III, 188: « Dispersis silvis Athamas, et nomine prisco Eocheliæ, versi testantes funera Cadmi ». Cam. — Apud Enchelias, urbem Illyrici, Cadmum et Harmoniam in angues mutatos. Sed *Encheliæ* sive *Encheleæ* non urbis, sed populi, nomen est, ut testatur Stephanus et Mela, II, 3, 164, qui Taulantiis Illyrici populo adjungit. Et sic accipit *Enchelias* Lucanus, loco cit. Nomen autem

Hic illos aliud posuerunt numina monstrum:
Namque duo tumuli concurrunt peste futura,
Significant quoties sævissima damna colonis.
Hæc regio fontem mirandæ concipit undæ,
Quem merito Veteres dixerunt nomine Sacrum.
Nam gelidus superat cunctarum frigus aquarum,
Accensasque faces si quis prope duxerit undam,
Exstinguit flammas; recipit sed rursus easdem,
Admoveat dextra quum exstinctam lampada fonti.
Sed supra Thracen, nec non Epiron, ad Austros,

est ab ἐγχέλυς, quod anguillam significat. Secessum Cadmi in Illyricum, factamque ibi mutationem ejus testantur Ovid. Met. IV, 567; Stat. Theb. II, 291, III, 291, quem ad locum verba Lactantii sunt, quæ Camers adlegavit; in primis Apollodorus, lib. III, cap. 5, s. 4, qui ubi narrat, ducem Cadmum Encheleensibus contra Illyrios electum fuisse, et his victis regnasse inter eos, post in anguem mutatum cum Harmonia, facile intelligitur, quæ origo fabulæ istius fuerit. Vid. omnino notæ Heynii ad Apollod. l. c. pag. 579 seq. qui et fabulam de sepulcro Cadmi exstare monet apud Tzetz. Chil. IV, 395 sqq.

387. *Hic illos:* sic L. C. B. Reliqui *hinc*. Pap. *Hinc illos* Ve. 1, C. B. *Hinc illis* I. T. *Hic illos* Vi. *nomina monstrum* cod. Est.

388. *Duo tumuli.* L. Martio, Sext. Julio Coss. in agro Mutinensi, montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo adsultantes recedentesque; vide Plin. II, c. 85, 96 et 97. Cam.

389. *Significant* L. C. B. Male A. V. *significat.* Pap.

390. *Hæc regio fontem.* Solinus, cap. 12, sub initium. — *Fontem mirandæ undæ.* De hoc fonte non meminit Dionysius, sed sumpta sunt hæc ex Solini l. c. ubi complura scripsimus ex Plinio, Pomponio, Seneca, Lucretio, ac rei ipsius caussam explicavimus. Fontium plurium miracula scribit Plinius, II, cap. 106. Cam.

391. *Nomine Sacrum.* Solini locus, quem Priscianus hic sane exscribit, legitur c. 7, Salm. « In Epiro fons est sacer, frigidus ultra omnes aquas, et spectatæ diversitatis: nam si ardentem in eum mergas facem, exstinguit; si procul ac sine igni admoveas, suopte ingenio in flammat ». Ejusdem meminit Mela, II, 3, 78.

395. In uno ex MSS nostris *dextram cum exstincta lampade fonti.* Huds.

396. *Nec non Epiron.* Vide notas Pap. *quaque Oricon excipit Austros* ex meis solæ habent B. T. quæ sunt Aldini exempli æmulæ. — *Nec non Epiron, ad Austros:* sic L. C. B. V. Solum A. exemplar, *quaque Oricon accipit Austros:* ad sententiam quidem utrum legas nihil interest; nam Oricos Epiri portus est: neque

Principium terræ doctissima Græcia sumit
Adscendens multum, geminatoque æquore cincta
Ægæo Siculoque, movent quæ flamine venti
Diverso : Siculum Zephyrus tenet, Eurus at altum
Ægæum ; sequitur Pelopis post insula lata,
Consimilis platani folio, quod muris acutam
Æquiparat caudam ; cujus jacet isthmos imago,
Hellados ad Boream sibimet confinia jungens :

nesciebant id fortassis hemistichii istius fabricatores; sed non satis esse putabant eodem sensu transferri, nisi et verba, quæ præsertim propria sunt, retinerentur. Idem et ante versu 130 fecerant; et tuto passim libro frequentia occurrunt exempla. Pap.

397. *Doctissima Græcia.* Græcos in omni scientiarum genere fuisse doctissimos, nemo est qui ambigat. A Græcis, inquit M. Tullius, de Fin. II, 21, « philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus ». Ingenii eorum tam perspicacis caussam esse tenue cælum, in libello suo de Fato, 4, adserit. « Athenis, inquit, tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani ». De Græciæ locis scribunt omnes, Plin. IV; Solin. cap. 12 seqq. Strabo, VIII, IX et X; Ptolom. III, quinque ultimis capp. Hom. Iliad. II; Orpheus, Apollonius, Val. Flaccus. Item cæteri. Cam.

398. In MSS nostris *gemino sub æquore cincta.* Huds. *geminoque sub æquore* MS Est. Ve. 1, Vi. *gemino sub æquore* Ve. 2, C. I. *geminatoque* B. T. — *Geminoque sub æquore* habet non solum MS Est. quod in var. lect. indicavi, sed etiam, quos deinceps comperi, codices Lovan. Dorvill. et Suecicus in Act. soc. lat. Ien. quibus accedunt alii libri, qui *gemino sub æquore*, omissa copula, scribunt. His auctoritatibus firmari videtur, illud genuinum esse, *geminatoque* esse a correctoribus. Vult Priscianus Græciam *succinctam* esse *gemino æquore*, quemadmodum supra vs. 107 *succurrens Euro* dixit, i. e. currens sub Euro. Convenit v. 111, *sinu gemino*, et v. 421, *Æquoribus geminis.*

399. *Quæ flamine :* sic L. C. B. Male A. V. *qua.* Pap. *qua flamine* I. *flumine* Ve. 1 et 2. *qua flamina venti Diversi* B. et T. — *Flamine venti.* Avienus, vs. 557 : « hanc fluctu; gemino sic gurgite late Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos ». Sic enim legendum est. Et parum infra legerem « Graiis adjacet agris ». Cam.

400. *Ad altum* Ve. I. B. T. male. Wd.

401. *Pelopis insula.* Peloponnesi situm, mensuram, magnitudinem, formam, diversa ejus nomina, ejusdemque loca scribit Plin. IV, c. 4; Ptolom. III, cap. 16. Item qui supra. Nomen de nomine translatum est : a Pelope enim, qui eam tenuit, et nesos, id est, insula, dicta est. Nunc Moream vocitant. Cam.

402. *Folio platani* omnes meæ antiquæ. Wd. — *Platani folio.* Mela, II, 3, 41, « Peloponnesos ob sinus

Latior at tellus, folium ceu flexile, circum
Cingitur æquoribus. Zephyrum Triphyllidis arva
Excipiunt; per quam descendit flumine pulchro
Alpheus, qui Messeni discinditur undis
Eurotæ : terris ambo nascuntur Aseis;
Hic tamen Eleos, et dividit ille Laconas.
Hic mediis habitant late telluris in arvis

et promontoria, queis ut fibris litora ejus incisa sunt, simulque tenui tramite in latus effunditur, platani folio simillima ». Eamdem similitudinem notant Strabo, VIII, p. 335, Plinius, lib. IV, cap. 4.

406. *Zephyrumque Triphyllidis :* sic A. nec dissentiebat L. nisi (quod magis puto) Langium fugit : nam C. B. V. omittunt *que :* eamque veram esse scripturam puto. In quibusdam etiam Græcis codicibus producebatur prima dictionis Τριφυλλίδος syllaba. Papius. Omnes meæ omittunt *que* præter B. et T. Aldinæ æmulas. Wd. — *Triphyllidis arma*. Varias denominationis caussas lege apud Stephanum. Apud Avienum hoc eodem loco lege *Triphylis* non Tripolis. Est enim ea regio Elidis pars ex tribus constans populis, vel tribubus. Cam. — *Triphylis* Elis est, vel pars Elidis, inter Eleorum et Messeniorum regionem: aliis *Triphylia* vel *Triphalia*. Nomen exinde, quod in unum corpus tria φῦλα, i. e. tres gentes coiverunt, ut explicat Strabo, VIII, pag. 337, item Stephanus et Eustathius. — Rectius *Triphylidis* scribendum esse notavit Schraderus ad Avien. Descr. Orb. vs. 569. — Et Hillus ad Dionysii v. 409, Τριφυλίδος scribendum monuit, quum Papius et alii Τριφυλλίδος. En.

408. *Discinditur undis* intelligendum est abscinditur, abrumpitur ab Eurota, ita ut in diversum fluat. Nam in græco est σχιζόμενος, et Eustathius monet, ambo fluvios ex uno fonte, qui Asea vocatur, ebullire, et in diversum tendere. Alii Geographi Aseam dicunt oppidum Arcadiæ, a quo non longe fontem Alphei renascentis, et alterum Eurotæ esse. Eurotas, qui alias Laconicæ fluvius est, hic Messenius vocatur, quia Messene olim tota regio vocata fuit, post Laconiæ pars.

409. *Asæis* MS Est. et Vi. reliqui *Aseis*. Wd. — *Aseis*. Asea, inquit Stephanus, vicus est Arcadiæ, ex quo Alpheus fluit. Sed de his omnibus lege Plin. IV, cap. 5. Cam.

410. *Et dividit :* sic L. C. B. V. In A. *at*. Pap. Ex meis *at* habent Vi. B. T. *Hic Helios dirimit et dividit* habet cod. Lovan. Et *tamen* omittit Leid. — *Hic tamen Elæos*. Versus Avieni 571 ne claudicet, sic legendum videtur : « Influit Eurotas, Pisanos alter at agros, Alter Amyclæas celeri, etc. » Vel quod magis placet, « Pisanos alter adulcat », detractione unius tantum literæ τῶ *addulcat*. Nam *dulco*, *edulco*, *addulco* pingues reddo significant. Verbi hujus meminerunt Nonius; A. Gell. Noct. Attic. XV, cap. 25; item Sidon. II, Epist. 2. Posset quoque legi *adundat*, ut versu 338 idem Avienus habet. Camers. — Sed alii

Arcades Apidanei sub scopulis Erymanthi :
Qua Melas atque Crathis fluvii, qua currit Iaon,
Tenditur atque vetus qua longo gurgite Ladon.
Hic merulas perhibent albas, mirabile dictu;

adulat scribunt, et mox dabimus. Ed.

412. *Arcades.* De Arcadia et locis his lege Plin. IV, cap. 6; Strab. IX, in fine. Item cæteros mox citatos. C.—*Apidanei :* sic L. C. V. sed A. *Apidanees* e græco. Pap. Græcum ex meis servant Aldinæ comites B. et T. *scopulis* L. C. B. sed A. V. *scopulos* falso. Pap. *sub scopulos* præferunt ex meis Ve. 1, Vi. B. T. — *Apidanei :* dubium est, hoc ad *Arcades*, an ad *Erymanthi* referendum sit. Nam apud Dionys. quidam legunt Ἀπιδανῆος Ἐρυμάνθου. Eustathius tamen Arcades Apidaneas dictos esse antiquitus adfirmat, et quidem ab Apide quodam, qui ex Epiro veniens Peloponnesum multitudine serpentum liberaverit, et incoluerit Arcadiam : a quo et tota Peloponnesus Apia vocata. Ἀπιδανῆες etiam apud Callimachum, hym. in Jov. v. 14 occurrunt, et a scholiaste exponuntur antiqui Arcades. Ἀπιδόνας etiam vocatos prodit Stephanus in Ἀπία. Ab *Apidano* nomen commode derives; sed hic fluvius Thessaliæ in Peneum cadens. Cæterum *sub scopulos* hic legit etiam cod. Suecicus in Actis societatis latinæ Ienensis; item versu 434.

413. *Currit Iaon.* Pro eo codex Dorv. scribit *Amomon*, quod unde huc irrepserit, non exputo. Nec vero Iaon fluvius mihi cognitus. Fortasse Inachus, quem fluvium celebratissimum nisi hoc nomine significavit Dionysius, sane mirum est, plane esse præteritum.

414. *Ladon* fluvius Arcadiæ, *vetus* dicitur, a Dionysio ὠγύγιος, quomodo eum signari scribit Eustathius, quia multis antiquitatis fabulis celebratus est, et ὠγύγιος Græcis idem est ac παλαιός· nempe ab Ogyge, primo vel vetustissimo Atheniensium, vel, ut alii volunt, Thebarum rege. Hesychius: Ὠγύγια, ἀρχαῖα.

415. Solinus, c. 12, paullo ante medium. Pap. *merulas albas* scribunt Vi. et I. reliqui *merulos*. Wd. — *Albas merulas.* Sumpsit hæc poeta non ex Dionysio, sed ex Plinio, X, cap. 30, et Solino, cap. 12. Lege Aristot. Nat. Animal. IX, cap. 19. Albertus, lib. XXIII de Animalibus, dicit hoc merularum genus in Achaiæ partibus reperiri duntaxat, quo in loco plura disserit de eo nomine. Sed locorum ipse latinarumque dictionum malus est censor. Legendum ergo Arcadiæ, non Achaiæ. Cam. — Quæ quatuor his versibus continentur, sic enarrat Solinus, cap. 9 Salm. In Arcadia « de avibus hoc solum non indignum relatu, quod quum aliis locis merula fulva sit, circa Cyllenem candidissima est. Nec lapidem spreverimus, quem Arcadia mittit : Asbesto nomen est, ferri colore : qui accensus semel, exstingui nequitur ». Albas merulas circa Cyllenen etiam memorat Aristot. de Mir. Ausc. c. 14; ad quem locum Beckmannus V. I. monet, non esse speciem peculiarem, sed nudam varietatem, talesque olim haud dubie pluribus in terris repertas esse,

Hic nasci lapidem, qui tacto accensus ab igni
Exstingui nequitur; quem Graii nomine vero
Asbestum memorant : ferri nitet ille colore.
Juxta est Argivum tellus, pariterque Laconum :
Ortus Argivi, verguntque Lacones ad Austros.
Æquoribus geminis isthmos pulsatur utrimque:
Hoc Ephyren contra Zephyrus, sed verberat illud
Eurus; in immensum quæ mergitur unda profundum,

sicut etiam hodie variis in locis, quamvis raro, capiuntur.

416. *Hic nasci.* Miror hunc locum toties lectum publice, ut se castigarent, peritiores saltem, non monuisse lectores, quum contra Grammaticæ præcepta vel *linum, qui accensus,* vel contra se pugnantia, *Nilum, qui accensus ab igni*, interpretarentur. Nos autem indubie in hunc modum legendum esse censemus : « Hic nasci lapidem, qui tacto accensus ab igni Exstingui nequeat, etc. » Paucis verbis, antea mendum triplex. De hoc lapide scribunt Plin. XXXVII, cap. 10; Solin. cap. 12; Augustin. de Civit. Dei, XXI, cap. 5. Sumpsit autem ab effectu nomen. *Asbeston* enim Græci inexstinguibilem dicunt. Marbodeus Abeston nominat, vel metri caussa per syncopen, vel propinquitate nominis deceptus pro Apisto posuit, quæ, teste Plinio, septenis diebus calorem tenet excalfacta igni. Reperitur linum etiam, quod igne non consumitur, et ob eam rem ipsum quoque Asbestum dicitur. At linum hujusmodi non in Arcadia, sed in desertis Indiæ tantummodo reperitur. Vid. Plin. Hist. Nat. XIX, c. 1. Cam. — *Lapidem* : sic L. C. B. Absurde A. V. *linum*. Pap. *linum* habent ex meis Ve. 1, C. B. Pro *accensus* Ve. 2 *census*. Wd.

417. *Extingui nequitur* Ve. B. T. *nequit* C. I. *nequeat* Vi. Wd.

419. *Laconum*. Pro eo cod. Lovan. scribit *colonum*, transpositis ex errore literis.

420. *Verguntque :* sic L. C. B. Sed A. V. *que* omittunt. Pap. *Argivi vergunt : Lacones ad austros* Ve. C. Vi. I. addunt *que* B. et T.

422. *Contra :* sic L. C. B. Sed A. V. *contra est*. Pap. Ex meis *est* addunt B. et T. *subverberat illud* MS Est. Wd.

423. *Quæ mergitur :* sic C. B. V. In L. *quæ vergitur;* in A. *qua mergitur*. Pap. Ex meis *qua mergitur* scribunt C. B. T. Schraderus in schedis legit *inemensi qua verritur unda profundi*. Wd. — *Quæ mergitur unda profundum*, i. e. quæ abit, descendit in profundum, immensa profunditate est; sicut in Lucilii Ætn. 139 quidam libri *demersas latebras*, i. e. profundas legunt, et apud Virg. Georg. III, 376, « defossi specus » sunt profundi. — Pariter Avienus, in Ora maritima, vs. 125 : « dicit hic nihilominus, Non in profundum terga demitti maris ». Ed. — Cæterum quæ hic additur descriptio maris Saronici, eam nec Dionysius habet, nec Avienus.

Nomine quam Danai dixere Saronida prisco.
Attica sed tellus post isthmon solis ad ortum est.
Hinc Orithyiam Boreas rapuisse puellam
Traditur ; hic Ilissus aquis devolvitur amnis.
  Bœotum sequitur finis; quo dicitur unda
Esse potestatis diversæ : namque duobus
Fluminibus vertit vervecum lana colorem;

424. *Saronidis undam.* « Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde ei nomen, ita Græcia antiqua adpellante quercum ». Plin. IV, cap. 5. Est enim ante Corinthum, quæ antea Ephyre dicebatur, in mari Ægæo. Saron autem Græci quercum dicunt. Avien. vs. 581 : « Hic ritu Graio nomen tenet unda Saronis », non autem *usu*, ut passim legitur. De his locis præter alios Pausan. lib. II. C. — *Saronida prisco.* Sinum Saronicum dicit, qui inter oram Atticam et Peloponnesum est, spatiosus et longus, a Cenchreis ad Sunium promontorium; hodie *golfo de Egina.* Quod autem dicit, priscum ejus nomen esse, hoc explicat Plinius, loco supra citato. Nimirum σαρωνίδες olim erant δρύες, quercus.

425. *Isthmum.* Pap. In nostris MSS *isthmon.* Huds. Sic scribunt et omnes mei.

426. *Orithyiam puellam.* Orithyia Erichtei Athenarum regis filia, quam quum ardenter Boreas ventus adamaret, nec eam precibus a patre conjugem obtinuisset, ipsam rapuit, ac raptam in Thraciam adsportavit, quod, ut in Phædro ait Plato, idcirco fingitur, quoniam ludens puella cum Pharmatia a vento Borea e petris fuerit ejecta, ac perierit. Fabulam scribit Ovid. Metam. VI, in fine. C.

427. *Ilissus.* Hic fluvius, ut multi volunt, Musis dicatus est, quas Ilissidas vocant. Statius autem, Theb. IV, 52, Diris et Furiis consecravit : « Lambit et anfractu, etc. » Quo loco Lactantius plura scribit. Idem, XII, 631, de eodem fluv. et Orithyiæ raptu : « Raptæ qui conscius Orithyiæ Celavit Geticos ripis Ilissos amores ». Avien. v. 584 : « Fertilis hæc herbas, Ilissum subvehit amnem, Ilissi Boreas, etc. » Sic enim legendum est, ex Apollodoro, Strabone, Pausania, Ptolomæo. C. — Prima in Ilisso hic producitur; Avienus tamen, vs. 1218 : « Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso ». Ed.

428. *Quo dicitur:* sic L. C. B. falso A. V. *qua.* Solinus sub finem cap. 12. Pap. *qua* habent omnes meæ antiquæ. — *Quo dicitur unda.* De ea sic scribit Solinus, cap. 7 : « Varro opinatur, duo in Bœotia esse flumina, natura licet dispari, miraculo tamen non discrepante : quorum alterum, si ovillum pecus debibat, pullum fieri coloris *quod induerit :* alterius haustu, quæcumque vellerum fusca sunt, in candidum verti ». De Sybari et Grathi fluviis Italiæ paria memorant scriptores veteres, quorum locos collegit Beckmannus V. C. ad Aristot. de Mir. cap. 183.

430. *Fluminibus vertit* cod. Est. Suec. et S. Galli in Act. soc. Ien. et

Hoc fuscat niveas, hoc albat gurgite nigras.
Locridis inde solum sequitur regionis et ora
Thessalis, et tellus Macetum cum mœnibus altis;
Sub cujus scopulos tangentes vertice cælum
Speluncæ veteris servant insignia cladis:
Finibus in mediis terrarum namque videntur
Ostrea muricibus siccata latentibus esse;
Diluvium latebras dederat quod piscibus illas.

omnes mei excusi : *mutat* scribunt Papius, et qui eum sequuntur. W. — *Fluminibus vertit.* Quia hoc in tribus Msptis, quos collatos habeo, et in omnibus meis excusis exstat, etiam in loco Solini, e quo Priscianus expressit, deserendam putavi lectionem Papii, qui *mutat* edidit.

431. *Hoc fuscat.* Quibusdam fluminibus vis inest mira. Alia enim sunt, quæ pota inficiunt greges ovium, intraque certum tempus, quæ fuerunt nigræ, album ferunt lanam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab affectu Melas nomen est: uterque ex eodem lacu exeunt, diversa facturi, etc. Sen. Natural. Quæst. III. Idem scribit Plin. II, cap. 106. *Hoc fuscat*, i. e. Melas: *hoc albat*, i. e. Cephisus. De his locis Plin. IV, cap. 7, et sequentibus.

433. *Macetum*: sic L. C. B. V. diximus versu 442. Pap. Ex meis *Macetum* habent Ve. 1 et 2: reliquæ *Macedum*, quod vitiosum esse, dubio caret.

434. *Scopulis*: sic C. B. recte. Reliqui *scopulos*, ut *tangentes* non ad *speluncæ* pertineat, sed ad *scopulos*. Solinus, cap. 14, post principium. Pap. Et *scopulos* omnes mei impressi habent. Mihi videtur Priscianus *sub* cum quarto casu *scopulos* junxisse, ut supra vs. 412, item 456 fecit, idque probare *tangentes*, quod certe ad *scopulos* referendum est, non ad *speluncæ*, quæ non diri possunt *tangentes cælum*. Wd. — *Sub cujus scopulos.* Sumpta omnia ex Solino, cap. 4, ubi plura scripsimus. Cam. — *Sub cujus scopulis*: lege *scopulos*. Vid. var. lect. et cf. vers. 836, 954, « tangentes vertice cælum ». De his Solinus, cap. 9: « Quæ in Thessaliam et Athamaniam contendunt, sunt arrectiora, quam usquam proceritas montana adtolli valet: nec est in terris omnibus, quod merito ad istas eminentias comparetur: quippe quas solas diluvialis irruptio, quum universa obduceret humido situ, inaccessas reliquit. Durant vestigia non languidæ fidei, quibus adparet, hos locos superstites undosæ tempestati fuisse: nam in latebrosis rupium cavaminibus, quæ fluctuum confligiis tunc adesa sunt, reduviæ conchyliorum resederunt, et alia multa, quæ adfatim mari incito exspuuntur; ita ut, sint licet facie mediterranea, adpareant tamen specie litorali ».

437. *Muricibus latentibus*, in occultis cavernis rupium asperarum, quemadmodum Ausonius Epist.

Concipit et parit hic naturæ munere gemma,
Quam Pæaniten perhibent: prægnantibus ista
Auxilium confert, facilis relevamine partus.
Cernitur hinc, niveas attollens vertice rupes,
Hæmus Threicius; quem contra tenditur agris
Ad Zephyrum regio Dodones læta feracis:
Ad cujus Notias partes, sub rupe Aracynthi,

. IX, 4, « Ostrea muriceis scopulorum mersa lacunis » dicit. — Et videantur adnotata ad hunc locum, huj. op. t. I, p. 284. Ed.

439. *Gemma :* sic L. B. V. vide notas. De hac gemma eodem capite Solinus, in fine. Pap. Ex meis *gemma* habent Ve. et Vi. reliqui *gemmam*. — *Gemma :* sic L. B. V. Sed C. A. *gemmam :* quam edidi genuina scriptura est : nam si *gemmam* legas, quomodo *hic* designabit Macedoniam, quum præcedat *tellus Macetum :* neque adpellatio ulla masculina sit in usu, ad quam interpres referre se possit. Deinde, ut posset, tamen duæ illæ voces conjunctæ *concipit* et *parit* aliud quiddam præ se ferunt : quod quale sit, Solini locus, qui hic exprimitur, docebit. Is, c. 14, in fine, varie quidem legitur, tam in MSS quam impressis codicibus ; sed hic locus dissensionem librorum ita pulchre componit, ut Solino mutuum hoc non sine fenore Priscianus restituat : vera igitur lectio est, « hunc eumdem et concipere et parere, et parturientibus opitulari, fama prodiga est », quamvis aliter Martinus Antonius Delrio edidit. Pap.

440. *Quam Pearatem perhibent* cod. Est. — *Pœaniten.* Plin. XXXVII, cap. 10, nominat Pœantidem et Gemonidem ; Solin. cap. 14, Pœantem. Cam. — *Quam Pœaniten.* Solinus, cap. 9 extr. « Macedonia lapidem gignit, quem pæaniten vocant..... Circa Tiresiæ sepulcrum plurimus invenitur ».

442. *Cernitur hinc* omnes mei libri habent, præter A. Papii et R. qui *huic* ponunt, et cod. Est. qui *hic*. Wd.

443. Hic versus cum sequentibus nonnullis usque ad 510 e chartis Buslidianis perierant. Pap.

444. *Læta feracis* cod. Est. quod præfero vulgatæ *lata*. Wd. — *Dodones feracis.* Dodonem feracem dicit propter glandium in ea copiam, quibus ante inventum triticum homines vescebantur, Virgil. Georg. I, in princip., vel propter Dodonæi Jovis templum notissimum numinis reverentia, de quo præter alios lege Lact.Theb. III, 106, super illud, « Et nemorum Dodona parens » ; alibi plura ex Strabone, Herod et cæteris. Cam. — Avien. v. 590 : « Partibus a Zephyri Dodonæ vatis alumnus », et *Dodona* Anth. Lat. p. 547, sed melius cum terminatione Græca Lucan. III, 441 ; Claud. Cons. Hon. III, 117 ; Plin. I, 120, 14, II, cap. 103. Ed.

445. *Arachinti* cod. Est.—*Aracynthus* mons Ætoliæ secundum Strabonem et Eustathium. Sed Plinius, IV, 27, Acarnaniæ, Stephanus Bœotiæ montem facit. Cellarius Ætoliæ adscribit. Saxosum et rupibus ple-

Ætolæ gentis sunt belli laude potentis
Campi, quos medios Acheloia persecat unda,
Et mare Trinacrium perrumpit Echinadas inter.
Regna Cephallenæ prope sunt sapientis Ulyssi.
Ista galactiten ripis ostendit in altis :
Uberibus prodest, nec non infantibus idem;

uum indicat Diouysius, uude et Propert. III, 15, 42 : « victorque canebat Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua ». Et *Actæum Aracynthum* Virgilii, Ecl. II, 24, uonuulli interpretes explicant de saxoso et petroso.

446. *Gentes sunt belli laude potentes* MS Est. quomodo et impressi Ve. 1 et 2, C. Vi. I. Wd. — *Ætolæ potentes*. Dicit hoc, quouiam Ætoliæ duces a Marte ducuut origiuem. Mars enim fuit Meleagri pater, Meleager OEnei, OEneus Tydei, Tydeus Diomedis, etc. Lact. Theb. II. Cam.

448. *Et mare Trinacrium*. Ionium dicere debebat, sed Siculum mare vocasse uonnullos, quod a Pachyno Siciliæ ad Cretam usque est, notavimus supra ad vs. 112. — *Inter :* sic L. C. Male A. V. *intra*. Pap. et *intra* habeut omnes mei. — *Echinadas intra*. Insulæ tres sunt in ostiis Acheloi flumiuis, quarum nomiua sunt Artemites, Agallo, Megale : de quibus Statius, Theb. II, iu fine, 730 sq. « Dulce sit, et flavo, etc. » Lucau. VI, vs. 364, « Labitur avectæ, etc. » Origiuem harum insularum lege apud Plin. II, c. 87. C.

449. *Cephalene*, vel *Cephalenia*, iusula maris Ionii, Acarnaniæ objecta, inter Ithacam et Zacynthum. Regnum Ulyssis fuisse dicitur, quia Homerus eum scribit Cephalenes populo præfuisse, Iliad. II, 631 ; Odyss. XX, 210. Quondam *Melænam* esse dictam Plinius, lib. IV, cap. 12, prodit, sed erravit, et quod Homerus in Odyssea aliquoties videtur Cephalleniam Epirum melænam sive nigram nomiuare, inde ille solum uomen Melænæ arripuit, ut ostendit Palmerius, Græc. aut. lib. IV, cap. 24, pag. 520. — *Ulixi* in MSS nostris. Huds. In Ve. 1 et 2, *Ulyxi*. Iu aliis *Ulixi*, *Ulyxis*, *Ulyssi* promiscue. Wd.

450. Solinus, cap. 12, sub initium. Pro *Ista* C. *Iste :* nou male ; quamvis non Achelous, sed *Acheloia unda* præcedit. Pap. *Iste galatiten* MS Est. *Iste galactiten* Ve. 1, C. Vi. I. Wd. — *Galactiten*. Hic lapis ab effectu et colore uomen habuit. Γάλα enim græce, latine *lac*, de quo, ut probatorum tantum auctorum utamur testimouio, lege Plin. XXXVII, cap. 10, et Soliu. cap. 12. Cam. — *Ista*, sc. Acheloia unda. Quæ de *galactite* sequuntur, ita memorat Soliuus, cap. 7 : « Inter calculos, quibus ripæ ejus (Acheloi) micaut, iuvenitur galactites, qui scrupulus ipse ater, si teratur, reddit succum album ad lactis saporem. Feminis nutrientibus illigatus fecuudat ubera, subuexus parvulis largiusculos haustus facit salivarum. Intra os receptus liquescit ; quum solvitur tamen, memoriæ bonum perimit : quem post Nilum Achelous dat, nec alter alius ».

Et si quis terat hunc, albescit lacte liquescens.
Hunc fluvium juxta, præclaros solis ad ortus,
Phocis ad Arctoos ventos extenditur ingens,
Donec contingat calida ostia Thermopylarum,
Sub juga Parnassi; Cephissos gurgite magno
Quam mediam dirimit, descendens murmure vasto;
Qua templum Phœbi memorabile, Delphica sedes.
Nunc magno nobis sunt insulæ ore canendæ,
Quas homines toto dispersas æquore cernunt.
Est igitur ponto tellus circumflua prima,
Cui nomen Gadis: statuas hæc Herculis inter
A Tyriis colitur, Cotinusa vocata vetustis.

452. *Terit hunc* MS Est. — 453. *Præclari solis* Est.

455. *Calida ostia Thermopylarum.* Apud Thermopylas fuisse aquas calidas scribunt omnes. Ex ea enim re nomen inditum. Lege Plin. IV, cap. 3; Strab. IX; Herodot. VII; Appian. in Syrio; Flor. II, cap. 8. Cam.

458. *Qua templum Phœbi.* Dionysius hoc loco pluribus versibus templum Delphicum et tripodem Phœbi descripsit, quæ Priscianus omisit. — *Delphica sedes.* De Delphica spelunca, et in ea Apollinis oraculo, lege Plin. IV, cap. 3; Strab. IX; Justin. XXIV; Lucan. V. Plura in Solinianis adnotationibus. Cam.

459. *Nunc magno.* Insula, ut a definitione sumatur initium, est terra, quæ omni ex parte salo, id est, mari circumclauditur, hincque nomen habet, quasi in salo sita. Rationes insularum enascentium lege apud Plin. Hist. Natur. II, c. 87 et seqq. item Arist. Meteor. II, in fine. De insulis, ut in communi aliqui citentur auctores, scribunt Mela, II; Plin. IV, cap. 12 (alia enim loca pro suis partibus citabuntur); Strabo, III; Diodorus, VI; Solinus, cap. 9, 10, 11, 16; Stephanus, Ptolomæus, Avienus, et cæteri. C. — *Sunt insulæ ore canendæ.* Observat Barthius, Adv. p. 1145, a Prisciano diphthongum corripi, quod ita Virgilius fecerit Græcorum imitatione, Æneid. III, 211: « Insulæ Ionio in magno ». Ego tamen notavi Priscianum hoc sibi vix in alio vocabulo, quam *insulæ* permittere. Cf. vs. 520, 610, 567.

461. *Ponto tellus circumflua*: est mera descriptio insulæ, quæ mox redit vs. 466: cujus similes aliorum poetarum vidimus ad Rutilii Itin. I, 515, hujus tomi p. 147.

462. *Gadis.* De hac insula plura Plin. IV, cap. 22; Solin. cap. 36; Strabo, III, in fine; Dio, VI; Herodot. IV. Dicta autem est Cotinusa ab oleastri copia. Κότινος enim græce, latine oleaster. Alia ejus nomina lege apud Plin. IV, cap. 22. Cam. — *Statuas*: sic L. C. V. Sed A. suo more *stelas*. Pap.

463. *Continusa* Ve. 1 et 2. *Contysa* C. *Cotinussa*, Schrad. ad Avien. Ed.

Continuoque jacent Gymnesiæ; has Baleares
Romani memorant; hinc frangitur æquor Ebuso.
Sardiniæ post quam pelago circumflua tellus
Fontibus e liquidis præbet miracula mundo:
Quod sanant oculis ægros, damnantque nefando
Perjuros furto, quos taclo flumine cæcant.

464. *Gymnesiæ:* sic L. C. Sed A. V. *Gymnasiæ.* Pap. quomodo et omnes meæ, excepta Vi. quæ *Gymnesiæ* habet. — *Gymnesiæ.* De his insulis lege, quæ notavi ad Flor. III, cap. 8. Nunc autem dicuntur Majorica et Minorica. CAM.

465. *Æquore Busos* Ve. 1 et 2, C. I. *æquore Ebusos* B. T.—*Frangitur æquor Ebuso.* Ita solum Carrionis exemplar, sed meo calculo verissime: nam vulgare illud *æquore Ebusos,* quod in A. et L. erat, et quemadmodum V. habet *æquore Busos,* simpliciter dicam, inepta sunt: maria enim insulis frangi, non mari insulas, dicimus. Pap.—Sed tamen ipse mox Priscian. v. 485: « Angustum (mare) rapido quod frangit gurgite saxa ». Atque hinc minime moveri debebat lectio ab omnibus fere libris confirmata, *æquore Ebusos.* W. — Sed rectum est *æquor Ebuso;* quia sic loqui solet Priscianus, ut v. 330, « frangit litore pontum »; et vs. 331, « pulsat molibus æquor ». ED.

466. *Sardoniæ* Ve. 1 et 2.—*Sardiniæ.* De hac insula Plin. III, cap. 7; Diodor. VI; Strab. III. Miracula de his fontibus sumpta sunt ex Solino, cap. 10. De Cyrno Plin. III, cap. 6; Solin. cap. 9. De catochite lapide Plin. XXXVII, cap. 10; Solin. cap. 9. Ab effectu autem nomen habet. Κάτοχος enim græce, latine *detentus* dicitur.

467. Solinus, cap. 9. Pap. — *Fontibus e liquidis.* Narrat Solinus, cap. 4 Salm. « Fontes calidi et salubres aliquot locis effervescunt, ... si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, et captus oculis admissum tenebris fatetur ». — Quæ hic de pœna perjurii, eadem de lacu Palicorum in Sicilia memorantur, de quo vid. Suppl. Exc. II, ad Calp. buj. op. t. I, p. 511. ED. — Egit et Beckmannus V. C. ad Aristot. de Mir. cap. 58.

468. *Quod:* sic L. C. *Qui sanant* MS Est. C. Vi. I. *Quot* Ve. *Quod* B. et T. Wd. — *Quod sanant.* Paullo aliter hunc versum legit Delrio in notis ad Solin. cap. 10: « Quod sanant ægros, pandunt damnantque nefando Perjuros furto ». — *Quod sanant oculis ægros, damnantque nefando.* Sic pulcherrime L. C. ut e loco Solini, unde hæc sumpta sunt, quivis intelligere potest. Pessime A. V. *quod sanant ægros, pandunt damnantque.* Sequenti autem versu, ejusdem loci Solini auctoritate inductus, pro *flumine* leg. puto *lumine;* ait Solinus, *lumina aquis attrectat:* non igitur quavis ratione fontem attigisse sufficit; sed oculis est admovendus, ut fidei fiat indicium: tum quis, de fonte quum loquitur, fluminis adpellationem adhibuit? PAP.

469. *Lumine* malit Papius ex Solino. Huds. *tracto flumine* MS Est. Sic supra, vs. 284, *tractu* et *tactu* permutata esse vidimus. Wd.

Post quam non longe cernuntur litora Cyrni,
Corsida quam pariter, geminato nomine, dicunt.
Hanc solam perhibent catochiten gignere terram;
Corporibus lapis hic, ceu glutine tactus, adhæret:
Nulla tamen tellus altissima robora silvæ
Sic alibi generat: dehinc rupes Æolidarum,

471. *Corsica* C. Vi. I. et MS Est. Wd.

472. *Catochiten.* De eo Solinus, cap. 3 Salm. « Ager Corsicanus, quod in eo agro unicum est, solus edit, quem κατοχίτην vocant lapidem fatu dignissimum. Major est cæteris, qui ad ornatum destinantur, nec tam gemma, quam cautes. Idem impositas manus detinet, ita se junctis corporibus adnectens, ut cum ipso hæreant, quibus tangitur; sic ei inest velut de glutine lentiore nescio quid, parque gummi ». — Solinus, cap. 8. Pap.

473. *Tactus :* sic dat L. C. *tectus* omnes meæ, præter T. quæ exhibet *tactus*. — *Tactus :* ita L. C. Falso A. et V. *tectus;* nam quod in V. est *rectus*, eodem tendit: reprehendere tamen eam scripturam nullo modo velim; sed malo, lapidem tactum adhærere corporibus, ceu glutine, quam lapidem, ceu glutine tectum, adhærere corporibus, dicere: quid? quod ea scriptura, ne quid negligam, propius exprimit Solini verba? qui ait, « ut cum ipso hæreant, quibus tangitur »: nam id studiose interpres facit. Pap.

474. L. C. ut edidi, *altissima robora silvæ Sic alibi generat.* V. *latissima robora silvæ sic habili generat:* quam scripturam A. sequitur, voce tantum *silvæ* in *silva* mutata, propter *habili.* Quid legendum sit omnes facile vident, nisi quod, *altissima* an *latissima* scribas, nihil interest. Illud uno verbo addam, particulam *tamen* idem hic esse quod *autem :* quo sensu versu 45 a me restituta est: et toto libello millies occurrit; quod aliquibus locis admoneo. Pap.

475. *Æoliarum rupes.* Harum numerum et nomina ponunt Plin. III, c. 9; Solin. c. 11; Strab. lib. VI; Dio, lib. VI; Mela, lib. II. In Avien. versu 623 lege *Æoliæque dehinc.* Plin. II, cap. 90. Rursus v. 626, in eodem Avieno videtur legendum « Hospita jactatis inclusit lintea nautis », per synecdochen, i. e. naves. Id autem sumptum est ex Odyss. Hom. X, et Ovid. Met. XIV. *Plotæ* autem dicuntur, quasi navigatu faciles. *Plotes* enim navigabilis dicitur. Servius Æneid. lib. I, 52, super illud, *Æoliam venit,* dicit has esse novem, nisi ex scriptoris incuria id factum sit. C.—*Rupes Æolidarum.* Sic edidit Papius cum pluribus aliis. Sed ego malim *Æoliarum* scribere, quod ex meis impressis habent Vienn. Camert. et Ingolst. Diserte Eustathius Æolias et Æolides distinguit, atque has esse dicit, quas Æoles incolant, quas Dionysius v. 536, Priscianus v. 553 nominat. Idem sensisse videtur Camers, qui propterea apud Avienum v. 623 pro *Æolides* scribendum putat *Æoliæque dehinc.* Discrimen tamen illud non ubique Veteres religiose observasse, admo-

Quas septem numero perhibent, cognomine Plotas:
Quippe viam ratibus pelago dant undique vasto.
Trinacriæ post has moles distenditur ampla :
Cardinibus ternis laterum quam terminat actus,
Procurrens Pachyno longe, claustrisque Pelori,
Exterrensque rates Lilybæi cautibus aspris.

nuit Hudsonus in aduott. ad Dionys.

476. *Cognomine Plotas.* Præter Dionysium vix aliis nomen boc usurpatum. Singulari numero Ploten Homerus, Odyss. X, 3, unam Æoliarum dixit. Rationem nominis ipse suppeditat Dionysius, nempe quod facilis circum circa et per eas sit navigatio.

478. *Post has:* sic L. C. Male A. V. *hos.* Pap. Ex meis *has* ponunt Vi. et T.—*Trinacriæ*, etc. Siciliæ descriptionem lege apud Plin. III, cap. 8; Solinum, cap. 11; Strabonem, VI; Diodorum, VI. Plura in adnotationibus Solini. In Avieno, versu 631, legendum est « se pandit in oram ». Et parum infra : « Sæpe rates : surgunt angustæ marmore fauces, etc. » CAM. — *Ampla moles.* Patet Sicilia, ut docet Plinius circuitu 628 millibus passuum. Plura Diodorus. ED.

479. *Quam terminat ortu Procurrens.* C. Vi. I.—*Laterum actus* videtur esse extensio : quomodo et laterum flexus et tractus terræ vel maris dicitur. Vid. v. 67, et infra v. 828, « mons ingens tenditur actu ». Citerior ætas *actus* nomen dedit agri spatio vel mensuræ 120 pedum. Vid. Isidor. Origg. lib. XV, cap. 15. Sed fortasse melius hic legetur *quæ terminat actas*, i. e. litora quæ pro lateribus sunt. *Cardinibus* posuit pro *summis*, quas dicere alias solet, vel promontoriis, idque ductum a similitudine cardinum cæli, qui quia sunt puncta adversa et extrema, e quibus lineæ ducuntur, quæ cælum secant vel ambiunt, hinc cardines terni Siciliæ Prisciano sunt promontoria, quoniam ex his exeunt litora vel lineæ eam insulam circumscribentes. Ovid. ex Pont. II, 10, 45 : « extremi sub cardine mundi ».

480. *Claustrisque.* Per errorem *castris* positum in texto Papii. Sic L. C. Male A. V. *castrisque.* Virg. « rarescent claustra Pelori ». Pap. *castrisque* Ve. *costisque* Vi. I. *claustrisque* B. et T. cum A. et seq. *Pachinus longe molesque Pelori* C. Wd. — *Claustra* sigillatim vocat Pelori e Virg. Æn. III, 411, quia ibi fretum et angustiæ maris, quæ transitum occludere accedentibus videntur, ut bene ibi monuit Heynius. Hinc apte hoc loco de Peloro Avienus scribit versu 640 : « urgent angustæ marmora fauces, Arctaque præcipitant properum confinia pontum ». Var. lect.

481. *Lilybæi cautibus aspris.* Sic Virg. Æn. III, 706 : « Et vada dura lego saxis Lilybeia cæcis ». Dionysio est Λιλύβη. — Et Avien. vs. 636, « Pars tepet a Zephyro Lilybeia ». De Lilybæo Siciliæ oppido videatur Cic. in Cæcil. 12. Tria hæc memorat promontoria Siciliæ Manutius, ad Cic. Epist. Fam. XII, 28, et ait Pelorum in Italiam spectare, Pachynum in Græciam, Lilybæum in Africam. ED.

Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynusque sub ortum
Adspicit Ausoniam, Boreæque Pelorus ad axes.
Qua mare vix superant haud æquum mille periclis,
Angustum, rapido quod frangit gurgite saxa.
Traditur hic pelagi diruptas viribus olim
Excepisse fretum terras, cogente ruina.
Plurima sunt isthic totum memoranda per orbem.
Dianas fons est, Camerina gignitur unda :
Quem si quis manibus non castis hauserit unquam,

482. *Lylibe Pachynusque* Ve. C. *Lylibæus Pachynusque* Vi. I. Wd.

486. *Traditur hic.* Sil. XIV, 11: « Ausoniæ pars magna jacet, Trinacria tellus; Ut semel, etc. » Claud. XXXIII, R. Pros. I, 140, « Trinacria quondam Italiæ pars una fuit, etc. » Virg. Æn. III, 414; Lucan. III, 59, « Curio Sicanias, etc. » Just. IV. Item cæteri. C. — Et Sallust. Fragm. VI : « Italiam conjunctam Siciliæ, etc. » Ed.

487. *Cogente ruina.* Expressisse videtur locum Virgilii, Æn. III, 414 seqq. « Hæc loca vi quondam et vasta convulsa ruina Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus Una foret, etc. »

488. Solinus, cap. 10. Pap. — *Veneranda per orbem* male hic scribit cod. Dorv.

489. *Dianas :* sic L. C. V. nominandi casu optime. In A. *Dianæ* corrupte. Pap. Corruptum *Dianæ* servant B. et T. — *Dianas fons.* Sumpta non ex Dionys. sed e Solin. cap. 11. Sed utinam fons hic passim per terram omnem hac tempestate dilaberetur, quum libido, prædulce malum, incestet passim omnia, quum nec consanguinitati, aut adfinitati ullus habeatur respectus. « Nunc omnis tellus scelere est imbuta nefando. Optat nunc genitor primævi funera nati, Liber ut innuptæ potiatur flore novercæ. Ignaro mater substernit se impia nato : Impia non verita est Divos scelerare penates. Omnia fanda, nefanda malo permixta furore, etc. Cam. (Sunt isti versus repetiti e Catulli Epithal. Pel. et Thet. extr. W.) — *Dianas fons.* Solini locum, quem respexit Priscianus, hic adscribo ut eum Salmasius edidit, cap. 5 : « Dianam, qui ad Camerinam fluit, si habitus impudice hauserit, non coibunt in corpus unum latex vinens et latex aquæ ». Conf. not. Papii, v. seq. Salmasius, Ex. ad Sol. p. 78, observat, *habitus impudice* græcam locutionem esse, quales in Solino frequentes, ἀναγνῶς ἔχων. Priscianus ei videtur apud Solinum legisse *qui ab Camerina* vel *ex Camerina fluit*, et de Camerina palude intellexisse. Sed Solinus dicit *ad Camerinam*, hoc est, urbem Siciliæ fluere Dianam fontem.

490. *Si quis :* vide notas. Pap. — *Quem si quis manibus.* Sic C. V. A. In L. est *si quæ.* Locum e Solini capite 10 huc adscribam, et corrigam : « Dianam, qui ad Camerinam fluit, nisi habitus pudicæ hauserit, non cohibet in corpus unum latex vineus et latex aquæ » : sic enim

Lætifico tristis non miscet pocula Baccho.
Hæc eadem montem mirandum sustinet Ætnam:
Vertice qui summo rigida nive temperat ignem,
Nec superant flammæ frigus, nec frigora flammas.
At salis hic Acragas miracula possidet unus,
Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis et unda : salem namque illum solvere flammæ,
Unda solet crepitus illi conjuncta movere.
Hic et Halesinus fons est, mitissimus undis;

expressit Aldus. Exemplaria MSS quædam dant « si habitus impudicæ hauserit, non coibunt » : quædam, « si habitus pudicæ hauserit, non coibunt ». E libris legendum puto, nulla pæne mutatione, « si habitus impudice hauserit », aut « nisi habitus pudice hauserit, non coibunt ». Nam Delrionis conjectura non video quomodo probari possit, sine ulla caussa *habitus* in *manus* mutantis; deinde ex *hauserit*, illius mutationis necessitate, *hauserint* facientis. Quod si *habitus pudicæ* aut *impudicæ* pudicam aut impudicam ullo modo significare posset, nihil in Solino quidem mutarem; sed hic *si quæ*, ut L. habet, legerem. Pap.

492. *Mirandum :* sic L. C. Minus recte A. V. *mirandam*. Pap. *mirandam* tenent Ve. Vi. B. *mirandum* C. et I. *mirantem* T.

493. *Nive temperat ignem*. Claud. XXXIII, 164 : « Sed, quamvis nimio fervens exuberet æstu, Scit nivibus servare fidem, pariterque favillis, Durescit glacies tanti secura vaporis ». Silius, XIV, 64 : « Sed quamquam longo flammarum exæstuet intus Turbine, et adsidue subnascens profluat ignis, Summo cana jugo cohibet, mirabile dictu! Vicinam flammis glaciem; æternoque rigore Ardentes horrent scopuli : stat vertice celsi Collis hiems, calidaque nivem tegit atra favilla ». Cam.

495. *Hic salis Acragas* cod. Est. Ve. C. Vi. I. *At salis hic Acragas* B. et T. cum Papio. Wd. — *Salis Acragas*. Eadem de sale isto scribunt Plin. XXXI, cap. 7; Solin. cap. 11; Augustin. de Civit. Dei, XXI, cap. 7. Cam. — *Acragas* vel Agragas, mons vastus Siciliæ (vid. Grat. Cyn. vs. 527), in quo urbs Agrigentum, hodie *Gergenti*. Quæ de sale ejus hic memorat Priscianus, ut et sequentia, habet e Solino, qui l. c. « Salem, inquit, Agrigentinum si igni junxeris, dissolvitur ustione: cui si liquor aquæ proximaverit, crepitat, veluti torreatur ».

496. *Videntur :* sic L. Sed C. A. V. *videtur*. Pap. *videtur* omnes meæ.

499. *Halesinus fons*. Sumpta ex Julio Solino, cap. 11. Ibidem de achate lapide, plura Plin. XXXVII, cap. 1 et 10. Cam. — *Hic et Halesinus*. De eo hæc habet Solinus l. c. « In Halesina regione fons alias quietus et tranquillus quum siletur, si insonent tibiæ exsultabundus ad cantus elevatur, et quasi miretur vocis dulcedinem, ultra margines intumescit ».

Tibia quem extollit: cantu saltare putatur.
Musicus, et ripis lætans excurrere plenis.
Cernitur egregius lapis hic, cui nomen achates:
Hoc dederat fluvius, cujus generatur ad undas;
Hanc simulacra vides venis ostendere gemmam.
Æquoris at Siculi, quod vastis funditur undis,
Ad Noton, est pontus Libyæ, Syrtisque vadosa
Major; at ulterius si pergas, cerne minorem
Occiduam: juxta quam Meninx insula fulget,

501. *Excurrere plenis.* Quod Lucan. VI, 273: «Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas Excurrit ripas, et totos concutit agros».

502. *Achates.* Solin. c. 5: «Achatem lapidem Sicilia primum dedit in Achatæ fluminis ripis repertum, non vilem, quum ibi tantum inveniretur: quippe interscribentes eum venæ naturalibus sic notant formis, ut, quum optimus est, varias præferat rerum imagines».

505. *Ad Siculi* Ve. I. B. T. vitiose. Camersius correxit *at*, et præterea scribit *qui vastis*, referens ad *pontus Libyæ*. Sed hoc perinde est.—*Æquoris at Siculi, qui.* Sic hunc locum correximus, ut ordo et sensus sit: At ad Noton est pontus Libyæ, qui funditur vastis undis Siculi æquoris: quum prius legeretur, *Æquoris ad Siculi, quod.* C.

506. *Libyes artisque vadosa* cod. Est. vitiose.

508. In MSS nostris *Menix.* Huds. Et sic V. 1 et 2, C. *Mennix* I.—*Meninx.* Hæc insula, contra minorem Syrtim sita, distat ab ea centum M. passibus; de qua Strabo lib. ultimo, Plin. V, c. 7; Mela, lib. II. Stephanus: «Meninx insula circa Syrtes, et urbs, a qua, ut inquit, gentile fit Meningius». Corrigendus Avieni vs. 645, apud quem legitur *mixam* vel *nixam*: est enim ut hic *Meninx* legendum. Omisit præterea Avien. Cercinnam insulam, ob libri, ut reor, defectum, cujus Dionys. et cæteri faciunt mentionem. Et versu sequenti legendum apud eumdem: «Rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam»; vel si poetica licentia *dri* produxit, tunc *lembo*, non lembum, legendum esset. Cam. —*Meninx* et, quæ sequitur, *Cercinna* sunt insulæ maris Mediterranei haud multum distantes, ad Syrtim minorem Africæ. Eas præcipue Plinius describit lib. V, cap. 7. Meninx ab Eratosthene Lotophagitis adpellata, oppida habebat duo, Meningem et Thoer. Recentius nomen ejus *Girba* erat, nunc *Gerbi* et *Zarbi.* Cercinna Meninge paullo minor, cum urbe ejusdem nominis libera; hodie *Kerkine.* Ei perparva insula *Cercinitis* Carthaginem versus ponte jungebatur. Nunc *Gamelera* dicitur. De verbo *fulget insula* parum apte conjicit Camers, quando sic dici putat ob purpuram in ea insula collectam. Frequenter poetæ *fulgere*, *nitere* insulas dicunt, quod procul adspectantibus distinguere æquor et clare adparere solent. Ipse Noster infra, v. 550, Sporadas dicit

Et Cercinna simul, Libyca statione patentes.
Adria qua penetrat, venias si parte sinistra,
Atque legas Calabrum litus, tunc insula magni
Ostendit sese Diomedis nomine dicta;
Quo profugus quondam victor concesserat ille,
Conjugis incestæ per fraudes Ægialeæ.
Ionium pergens Absyrtidas æquor ad ortus
Circuit: has olim Colchi tenuere feroces,

relucere: Horatius Cycladas *nitentes* appellat Carm. I, 14, 19; et *fulgentes* Carm. III, 28, 14. Quamquam negare nolim in Cycladibus simul candida marmora respici, ut notavit Janus V. C. ad Horatii priorem locum. — *Fulget.* Hoc ait, quoniam in ea insula purpura colligitur, auctore Plinio, IX, cap. 36. Cam.

509. *Et Gortina simul* C.

510. *Qua:* sic L. C. et B. codex, qui ad hunc versum rursus redit. In A. V. *quas,* male. Pap. *quas* omnes meæ antiquæ ante Papium. *Agria* P. vitiose. Wd. — *Venias si parte sinistra.* Describit Adriatici, vel Ionici maris insulas, quarum, ne præter institutum multa congeram, nomina et numerum lege apud Plin. III, cap. ultimo; Strab. VI, versus finem; Melam, II; Ptolem. III; Virg. Æneid. III. Item cæteri. Cam.

512. *Diomedis nomine dicta.* Duas Diomedis insulas ante promontorium Gargani sitas statuunt Strabo et Plinius, III, 26. Hic tamen unam proprie Diomedeam dici, « conspicuam monimento Diomedis », alteram a quibusdam Teutriam adpellari ait. Ptolemæus quinque Diomedeas numerat, quarum maxima Trimetus, nota hoc nomine et aliis geographis, qui unam tantummodo memorant. Celebris Trimetus exsilio Juliæ, neptis Augusti, auctore Tacito, Ann. IV, 71. Hodie *Tremiti* vocatur. — Avien. 647: « Insula se Graii Diomedis gurgite promit ». Ed.

513. *Consederat* L. Pap.

514. *Ægialeæ:* sic C. B. quod malo, quam *Ægialiæ*, quod habent A. V. Pap. et omnes meæ. Wd. — *Ægyaliæ incestæ conjugis.* Cyllabarus, Stheneli filius, Ægialeam Diomedis uxorem cognovit adulterio, qua re comperta Diomedes in patriam redire noluit, sed in Apuliæ partibus condidit sibi sedem. Id Veneris dolo factum creditur, quam, ut canit Homer. Iliad. V, Diomedes idem vulneraverat. Hæc ex Servio, ad Æn. XI, 269, super illud « Invidisse Deos ». De hac insula, et in ea miris avibus, plura vide in Adnotat. Solinianis. Cam.

515. *Absyrtidas.* Absyrtides Graiis dictæ a fratre Medeæ, ibi interfecto, nomine Absyrto. Plin. III, in fine. Ovid. Trist. III, eleg. 9, dicit eum peremptum in Ponto, in eo loco, ubi postea Tomos urbs exædificata est, exsilii sui locus. Multo aliter Diodorus Siculus, V. Cam. — *Absyrtides* insulæ juxta Histriam duæ sunt Straboni. Mela et Plinius tantum unam agnoscunt, ille Apsyrtim nominans, hic Absyrtium.

516. *Circuitus olim* habet cod. Est.

Lassi dum frustra Medeæ furta sequuntur.
Continuo post hasce Liburnidas adspicis altas
Ad Notias partes : hinc sæva Ceraunia nautis :
Insulæ Ambraciæ contra cernuntur in alto,
Et Corcyra potens, Ithaces atque aspera tellus;
Et quas oblimat rivis Acheloius amnis,

517. *Furta sequuntur* B. *frusta*, quæ Absyrto conciao fecerat. Pap. — *Frustra sequuntur*. Quoniam cæsi ab Argonautia esse creduntur. In Avieni versn 656 lege *Inveniet*. De bis inaulis, et cur sic dictæ, Strabo, VII; Mela, II. Item cæteri. Cam. — *Medeæ furta*, h. e. fugam clandestinam et furtivam. Magis explicite Maro, Æn. IV, 337 : « Neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam ». — Notamus ad Eleg. de Spe, t. II buj. op. p. 282. Ed.

518. *Liburnidas*. De his insulia, quæ a Liburnia, qua in regione aitæ sunt, nomen habent, scribunt Plin. III, cap. ult. Strab. lib. VII, qui adserit, eas esse numero 40. Avienus, v. 658 : « Nec procul Ionii per terga Liburnides adstant, Inque Notum post dira Ceraunia carbasa si quis ». Sic enim legendum est. De Cerauniis Epiri montibus, Virg. Æn. III, 506 : « provehimur pelago, etc. » Plin. IV, in principio, *Acroceraunia* vocat. C. — *Liburnides*, sive Liburnicæ insulæ a Plinio, lib. III, c. ult. enumerantur « Grateæ aliquot, Celadussæ, Bavo, Brattia, Issa civium Romanorum, et cum oppido Pharia ». Cæterum Illyrici oram mille amplius insulis frequentari dicit, natura vadoso mari, æstnariisque tenui alveo intercursantibus.

520. *Insulæ at Ambraciæ* habent Vi. et I. Wd.

521. *Corcyra potens*. De hac insula scribunt fere omnes. Plin. IV, cap. 12 ; Strab. VII ; Diod. lib. IV, cap. 72, docet, unde nomen sumpserit. *Potentem* eam dicit, vel propter pretiosissimam Alcinoi regiam, vel propter ejus fertilissimos hortos, quibus, ut scribit Plinius, lib. XIX, nihil magis antiquitas admirata est, et ut ait Hom. « Assidue pyrum in pyro, malum in malo, ficus in ficu subcrescebat ». Lege late hæc in Odyss. VII. Stat. Silv. I, 3, 81 : « Quid bifera, etc. » Meminit Juven. Sat. V. Cam. — Corcyram amplius laudat Avienus, v. 662, ubi secundam in *Corcyra* corripit. — *Ithaces aspera tellus*. Hom. Odyss. I. « Omnes, inquit, insularum, Dulichii, Samii, silvosæ Zacynthi, asperæ Ithacæ principes, etc. » Et lib. IV. « In Ithaca, inquit, neque lata curricula, neque pratum, neque equis desideratum pabulum nascitur ». Idem alibi sæpe eam asperam, sterilem, duram, incultam nominat. Lege Maronem, Æn. III, 270, « Jam medio adparet, etc. » Lege de ea Plin. IV, cap. 12 ; Strab. VIII. Item cæteros. Cam.

522. *Oblimat rimis* cod. Est. vitiose. — *Et quas oblimat*. Echinadas intelligit, quarum supra meminit vs. 448, insulas Acarnaniæ et ostio Acheloi objectas : quas hic oblimare Acheloum dicit, eo quod ex arena et limo, impetu Acheloi convecto,

Flumine torrenti præcelsam Chalcida linquens.
Sed multæ Amnisi Boreæ sub parte videntur,
Ægylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis :

natæ dicuntur. Lucan. VI, 364 : « et tuus, OEneu, Pænc gener crassis oblimat Echinadas undis ». Et « limosam aquam » Acheloo tribuit Ovidius, Her. IX, 140.

523. *Præcelsam Chalcida linquens.* Chalcis est mons et urbs Ætoliæ, a qua Acheloum fluere Priscianus cum Dionysio dicit, quem et Stephanus sequutus est. Sed aberrare eos, et Evenum fluvium eum Acheloo confundere adfirmat Cellarius, Orb. ant. vol. I, p. 1111.

524. *Sed multæ amnis Hyperboreæ* Ve. 1 et 2. *Hyperborei* C. *Hyperborea* Vi. et I. *Sed multæ annosi Boreæ* MS Est. *Amnissi Boreæ* B. T. Wd. — *Sed multæ amnis Hyperborea.* Videtur hoc ad eumdem Acheloum referendum, ut ordo et sensus sit: Sed multæ insulæ amnis Acheloi videntur sub parte Hyperborea. In Avieni v. 666 : « Plurima præterea consurgunt gurgite saxa, Quæ protentus aquis Achelous pulcher oberrat, Adnisusque dehinc alias circumfluit undis », a verbo *nduitor, conor, firmo, augeo.* Quid si hic legatur, «Amnensesque dehinc alias circumfluit undis? » Amnenses, inquit Festus, adpellantur urbes, vel res aliæ, sitæ prope amnes, vel quæ ante se amnem habent. Nec obstat græcus codex, qui sic habet : «Multæ vero insulæ Amnisi ad Boream videntur ». *Amnisi*, id est, Acheloi amnis circumfluentis, ut etiam Festus exponit. Quidam adserunt, apud Dionysium Amnissum flumen esse. Stephanus dicit Amnison urbem Cretæ, cujus nymphæ, inquit, Amnisiades, vel Amnisides : interpres autem Callimachi, Amnisus fluvius Cretes. Hæc monendi gratia solum. C. (At quantum errorum in hac una adnotatione ! W.) — *Sed multæ Amnisi.* Corruptissima lectio hujus versus, qui vetustas edd. omnes occupavit, effecit, ut interpretes mentem Prisciani non caperent, atque hic insulas Acheloo adjacentes sub parte Boreali, vel adeo Hyperborea, commemorari absurde crederent. Quantum hic somniarit Camers, in ejus notis videri potest : nam Avienum adeo, ut se expediat corrumpere cogitur, et, quem ille recte posuit Amnisum fl. in participium *adnisum* mutare, ut de Acheloo intelligi queat. Sed *Amnisi* tamen nonnulli codices Papii servasse videntur, quia ille vitiosam lectionem nullam ex iis notavit : et codex Estensis, qui *annosi* scribit, veram *Amnisi* omnino confirmat. Scilicet nunc Priscianus ad insulas Cretam circumjacentes progreditur, quod ipsa earum nomina post memorata demonstrant, et Amniso, qui Cretæ fluvius est, ad partem Borealem jacere ait insulas Ægylam, Cytheram, Calauriam, quamquam eæ fere propiores Peloponneso sunt, quam Cretæ. Nec infitior, Dionysium admodum ambigue earum insularum situm definire, qui ex Amniso Cretæ fluvio demonstret, nec Cretam ipsam, nisi inferius post Carpathum, nominet.

525. *Calauria* L. B. C. Sed A. V. *Calabria* male. Pap. *Calvaria* C. *Calabria* Ve. B. T.—*Ægylaque*, etc. De

Ad radios vergit sed Carpathus: hanc prope Crete
Pinguis, et umbrosis extendens collibus Iden,

his insulis Plin. IV, cap. 12; Strabo, VIII. Item cæteri. Primam Ægyaliam Plin. nominat. Avien. v. 669: « Quæ tamen in Boream vergunt magis, *Ægyla parva* »: sic enim leg. est. Secunda Veneri sacra est, unde et Venus Cytherea dicitur. Virg. Æn. X, 51: « Est Amathus, etc. » De *Carpatho* Plin. V, c. 31; Diodorus, VI. Item cæteri. Camers. — *Ægyla* vel Ægilia inter Peloponnesum et Cretam, hodie *Augela*, vel, ut alii volunt, *Serigottum*. *Cythera* Veneri sacra ad Laconicam et promontorium Maleæ, hodie *Cerigo*. *Calauria* ad portum Trœzenium in sinu Argolico, quæ Latonæ vel Apollini sacra fuit, ut ex Ovid. Met. VII, 384, cognoscitur, ubi vide notas Burm. et leto Demosthenis nobilis, teste Mela, II, 7, 90. Nunc *Sidra*, vel, ut alii, *Poros*.

526. *Ad radios*. Vide notas. Pap. Sic habent meæ antiquiores quatuor. *Ad Notias* B. et T. Aldinam sequutæ. Schraderus in schedis volebat *Ad Rhodios*. Vide notas nostras. Wd. — *Ad radios vergit*. In A. *ad notias vergit*, corrupte, sine dubio, ex græca lectionis varietate ποτὶ νότον. Nam L. C. B. V. una scriptura habent *ad radios*: neque dubium, quin ita scripserit interpres, sive lectione aliqua, quam nec in suis exemplaribus Robertus repererit, nec Eustathius viderit, usus est; sive, quod magis puto, locum, ut in græco quidem legitur, in speciem manifeste falsum transferre arbitrio suo voluit, eadem id sibi libertate permittens, qua nunc adjicit, nunc omittit plurima, quaque versus aliquot paullo post sequentes alio, atque ex Dionysio debuisset, ordine transtulit. Pap. — *Ad radios vergit*, i. e. ad Orientem. Quod quædam editiones Aldinam sequutæ *Ad Notias* dederunt, id procul dubio Aldinus corrector e græco effinxit, v. 500, ubi quidam legunt ποτὶ νότον. Sed sic nusquam Priscianus, *qui partes* aut *fines* addere solet, ut v. 519 et 1040. Schraderus quidem in schedis notavit, quia in Mspto *rudios* invenerat, fortasse legendum esse *Ad Rhodios*, et in græco fuisse ποτὶ Ῥόδον suspicatus est. Sed tamen ea mutatione nihil proficitur. Nam quia Rhodus æque ac Carpathus Amniso ad Orientem est, *ad Rhodios* nihil aliud significare potest, quam vulgata *ad radios*. Præstat igitur hanc tot libris confirmatam retinere, ut Priscianus dicat Carpathum *vergere ad Orientem*, quem significat Priscianus ubi *radios* simpliciter vel *solem* ponit. Vid. v. 139, 906, 995. Et aliis poetis nonnunquam in usu fuit, *radiantem* sine ulla adjectione vocare solem, ut observavit Muretus, Var. Lect. lib. XI, cap. 9. Si *ad radios* vel *ad orientem* contrarium est Dionysio, qui habet ποτὶ ζόφον, *ad occidentem*, existimandum est, Priscianum, ubi intelligebat, Dionysium certe ad speciem falsum esse, corrigere errorem sua interpretatione voluisse; quod idem tentavit Papius in notis ad Dionys. — Avienus ποτὶ ζόφον legisse videtur, qui v. 673, de Carpatho: « hæc tamen axem Respicit occiduum ». Homer. Il. XII, 240: Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε, ποτὶ ζόφον ἠερόεντα. En.

527. *Iden*: sic C. B. V. Sed A.

Ante ortus solis perhibent quam fulgere sole.
Gignitur hic alimos : quam si quis mordeat herbam,
Compescit damnumque famis rabiemque diurnam.
At Rhodos Ægyptum contra jacet, insula dives,

Idam. Addit hunc versum e Solini cap. 16, et duos item sequentes. Pap. Idem ex meis habent B. et T. — *Crete pinguis*. De hac insula, ob ejus nobilitatem, scribunt omnes. Plin. IV, cap. 12; Strabo, X; Diod. VI; Mela, II; Ptolemeus, III, cap. ult. Homerus, Iliad. II; Virg. Æn. III, 104: «Creta Jovis magni medio jacet insula ponto, etc.» Unde dicatur, et diversa ejus nomina docent Solin. cap. 16, et Stephanus de Urbibus. C.

528. In uno MS *fulgescere*. Huds. — *Ante ortus solis*. Sumptum hoc ex Plinii lib. II, cap. 11, et Solini cap. 16. C. — *Quam fulgere sole*. Lovan. cod. ponit *perhibent fulgescere*: qua lectione quia relativum *quam* perit, Leidensis hoc etiam principio adfigit *Quam ante ortus*. Nempe *fulgere* media correpta non capiebant librarii, atque hinc *fulgescere* malebant. Hoc verbum serioris latinitatis esse, observavimus ad Nemes. Halieut. huj. op. nostr. tom. I, p. 236 not. ad versum 87. En. — Quod de sole, in Ida ante ortum conspicuo, adjungit, habet e Solino, qui cap. 11: «Præter cæteros (montes) Ida est, qui ante solis ortum solem videt». — Idem de Casio monte notavimus ad Licentii carm. v. 67. Et de Alpibus Avienus, Descr. orb. v. 429.

529. *Halimos* Vi. et l. — *Gignitur hic Halimos*. Idem scribunt Plin. XXII, c. 23, et Solinus, cap. 16. Addit Plinius: «Hujus herbæ semine linguæ subdito non sentiri sitim»: dictio græca, vel si latina ab *alo*, nutrio dicta, videtur. In Avieno, versu 674, scribe, *glebæque ferax*. C — *Gignitur hic alimos*. Solin. c. 11: «Herba ἄλιμος dicitur: ea admorsa diurnam famem prohibet: proinde et hæc Cretica est».

531. De sequentium versuum ordine vide mox notam Papii. Eumdem ordinem vers. quem Aldina, servant B. et T. Wd. — *Rhodos*. De Rhodo insula lege, quæ scribunt Plin. V, cap. 31; Strabo, XIV; Diodorus, VI; Solin. c. 21; ubi plura adnotavimus. C. — *At Rhodos*. Novem versus hinc sequentes, quo ordine a me collocati sunt, in omnibus exemplaribus reperiuntur; neque reprehendi ea collocatio merito potest, etsi alia in Dionysio est: quam Aldus exprimere volens, hunc versuum facit ordinem: «At Rhodos Ægyptum contra jacet insula dives, Nubila quam nunquam verterunt lumina solis; Nam purus caræ potitur telluris: ad ortus Posthac sunt ternæ, citra Patareide summa, Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras. Suniados contra quoque summum rupis, Abantas Supra, sunt Salamis nec non Ægina: sed ortus Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit. Nec procul est Arados Phœnices æquore cincta». In iis eum, qui in hoc numero secundus est, sic edidi: *Nubila qua nunquam verterunt lumina solis*, ex L. B. Carrionis liber habebat, *Nubila qua nunquam vetuerunt lumine solis*, non longe recedens ab eleganti

Suniados contra quoque summum rupis, ad ortus,
Nubila qua nunquam vetuerunt lumina solis;
Nam purus caræ potitur telluris. Abantas
Supra, sunt Salamis nec non Ægina: sed ortus

lectione. V. *Nubila quam nunquam vetuerunt lumine solis.* In quarto versu, pro eo, quod in A. et V. est, *citra Patareide summa*, et in C. *citra Patareida summa*, edidi ex L. B. *citra Patareida summam.* Pap.

532. *Sinnados contra* cod. Est. — *Suniados rupis*, h. e. Sunii promontorii in ora Attica, quod nunc *le Cap des Colonnes*, ob multas columnas marmoreas ibi repertas, adpellatur. Igitur post Carpathum et Rhodum ad orientem sitas, nunc ad occasum et insulas litoribus Græciæ adjacentes redit Priscianus, nec bono ordine insulas recenset, qui tamen alius in ipso Dionysio est, ut observavit Papius ad v. 531. Quam animadversionem Papii totam in notis suis repetiit Hnds.

533. *Nubila.* Vide notam Papii supra adlatam ad vers. 531. Et hic versus e Solini cap. 16 est. Pap. In alio *Nubila qua*, etc. Hnds. Ex meis Ve. C. I. P. legunt ut MS Hudsoni. et *lumina* Vi. *qua nunquam vetuerunt lumina solis* A. Papii et R. *venerunt lumine solis* cod. Est. *Nubila ab hac nunquam verterunt lumina solis* B. et T. — *Nubila quam numquam*, etc. Sumpta ex Plin. lib. II, c. 64. Solin. c. 11: « Nunquam cælum, ait, ita nubilum est, ut in sole Rhodos non sit ». Ob hanc rem Rhodos Soli sacrata dicitur, et ingens illi colossus dicatus. Lege apud Plin. XXXIV, cap. 7. C. — *Vetuerunt lumina solis.* Ambiguitas constructionis, quam nomina *nubila* et *lumina solis* efficiunt, quorum quod ab altero regatur non statim adparet, peperit diversitatem lectionis, quam in var. lect. notavimus. Ea inprimis lectio, quæ *verterunt lumina* præfert, à conatu editorum profecta videbitur, qui eo verbo clariorem efficere sententiam volebant. Sed *vetuerunt lumina*, i. e. impedierunt, vel obscurarunt, quod vetustiorum librorum et magis exquisitum est, haud dubie pro recto et genuino habendum. Sic usurpavit Statius, Thebaid. II, 140, de sole loquens: « donec pater igneus orbem Impleat, atque ipsi radios vetet esse sorori ».

534. *Nam purus caræ.* Rhodon Neptuni filiam Sol adamasse dicitur, ex qua septem filios procreavit, insulamque hanc ab ea Rhodon dixit. Hinc postmodum Rhodii Solem præ Diis cæteris coluerunt, ut tamquam sui generis auctorem. Fabulam, et sub ea latens verum ponit Diodor. lib. VI. C. — *Abantes Supra* C. — *Abantas Supra.* Ordo est: Salamis, nec non Ægina, sunt supra Abantas. C. — *Abantes* sunt populus Euboeæ ins. qui olim e Thracia in Phocidem et Eubœam transgressi, huic insulæ, quæ antea Chalcis aut Macris vocabatur, nomen Abantidis vel Abantiadis dederunt. Plin. IV, cap. 12; et conf. v. 544.

535. *Salamis* et *Ægina* sunt insulæ satis celebres inter Atticam et Argolidem in sinu Argolico: de quibus minus accurate dici videtur, esse *supra Abantas.* — *Salamis* secunda longa ponitur in Avieno, versu 679. Ed.

Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit.
Post hæc sunt ternæ, citra Patareida summam,
Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras.
Nec procul est Arados, Phœnices æquore cincta.
Ægæi vero diversis partibus alti,
Ad fauces arctas multæ sunt insulæ Abydi,

536. *Cyprum*. De Cypro Plin. V, cap. 31; Strabo, XIV, unde autem ita dicta sit docet Stephanus de Urbibus. Cam.

537. *Posthæc*; sic L. C. B. V. Male A. *posthac*. Pap. quomodo et B. et T. Wd.—*Citra Patareida*. Vide notas Pap. *citra Patareide summa* Ve. 1 et 2. C.—*Patareida summam* Vi. *Patareida summa* I. *circa Patareide summa* B. T.

538. Forsitan *ternas*. Hudsonus. — *Nomine terras*. Quod hic *ternas* conjicit Hudsonus, actum agit: nam *ternæ* jam dicuntur superiore versu. Tres Chelidonias memorat Dionysius, cum Strabone et Plinio; alii duas tantum. Cæterum de Patareo promontorio et Chelidoniis insulis supra satis dictum est ad vers. 126 et 127.

539. *Nec procul est Arados*. Ita omnes libri mei, etiam P. Papius tamen *Aridos* edidit, et Hudsonus *Non procul est*. Wd. — *Arados* est insula ad oram Phœnices in confinio Seleucidis, oppositam in continente urbem habens, quæ propterea *Antarados* dicta, teste Plinio. De ea Mela, lib. II, 7, 47: « Arados in Phœnice est parva, et quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet ». Eam insulam olim reguli cum bona parte oppositæ continentis tenuerunt, ut legitur apud Quint. Curt. lib. IV cap. 1.

541. *Ad fauces arctas*. Intelligit Hellespontum, qui inter Seston et Abydon interjacet, in quem Helle Athamantis filia dicitur decidisse. Fabulam scribunt Diod. V; Ovid. Fast. III; Val. Flacc. II, in fine. Exponunt fabulam Euseb. et Palephatus. Hunc locum melius transtulit Avienus versu 689 et seqq. C. — *Insulæ Abydi*. Exhibent vero, *Sestos*, *Abydos* B. et T. — *Insulæ Abydi*. Sic L. C. B. V. pulcherrime, ut mirer, qua fronte Aldinus ille depravator, quicumque fuit, substituerit *Sestos, Abydos*, quum rectissime se omnia haberent. Sensus enim est: Toto passim Ægæo mari, usque ad arctas fauces Abydi, multæ sunt insulæ. Id quidem est, non solum integerrimum interpretis locum sine judicio corrumpere; sed ipsius etiam Græci auctoris sententiam, ad quam hæc mutasse vult videri, non intelligere: non enim Sesti et Abydi, ut in istarum insularum numero habeantur, nam qui possint, quæ ne insulæ sunt quidem, Dionysius meminit; sed ut locum, ad quem usque insularum hunc tractum pervenire dicit, designet. Interpres noster, qui ut utriusque mentionem faciat non laborat, omissa Sesto, alteram tantum urbem, et quidem celebriorem, nominat, exemplo Virgilii, Georg. I, 207: « Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi ». Pap.

Confines Asiæ dextræ, Europesque sinistræ :
Ad Boream tamen hæ pertendunt ordine longo.
Europes Macris contingit Abantias oram,
Et celsa Scyrus, Peparethus, sacraque Lemnos,
Fertilis atque Thasos, simul Imbros, post Corybantum
Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta.

542. *Dextræ :* sic L. C. B. V. Male A. *dextra, Europesque sinistra.* Pap.

543. *Tamen :* sic L. C. B. V. In A. *quæ se* corrupte, quod non viderent *tamen* idem esse, quod *autem.* Pap. *quæ se* B. et T. — *Ad Boream tamen hæ.* Saue *tamen* pro *autem*, ut alibi. Huds.

544. *Macris.* Hæc insula Abantis et Eubœa dicta est, de qua Plinius, IV, cap. 12 ; Strabo, X ; Stephan. de Urbibus. Nunc *Negroponte* dicitur, ut etiam Placidus meminit. Scyrus, Peparethus, ac sequentes statim insulæ, ex Cycladibus sunt, de quibus Plinius, et cæteri, ubi prius. Cur Cyclades dictæ sunt, in Solino exposuimus. Multa de his insulis hic prætermissa sunt, fortassis scriptoris incuria. Quæ lege apud Avien. 705 : « Omnes fatidico curant solennia Phœbo, Nam quum vere novo tellus se dura relaxat, Culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo, Gens, etc. » Ubi advertendum, Avienum hirundinem pro luscinia transtulisse, ob id factum, quoniam eodem fere tempore adparere ac canere incipiunt. Ovid. Fast. I, 157 : « Tum blandi soles, etc.» Plin. XXIX, 10. Aliqui contendunt *aedon*, non *hirunda* legendum, sed cum *cavis culminibus* non convenit : nisi legas in Avieño : « Montibus atque homini blandum, etc. » ut habet codex græcus. Cam. — In nostris MSS *contingit*. Huds. Idem in MS Est. et in omnibus meis impressis : *agnoscit Abantias*, quod Papius edidit, habent tantum ejus sequaces P. R. et H. Ego *contingit* revocandum duxi. Wd.

545. *Celsa* L. C. B. Male A. V. *celsam.* Pap. Ex meis *celsa* habent Ve. C. I. — *Sacra Lemnos.* Hoc ait, quoniam Lemnos Vulcano sacra est. Statius, Theb. V, 30, et Valerius Flacc. Argon. II. Cam.

547. *Cernitur aucta* cod. Est. Idem in suis MSS esse adfirmat Hudsonus. — *Samothracia*, vel *Samothrace*, insula maris Ægæi, Thraciæ adjacens, qua Hebrus in mare influit. Hinc Dionysio, v. 524, Θρηϊκίη Σάμος, et ab Avieno, v. 703, *Thressa Samus* dicitur. Additur Κορυβάντιον ἄστυ, et Prisciano *Corybantum mœnibus antiquis alta*, quia ibi templum nobilissimum, atque una cum Delphico toto orbe sanctissimum erat, quo sacra mysteria celebrabant Corybantes, Cybeles sacerdotes, sacro furore acti, cymbala pulsantes, et inter saltandum capita jactantes. Cereris et Proserpinæ mysteria ea fuisse tradit Strabo. *Altam* igitur quando Priscianus Samothraciam dicit, celebritatem ejus et sanctitatem videtur respicere. *Aucta* si quibusdam cum MSS legatur, possit id de templo inædificato et sacris ibi constitutis intelligi. At *acta* Samothracia legere ju-

Ast Asiæ partem quæ tangunt æquore primam,
Delon circumdant : has dicunt Cycladas esse.
Continuo Sporadas ceu stellas adspicis albas,
Ioniasque simul : quas inter Caunus, et altæ
Sunt Samos atque Chios celebratæ nomine claro;
Æolicæ post, et Lesbus Tenedusque sequuntur,
Et sinus inde Melas Helles prorumpit in æquor.

bet Heinsius in ora libri sui, quod tamen minus aptum videtur, quia ablativi *mænibus antiquis* sic destitui videntur nomine, a quo pendeant.

548. *Quæ tangunt æquore primæ* L. C. B. In A. *qua tangunt æquora primam.* In V. *quæ tangunt æquore primam.* Pap. *quæ tangunt æquora primæ* cod. Est. Mihi placet lectio Venetæ Papii, *quæ tangunt æquore primam*, quam et habet Ve. 1 et C. Aldinæ tamen lectionem sequuntur B. et T.

550. *Continuo Sporadas.* Qui hunc locum hactenus interpretati sunt, meras nugas somniasse nemo dubitet, qui, quum passim scriptum fuerit *Contimbos Parados*, Coutimbon et Paradon insulas esse crederent. Nos autem *Continuo Sporades* ex græco codice emendavimus, qui fere in hunc modum habet. Deinde vero Sporades circumsplendent iusulæ, quemadmodum per nebulosum aerem stellæ videri solent. C. — *Continuo Sporadas.* Monstrosam lectionem, cujus meminit Camers, *Contimbos Parados*, e codice Lov. et Dorv. enotatam, et in antiquis edd. Ven. et Col. invenio, et primum se correxisse e græco scribit Camers, quem statim sequuta est Ingolst. Pro *almas*, quod iu vulgatis edd. est, restituendum in textu putavi *albas*, licet hoc iu solo cod. Est. observatum repererim. Nam ut *albas* splendori stellarum, qui hic maxime respicitur, accommodatum, ita et græco Dionysii consentaneum est, qui Sporades micare undique ut sidera dicit, περιπαμφανόωσιν Οἷον ὅτ'.... εἴδεται ἄστρα. Id vero Eustathius de Sporadibus dici observat, propter earum insularum argillosam et albam terram. Igitur Priscianus *albis stellis* comparaverit, necesse est, non *almis*. Cf. not. nostra ad vs. 508 supra, pag. 320. Ed. — *Adspicis albas* cod. Estensis.

551. *Ioniasque* C. B. Male A. V. *Ionidasque.* Nam in ea voce secunda longa est. Pap. — *Ioniasque.* Numerum et nomina harum insularum posuit Plin. IV, cap. 12; Strabo, X, in fine; Mela, II. Dictæ autem sunt ab Ionia Asiæ provincia, in regione cujus sitæ sunt. Diodor. lib. VI. Cam.

552. *Celebratæ nomine claro.* Samos celebris, quoniam Juno in ea nata, et Jovi nupta creditur. Lactant. I, cap. 17. Et idem (si tamen is est), Theb. I, « Et Samon, etc. » Chius inter cætera celebrata marmoris nobilitate, ac Apollinis templo. De his, et sequentibus, Plin. V, cap. 31; Strabo, XIV; Dio, VI; Mela, II. Cam.

553. In uno MS *Lesbos Tenedosque.* Huds. Sic et C. I.

554. *Melas* sinus maris, qui Thraciam et Chersonesum penetrat, et a

Panditur hinc pelagus, tumidaque Propontide fervet
Ad Boream; saxisque riget Proconesus in illa.
Est etiam lævis Euxini partibus una,
Quam Leucen perhibent, adversa Borysthenis amni,
Pascit aves quoniam multas candore nivali.

fluvio Thraciæ, qui eum influit, denominatus est. Minus commode ille dicitur *Helles prorumpere in æquor*. Nam inter illum sinum et Hellespontum est Chersonesus. *Melan* Arcadiæ fluvium supra memoravit Noster v. 413.

556. *Saxisque viget Proconesus.* Sic quidem omnes excusi legunt, sed non dubito rectius esse, quod cod. Leid. exhibet, *riget saxis*, i. e. marmoribus. Sic Rutilius, I, 38, « cautibus alta rigent »; Lucan. IX, vs. 651, « totæ riguerunt marmore gentes ». Sic *rigorem* et *vigorem* sæpius commutari a librariis observavit Drakenb. ad Silium, VI, 271. *Proconesus* insula Propontidis contra Cyzicum. Vocabulum Priscianus simplici *n* scribit propter metrum. Præter eum solus id Stephanus fecit, cæteri cum geminato. Marmoris proventu eam insulam laudari pluribus testimoniis probavit Cellar. vol. II, pag. 11. Cæterum hoc de Proconeso addidit Priscianus. Apud Dionysium nulla ejus fit hoc loco mentio.

557. *Euxini partibus* L. C. B. V. In A. accesserat *in* hoc modo, *Euxini in partibus*. Pap. Ita etiam in B. et T.

558. *Leucen perhibent*. De hac insula præter alios Plin. IV, cap. 12 et 13. Hæc alio nomine Achillea dicitur, quoniam in ea Achilles sepultus est, ut ait Mela : ob hoc dicitur, *animas heroum* ibi *degere*. Ex græco codice sic castigavimus : « Pascit oves quoniam cunctas, etc. » Avienus Leucen dictam putat ob albos in ea montes : « E regione procul spectabit culmina Leuces, Leuce cana jugum, etc. » Sic enim legendum est, non *Leuces*. De hac insula plura apud Solinum. Cam. — *Leucen* insulam, quam satis descripsit Camers in notis, et Dromon Achillis, de qua supra ad vs. 297 dictum est, et Achilleam pro iisdem insulis habet Arrianus in Peripl. Pont. Eux. qui plura de ea, sigillatim de Achille in ea culto, memorat, p. 21 sq. tomo I Geogr. min. Huds. — *Amni* L. C. B. Sed A. V. *amnis*. Pap. et *amnis* omnes meæ antiquiores.

559. *Pascit aves quoniam multas*. Camers hic in Viennensi dedit *Pascit oves cunctas*, idque se ex græco sic emendasse scribit, eumque sequitur pro more Ingolst. sed sola. Nam quod Colon. Torchilli habet *oves quoniam multas*, id ex errore positum pro *aves*, nec totam correctionem Camertis exprimit. At Dionysius dicit κινώπετα λευκά, quæ Eustathius explicat θηρία ὀρνέων, τουτέστιν ὄρνεα, ὧν ἡ κίνησις ἐν τῷ πέτεσθαι. Præterea Arrianus l. c. tradit, aves innumeras, ut laros, et fulicas, et coturnices marinas in illa insula degere, et templum Achillis madefactis aqua alis verrere et purgare solere. Hinc Dionysius nihil aliud voluit, quam avium earum

Hic animas perhibent heroum laude potentes
Degere securas, virtutis munere pulchro.
Cimmerium recta sed si quis Bosporon ibit,
Cernitur huic dextra vastæ Mæotidis unda,
Insula mole gravi stans, Alopecea lata:
Post quam Phænagoren Hermonassamque nepotes

multas colore albo esse. Imposuit fortasse Camerti, quod κινώπετα interpretes et lexica plerumque reddunt *animalia*. Sed si quadrupedia universe intelligebat, quid eum cogebat solas oves nominare, quarum color albus tam vulgaris et communis pæne omnibus terris est, ut pro memorabili Leucæ insulæ laudari minime potuerit?

562. *Cimmerium Bosporon*. Lege supra v. 156, Plin. VI, cap. 6. In Avien. v. 730, potest legi *ore patescit*. Et parum infra *Et muris attollitur*. Et v. 737, *Memores date*. C.

563. *Huic dextra* L. C. B. Male A. V. *hinc*. Pap. *Hinc* etiam cod. Est. Et omnes excusi veteres.

564. *Gravi stans*. Vide notas Pap. *Gravis traus Alopecea* sex meæ antiquæ: sed *gravis stans* cod. Est. Wd. — *Alopetia*. Hæc insula ante ostia Tanais sita est. Plin. IV, cap. 12; Ptolem. tab. II, Asiæ. C.—*Mole gravi stans Alopecea lata*. Sic L. optime, uisi fallor. Reliqui omnes C. B. V. A. *gravis trans Alopecea lata*, quod ego non intelligo: miror tamen exemplarium consensum. Dionysius quidem non Alopecen insulam, ut Priscianus accepit: sed Tauricam Chersoneson, in qua sunt Hermonassa et Phænagore, quam Phanagoriam Plinius appellat. Sic enim Eustathius accipit. Priscianum autem de Taurica Chersoneso ne cogitasse quidem, ex eo intelligere licet, quod ἧς ἔπι non *in qua*, sed *postquam* transtulit: quo magis legendum puto, *gravi stans Alopecea lata*. Pap.

565. *Post quam*, quod Papius et ejus comites ediderunt, habent quidem antiquæ Ve. Vi. B. T. Sed *In qua* C. et I. Vide notas nostras. Wd. — *Phænagoren Hermon*. Adeas Plin. VI, cap. 6; Melam, I in fine; Strab. lib. XI. Alopetiæ et Phanagoræ sive Phanagoriæ meminit Stephan. C.—*Postquam Phænagoren*. Notavi in var. lect. editiones veteres C. et I. habere *In qua*. Igitur proferunt hæc exemplaria, quod Papius extrema in nota miratus est, Priscianum non scripsisse, Phænagoren et Hermonassam esse *in* insula, quam Dionysius immensam, et intra Mæotidem paludem ad dextram sitam esse scribit. Sed erravit haud dubie Priscianus, quod insulam, quam Dionysius describit, sed non nominat, pro Alopecia accepit, quæ est insula ostio Tanais objecta. Neque minus errat Papius, quando urbes Hermonassam et Phænagoren, quas Dionysius nominat, esse in Taurica Chersoneso existimat, licet sic acceperit Eustathius. Nam Dionysio de Taurica Chersoneso non sermo est, sed de peninsula *Corocondama*, inter Bosporum, Pontum et Mæotin, in qua eas urbes esse tradunt Mela, lib. I, c. 19, 113, et Plinius, lib. VI, cap. 6; quamque Dionysius

Egregiæ quondam coluerunt gentis Ionum.
Insulæ hæ celebres pelagi sunt nomine claro.
Ast alias refluum circumdat Tethyos æquor,
Quarum demonstrem positum regionis, et auras.
Æthiopes habitant Erythiam pectore justi,
Atlantem juxta, longævi: finibus olim
Venit Hyperboreis quæ gens, post fata perempti

cum Strabone verius insulam dicunt. Hanc Priscianus utrum cum Alopecia confuderit, an ab ea distinxerit, incertum est, quia nondum liquet, *Post quam* apud eum, an *In qua* legendum sit.

566. *Ionum.* Lege quæ scribit Hermog. VI, c. 6; infra v. 663. C.

568. *Ast alias*, etc. Prius de insulis Mediterranei maris, quæ notiores sunt. Nunc de his insulis famosioribus, quas efficit Oceanus, exsequitur Dionys. ab Occidente, ut antea, sumens initium. Scriptores suis locis citabuntur. C.

569. *Et oras* L. C. B. Male A. V. *ad oras*. Pap. Et *ad oras* omnes meæ antiquæ habent. Sed Schraderus in schedis bene animadvertit legendum esse *et auras*. Vide notam nostram. W.—*Quarum demonstrem*, i. e. demonstrabo. Vid. v. 643 et 694. Ed.—*Regionis, et auras.* Justa de caussa lectionem a Schradero restitutam, rejecta vulgata, amplectimur, *positum regionis et auras.* Sic enim exprimit, quæ Dionysius habet v. 557, θέσιν et ἀνέμοιο σφυρόν. Et idem Avienus explicavit v. 736, « quibus illæ flatibus omnes Pulsantur ». Et solenne est nostro, situm locorum secundum regiones ventorum definire. Vid. v. 105 seq.

570. *Æthiopes justi.* Jupiter cum Æthiopibus, propter eorum justitiam et æquitatem, deserto cælo frequenter epulari dicitur, Lactant. Theb. V, super illud *Vultibus, arcana.* Idem scribunt Hom. Il. I, et Macrobius, II, de Somnio; Solin. c. 43. Macrobii Æthiopes justitiam colunt, et amant æquitatem, quorum dimidio protentior, quam vita nostra est. Hinc auctor eos *longævos*, Græci Macrobios dicunt. C. —*Erythiam.* De hac insula, quæ varia sortitur cognomina, scribunt Plin. IV, in fine; Solin. cap. 36; Strab. III; Mela. C.

571. *Finibus olim.* Vide notas. Sic Papius in margine. Sed inter notas nihil inveni ad h. l. notatum. — *Longævi.* Post hanc vocem duo hæc hemistichia, *scilicet illos* Μακροβίους *Græci dixerunt*, addiderunt Aldinæ editionis magistri, quum a cunctis libris L. C. B. V. absint, neque Prisciani certe sint. Pap.

572. *Facta* dederunt Ve. 1 et 2, Vi.—*Venit Hyperboreis quæ gens.* Plin. IV, cap. 12; Solin. cap. 26; Mela, lib. III, scribunt Hyperboreos solitos per virgines probatissimas primitias frugum Apollini Delio missitare. Sed eos venisse in hanc Erythiam insulam habitandam, necubi memini me legisse. Sed quum hic poeta sæpissime sententias Solini Dionysio intermisceat, ausim adserere, sic hunc locum emaculandum, *Venit Erythræis quæ gens*, etc. codex enim

Geryonis, domuit quem virtus Herculis ingens.
Sed summam contra Sacram cognomine, dicunt
Quam caput Europæ, sunt stanni pondere plenæ
Hesperides : populus tenuit quas fortis Iberi.

Græcus nullam facit in hoc loco de Hyperboreis mentionem. Solinus autem, cap. 36, sic inquit: In capite Bæticæ, ubi extremus est noti orbis terminus, insula a continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrii a Rubro, id est, Erythræo mari profecti, Erythræam, Pœni lingua sua *Gadir*, id est, *Septem* nominaverunt. Idem scribunt Plinius, IV, cap. 22; Mela, III; Diodor. VI; Strabo, III, ubi docet ille, quibus ex rebus fabula de Geryonis armentis ficta sit. Lege Justinum lib. ultimo. Diu hic me locus ancipitem tenuit. Cam.—*Venit Hyperboreis.* Gravi sane ratione Camers de veritate hujus lectionis dubitavit, et Priscianum, auctore Solino, non *Hyperboreis* sed *Erythræis* scripsisse contendit. Lege ipsum. Non insolens est librariis, apud Nostrum Hyperboreos videre, et invitos iniquo loco ponere. Vide var. lect. ad v. 524. Neque vero primus vel solus est Solinus, qui Erythiæ insulæ cultores ab Erythræo mari arcessivit; sed Plinius, a quo ille habet, idem prodit lib. IV, cap. 22. Ast Solinum falso Erythræam pro Erythia vocare insulam, docet Salmas. Exerc. Plin. pag. 201.

573. *Geryonæ* e MS adnotavit Schraderus.

574. *Sacram* L. C. B. melius, quam A. V. *sacrum*. Pap. *Sacram cognomine.* Ita interpunxi, quum antea esset, *Sacram, cognomine dicunt.* Huds. *Sacrum* vitiose præferunt omnes meæ veteres. Sed *summam Sacram* more suo Priscianus *Sacrum promontorium* dicit. — *Sed summam contra.* Promontorium sacrum in ora Lusitaniæ, quod Strabo libri III initio non Europæ solum, sed totius orbis habitabilis extremum monimentum ad occasum solis vocat.—Avieno *Mons Sacer* dicitur. Ed.—Hodie *Caput S. Vincentii.*

575. *Sunt stanni pondere plenæ Hesperides.* Sunt insulæ, quas Mela, III, et Plin. IV, cap. 22, Cassiterides nominant a stanni s. plumbi copia ibi provenientis. Sunt enim ex adverso Celtiberiæ numero decem, auctore Ptolem. II, cap. 5, qui nisi in libro sit defectus, Caterides nominat. Hesperides dictæ a loco, i. e. occidentales, non illæ de quibus Plin. VI, cap. 31, et Solin. cap. ultimo. C.

576. *Fortis Iberum* legit Schraderus in schedis, quia *Iberes* vs. 679 nominautur. Sed alterum defendi e v. 269 potest: *dederat queis nomen Iberus.* Wd. — *Hesperides.* Has et Cassiterides confundit, de quibus Mela, III, 6, 21: «In Celticis aliquot sunt, quas quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiteridas adpellant». Celticos intelligit Mela, qui ad Artabrum promontorium habitabant, e communi Veterum errore, qui Cassiterides, id est, Britannicas insulas minores, quas hodie *Soerlinges* vocant, huic promontorio vicinas existimabant. Dionysius tamen aliter Hesperides, ac Mela Cassiterides collocat, in mari Hesperio contra Lusitaniam, atque

Ast aliæ Oceani juxta Boreotidas actas
Sunt geminæ; Rhenique Britannides ostia cernunt:
Hic etenim lasso perrumpit Tethya cursu.
Has tamen haud valeat spatio superare per orbem
Insula: perfulget nigro splendore gagates
Hic lapis, ardescens haustu perfusus aquarum;
Ast oleo perdens flammas, mirabile visu;
Attritas rapit hic teneras, ceu succina, frondes.
Nec spatio distant Nesidum litora longe;

post eas habitare Iberos dicit, qui ad Artabrum promontorium pertinent, et post Iberos insulas Britannicas in Oceano boreali ponit. Unde Priscianus falso et contra mentem Dionysii scribit Hesperides populum Iberorum tenere vel habitare. Cassiterides Herodotus, III, 15, scribit se ignorare, ubi sint.

577. *Boreotidas* L. C. recte. In A. V. *boreetidas*. In hoc etiam *archas* pro *actas*, quemadmodum quidam Græci codices hic habent. Pap. *Boreotidas actas* recte præfert cod. Est. *Boreetidas archas* V. 1 et 2; *ortus* C. *arctos* Vi. et L. *actas* B. et T. ἀκτὰς habet ipse Dionysius. Wd.— *Juxta Boreotidas actas*, juxta litora Oceani borealis.

578. *Britannides*. De Britannia plura in adnotat. Solinianis, cap. 35; Plin. IV, cap. 16; Ptolem. II, cap. 3; Diodor. VI, apud quos ejus mensuram invenies. C.—*Sunt geminæ:* nempe Albion et Hibernia, ut exponit Eustathius.

580. *Valeat* L. C. B. In A. V. *habeat*. Hic etiam *tamen* significat *autem*. Pap. *habeat* omnes meæ vetustæ. Atque hoc fere elegantius et exquisitius puto, quam *valeat*, quod ex interpretatione aut glossa esse videtur. Wd.— *Haud valeat spatio*. Rectius mea sententia, quod veteres editi præferunt, *haud habeat superare. Habeo* pro possum, audeo, cupio. Horat. Epod. XVI, 23: «Sic placet: an melius quis habet suadere?» Sil. XVI, 208: «lætus habe nostros intrare penates». Tertull. Carm. de Sodoma: «Non habitura loqui, quod viderit».

581. *Præfulget* MS Est.—*Gagates*. De hoc lapide Plin. XXXVI, c. 19. Nomen id autem habet a flumine quodam Lyciæ. C. — *Gagates*. Et hoc haustum e Solino, cap. 22: Salm. «Gagates hic (in Britannia) plurimus optimusque est lapis: si decorem requiras, nigro gemmeus; si naturam, aqua ardet, oleo restinguitur; si potestatem, attritu calefactus adplicita perinde detinet, atque succinum».

582. Pro *haustu* vitiose *austri* legunt Ve. et Vi.—*Austri perfusus*. Videtur legendum *haustu* vel *austro*; humectatione, a verbo *austro*, i. e. *humecto*. Plautus: «Austrati ad ignem sedent». Simile lege apud Plin. II, cap. 107 et 108. C.

585. *Nec spatio distant:* sic C. B. V. Vide notas. Pap. In Dionysii exemplaribus νησιάδων. Fortasse νησίδων legebat Priscianus. Huds. In Veneta 1 et 2, et in Vi. versus hic

In quibus uxores Amnitum Bacchica sacra
Concelebrant, hederæ foliis tectæque corymbis.

legitur, ut edidimus: *littora longo* C. *nesiadum littora longo* I. *Nesiadum spatio nec distant littora longo* B. et T.—*Nesidum litora.* Legendum videtur, non Nesidum, sed Nyseidum, vel Nysidum, per synecdochen, a Nyseo seu Baccho, quod in his insulis præcipue colator. Ovid. Met. III, de Baccho inquit, « Inde datum Nymphæ Nyseides antris Occulnere suis ». Diod. VI, dicit, Naxon insulam Nysiadam dictam, quuoiam in ea Nyseus nutritus sit. Codex græcus νησιάδων retinet. Ptolom. in his locis, id est, II, c. 5, ponit duas insulas ante ostia Minii fluminis, quas Deorum insulas nuncupari dicit, sortitas fortassis nomen ab incolarum religione. Plin. IV, cap. 22, sex esse dicit. E regione, inquit, Arrotrebarum promontorio, Deorum sex, quas aliqui Fortunatas adpellant. Avienus, vs. 751, dicit hæc litora esse brevem e pelago verticem. Quid si Syllanas insolas uterque intelligat, quas gens Britanua Dunnoni tenent? In lös, ut inqnit Julius Solinus in capite 35, homines etiamnunc custodiunt morem vetustum, nommum refutant, percolunt Deos, etc. Poeta hic, quod forte scriptoris incoria factum est, quinque Dionysii versus præteriit, quorum sententiam Avien. tribus versibus comprehensus est: « Non sic Absinthi, etc. » v. 755. C.—Ut hunc versum edo, legitur in C. B. V. Io A. *Nesiadum spatio nec distant littora longe*, adnotatis e L. varietatibus *Neriadum*, et *longe*, sed de vocum ordine, quod miror, nihil. Ego tamen non possum, quin suspicer in L. ita fuisse, *nec spatio distant Neridum litora longe.* Et Aldinos, quia νησιάδων in græco reperiebant, mutasse ordinem, non animadvertentes tantumdem νησιάδων adpellatione significari, eamque Græcis multo esse frequentiorem, quam νησιάδων, et fieri posse, ut ita in græco exemplari Prisciani scriptum fuerit. Pap.—*Nesidum litora.* In græco est νησιάδων, qood insulas parvas significat. Priscianus id pro nomine proprio habuisse videtur, et *Nesides* vocavit, quod idem est: neque igitur attendendi interpretes, qui aliud nomen supponere voluerunt: *Nysidum*, pro *Nyseidum*, quod Camers substitoere vult, longius petitum est; nec felicior ejus opera est, ubi quo nomine et situ hæ insulæ ab aliis memorentur, inquirit. Ego vix dubito, quin Orcades insulæ, Scotiæ adjacentes, intelligantur, quarum nomen quia ad græcum ὀργιάζεσθαι, vel ὄργια, perperam referebatur, hinc videtur fama de sacris Bacchicis a mulieribus in iis insulis celebratis orta. Hoc fieri eo facilius poterat, quod et Emodæ vel Ebudæ insulæ in ea ora memorantur, et Emodi montes extremæ Indiæ sunt, ad quus Bacchos devictis Indis penetravit. Vid. Dionys. v. 1162. Cæterum *Amnites* vel Aunites, quorum uxores orgia peregisse dicuntur, qui populus et unde fuerint, non reperio, et tota res incertissima est. Avienus eorum nomen prudens præteriit.

586. *Aunitum Bacchica* cod. Est. Sed *Amnites* probare videtur Schrader. ad Avien. 751. Ed.

587. Vide notas Pap. Quatuor versus, quos Aldina post hunc in-

Oceani tranans hinc navibus æquor apertum,
Ad Thulen venies; quæ nocte dieque relucet
Titanis radiis, quum curru scandit ad axes
Signiferi, Boreas succendens lampade partes.
At navem pelago flectenti Aquilonis ab oris
Ad solem calido referentem lumen ab ortu,
Aurea spectetur tibi pinguibus insula glebis.

serit, et Papius ejecit, absunt etiam a meis vett. Ve. C. Vi. I. redeunt in B. et T. omittuntur in P. R. H. — *Concelebrant.* Post hunc versum hi quatuor in Aldina editione accesserant: « Non sic Bistonides Absinthi ad flumina Thraces Exsertis celebrant clamoribus εἰραφιώτην. Non sic, prærupto qua currit gurgite Ganges, Indi solennes epulas peragunt Dionyso »: quos eodem jure, quo superiores aliquos, ejeci, etsi, digressionem, quæ in Dionysio est, continent. Adulterinos enim esse probant reliqui omnes libri, a quibus absunt, L. C. B. V. Pap.

588. *Hic navibus* meæ vett. cum Papin, præter I. quæ *hinc*, quod etiam in MS Bodlei esse dicit. Hnds.

589. *Ad Thulen venies.* De hac Plin. IV, cap. 16; Solin. cap. 35; Strabo, IV. Servius primo Georg. super illud: « Numina sola colant ». Item cæteri. Camers. — *Ad Thulen venies.* Thule ultima orbis cogniti ad septemtrionem insula, de qua affatim Camersius in notis, et nos quædam notavimus ad Rutil. I, 499. Cellarius ejus nomine *Schetland* sive *Hitland*, aut insulam *Fero* intelligit; fortasse etiam maximam Scandinaviæ peninsulam posse intelligi existimat; sed plures alii *Islandiam.* — *Nocte dieque relucet.* Martianus, lib. VI, « Ultima omnium, inquit, Thule, in qua solstitiali tempore continuus dies, brumalique nox perennis exigitur ». Plin. II, cap. 77, et IV, cap. 16, Pythiæ Massiliensis testimonio adserit in Thule solstitialibus diebus, accedente sole propius verticem mundi angusto lucis ambitu subjecto terræ, continuos dies haberi senis mensibus, noctesque e diverso ad brumam remutu. Apud Avien. v. 760, lege *Inveniet vasto*, etc. Cam.

590. In uno e nostris MSS *quum currus scandit*, in altero *quum currus candet.* Hnds.

591. Pro *Signiferi* Schraderus in schedis legit *Ignifero curru*, et deinde *succendens lumine.* Tum per *axes* Priscianus intelligit Septemtrionem, ut versu 625, 687, et forte 941. Wd. *Succendens*: sic C. B. et T. etsi, quod in A. V. est, *succedens* reprehendi non potest. Pap. *Succedens* habent quatuor meæ vetustiores. — Pro *Boreas* mallem *Boreæ.* Ed.

594. *Aurea spectatur.* De hac insula Solin. cap. 65: « Extra, inquit, Indi ostium sunt insulæ Chryse et Argyre, adeo fecundæ copia metallorum, ut plerique aurea sola eas habere prodiderint ». Leg. Plin. VI, c. 29. Item Mela, lib. III. Prætermisit hic interpres Coliada, i. e. Veneris insulam, de qua Avien. versu 773: « Inque Notum », etc. Cod. græc. sic fere habet: « Inde jugum ad Notium conversus protinus ipse Coliados

Hinc tepidos proram convertens navis ad Austros
Taprobanen venies, generat quæ magna elephantes
Per fines Asiæ; jacet hæc sub sidere Cancri:
Litoribus cujus saliunt densissima cete,

tollit mox se ingens insula ponto». C. — *Pinguibus insula glebis.* De insula Chryse loquitur, quæ cum altera Argyre ad Indi ostia ponitur a geographis, quorum loca adduxit Camers. Quæ Priscianus de ejus fertilitate addit, Dionysius non habet, sed haud dubie sumpsit e Solino, qui Chrysen et Argyren ait adeo *fecundas* esse *copia metallorum*, ut plerique *eas aurea sola prodiderint et argentea habere.* Hæc Priscianus prudenter de fertilitate et copia frugum intellexit, quam auream vocare solenne poetis est. Dionysius, monente Eustathio, aliam nominis rationem reddit, quia ibi puri solis ortus cernantur. Nam sicut sol, ubi maxime purus relucet, aureus dicitur, ita insulam vocari auream, quæ sole maxime puro illustretur. Optime hanc rationem expressit Avienus, v. 771, «quod fulvo sol hic magis orbe rubescat». Salmasius, Exerc. Plin. p. 700, de insulis ejus nominis dubitat, et observat, duas regiones in India extra Gangem vocatas fuisse *auream et argenteam regionem*, quod fertiles his metallis essent: has regiones pro insulis quosdam accepisse, et proinde χώραν χρυσῆν et ἀργυρῆν interpretatos esse de aureo solo et argenteo earum insularum.

595. *Trepidos* legunt Ve. 1 et 2, Vi. I. reliquæ *tepidos.* Wd.

596. *Taprobana* C. *Taprobanen* reliquæ: *veniet* omnes meæ vetustæ ante Papium. — *Taprobanen veniet.* De hac insula late Plin. VI, c. 22; Solinus, c. 66; Mela, lib. III; Ptolem. VII, cap. 3; Strabo, III. Item cæteri. C. — *Taprobane*, hodie *Ceylan.* Quæ de elephantibus adjicit, magis declarat Solinus, cap. 53: «Scinditur amne interfluo: nam pars ejus bestiis et elephantis repleta est, majoribus multo, quam quos fert India; partem homines tenent». Ptolemæus partem insulæ, in qua elephanti degebant, Ἐλεφάντων νομάς vocat, Stephanus in versu Alexandri θηρονόμον. Conf. Salmas. Exerc. Plin. p. 878. Quum adeo elephanti in Taprobane discretum, nec ab hominibus turbatum, habitationis locum haberent, mirum non est, hic magno numero generatos, ut Dionysius matrem elephantorum appellare posset. Quod Priscianus addit, *Per fines Asiæ*, significare quidem potest, e Taprobane elephantes per totam Asiam dispergi, sed tamen Dionysius nihil aliud, quam elephantos vocat Ἀσιηγενέας, animalia, quæ Asia maxime producat. Longam de Taprobane narrationem instituit Solinus, cap. 53. Nec pauca sunt, quæ Plinius tradit, lib. VI, cap. 22.

597. *Sub sidere Cancri.* Quem hic Priscianus cum Dionysio errorem commisisse videtur, quando Taprobanen sub Cancro collocant, Papius in notis ad Dion. v. 594 sic tolli, vel excusari putat, si τὸ ὑπὲρ apud Dion. *ultra* interpretemur, ut dicat ultra Taprobanen insulam esse tropicum Cancri; qua re nihil verius esse, tabulæ geograph. de-

Quæ pascit vastum mare Rubrum, montibus æqua:
Tenditur horribilis quorum per terga, per armos
Spina, ferens cladem fatumque sub ore feroci;
Quippe solent pariter navem sorbere, virosque:
Nam mala tam pelagus, quam terra merentibus offert.
Ulterius pergas si post Carmanida summam,

monstrent. Et sane sic etiam ὑπὸ apud Dionys. nonnunquam explicandum esse, in versu ejus 561 observavi, ubi sub promontorio Sacro ὑπ' ἄκρην ἱρὴν, atque Hesperidibus insulis Iberos habitare ait. Nam horum situm ultra prom. Sacrum accipiendum esse, facile patet.

599. *Cete montibus æqua.* Aristoteles, probl. 54 decimæ sectionis, et Plin. IV, in principio, adsignat caussas, cur maris majora sunt animalia, quam terræ. Idem Plinius, XXXII, c. 1, testimonio Jubæ cetos sexcentorum pedum longitudinis, et trecentorum sexaginta latitudinis, in flumen Arabiæ intrasse adserit. Mira de hoc piscis genere refert Albert. lib. XXIV, de Animalibus, Solin. c. 47 scribit, marinæ belluæ costæ nonus longitudinem quadraginta pedes excessisse; cujus excelsitas, inquit, fuit elephantis Indicis eminentior. Faciunt, quæ scribit Ambr. Hexam. V, cap. 10. Hunc piscem quidam balænam, nonnulli pistricem nominatum dicunt. In Avieni versu 776, *Pro quibus* legendum est, i. e. ante vel juxta quas arces. Versum autem 787, et duos sequentes, ut sensus et versus ratio constent, sic legendum reor: « Hac ne quis rapidi sub tectus gurgitis undam, Hæc in terga sali lembum contorqueat unquam. Aut se monstrigenis, etc. » — *Montibus æqua*, i. e. magnitudine æqualia. Adeo Solinus, cap. 52 : « Indica maria balænas habent ultra spatia quatuor jugerum ».

601. Pro *ferens* Schraderus legi jubet *ferunt*, ex Dionysio, respiciens forte hæc verba ejus, v. 601, οὐ γὰρ ἐρωὴ Λυγροῖς ἐν στομάτεσσιν. Wd.

604. L. C. B. *Carminida.* Pap. Sic etiam cod. Est. sed *Carmanida* omnes mei excusi. — *Carmanida summam*, promontorium Carmaniæ, quæ regio est Asiæ majoris, inter Persidem et Indiam sita ad fauces sinus Persici: Ptolemæus, lib. VI, cap. 6 et 8, distinxit in desertam, et in cultam, quam simpliciter vocat Carmaniam. *Carmanis* Eustathio est emporium Persarum: et ad hoc promontorium insula *Ogyris*, de qua Mela, III, 8, et Plinius, VI, c. 28, Hic: « Insula in alto objacet Ogyris, clara Erythra rege ibi sepulto ». Ab hoc rege mare Erythræum nomen accepit. Vid. Salmas. ad Sol. p. 341. Sed Eustathius monet, esse qui existiment, Erythræum regem, qui in ea insula sepultus dicatur, esse *Deriadem*, qui gente Erythræus, et in Indiam profectus, contra Dionysum Indis bellum inferentem pugnarit. Hæc fortasse hausit ille e Stephano v. Δάρδαι. Cæterum Vossius ad Melam l. c. Ogyrio Veterum contendit illam, quæ vulgo *Gerun* nominatur, clara hodie nobilissimo totius Orientis emporio. Contra Harduinus nota

Ogyris occurrat, qua dicitur esse sepulcrum
Regis Erythræi, dederat qui nomina ponto.
Persicus inde sinus penetratur, et Icaron offert;
Insula quæ fertur nimium placare Dianam.
  Tot sunt ingentes, quas cingit Tethyos unda,
Insulæ; ast aliæ diversis partibus orbis
Dispersæ: plures famam latuere minores,

C ad Plin. lib. VI, arbitratur, maximam eam insulam esse, quæ lateri Arabiæ australi objacet, bodie *l'Ile Mazira*.

605. *Ogyris*. Similia de bac insula scribunt Plin. VI, c. 28; Mela, III. C. — *Occurrat*. Sic B. A. V. sed L. *occurrit*, et C. *occurret*. Pap. *occurrit*, in uno MS. Huds. *occurrat* habent Ve. Vi. B. et T. *occurret* C. I.

607. *Icaron offert*. Hujus insulæ meminit Plinius, VI, cap. 28; quam Icariam nominat. Lege Stephanum, qui alias ponit ejusdem nominis insulas. C. — *Icaron offert*. Icaros insula maris Rubri dicitur Stephano, quam sic appellari ab Icaro, maris Ægæi insula, jussit Alexander, teste Arriano, Exped. Al. lib. VII, p. 487. Plinio est *Ichara* lib. VI, cap. 28. Ibi fanum Dianæ et Apollinis exstitisse, auctor est Strabo, XVI, p. 776, et Arrianus l. c. Sed Dianam præcipue cultam testatur Ælianus, Hist. An. XI, 9, qui narrat in Icaro insula maris Rubri Dianæ templum esse, et magnam caprarum silvestrium, dorcadum et leporum multitudinem, quorum nullum, quis venari et capere possit, nisi venia a Diana prius impetrata.

608. Al. *placere Dianæ*. Huds. — Avienus tantum Soli Icaron sacram dicit. Ed. — *Nimium placare* more sequioris latinitatis dixit pro *valde*, vel assidue placare. Vid. Epithal. Laur. vs. 29, huj. op. tomo III, p. 398. Ed.

609. *Quas cingit* in uno MS Huds. Etiam in MS Est. et in omnibus meis editis ante Papium, qui *claudit* edidit cum R. et H. Sed Pitb. iterum *cingit*, quod aptius existimo et multo consensu receptum. Wd. — *Cingit Tethyos*. Hanc lectionem etiam confirmari video codicis Lov. Leid. et Dorv. auctoritate.

610. *Insulæ, ast aliæ*. Non fecit eclipsim, antecedentis vocalis abjectionem, et *æ*, longam syllabam, brevem posuit, quia vocalis vocalem sequitur, ut Virg. Æn. III: «Insulæ Ionio in magno», et «Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto». Ser. ad Ecl. II. Vel supra bis, ac hoc in loco legatur: «Nunc magno nobis sunt insulæ at ore canendæ», et «Insulæ ac Ambraciæ», ne toties hac usus licentia videatur. Cam.

611. *Famam latuere* sic L. C. B: In A. V. *fama*. Pap. et *fama* ponunt omnes mei impressi ante Papium. — *Dispersæ plures*. Nescio an scriptoris vitio factum sit, an interpres volens plures hic versus prætermiserit, quos utique latinos fecissem, nisi eosdem Avienus fideliter transtulisset: «Insulæ in Oceani, etc.» Versu 813 in Avieno lege *Si velit has*. Et statim post legerem *Elucent flammæ*, nisi græcam constructionem potius esse velis. Cam.

Duris difficiles nautis, vel portubus aptæ,
Quarum non facile est mihi promere nomina versu.
Ast Asiæ fines ambarum linea monstrat
Et formam, contra positarum in imagine coni.
Paullatim trahitur tamen hæc Orientis ad oras,
Oceanus statuas Bacchi qua tangere fertur,

612. *Auris* omnes mei excusi ante Papium, qui recte recepit *Duris*, quia hoc ex usu Prisciani est, qui supra v. 245, nautas appellabat *populum navigiis duris aptum*. Quamquam hic et *oris* legere non insulsum esset, quia *portubus* sequitur. Wd. Pro *portubus* in pluribus MSS *pontibus*: non adeo recte. Huds. — In A. V. *auris difficiles nautis vel portubus aptæ*. In L. C. B. *duris difficiles nautis*. Reliqua parte versus variant: nam L. habet *et pontibus aptæ*: C. quam sequutus sum, *vel portibus aptæ*, quemadmodum etiam A. V. scribunt. B. *et pontibus aptæ*. Pap.

613. *Quarum non facile est mihi*. Heinsius conjicit *tibi*. Conf. v. 160, 259, 343. Post hunc versum in MS Lovan. Explicit Lib. II. Incipit Lib. III.

614. *Ambarum* L. C. B. Male A. V. *amborum*. Pap. *Ast aliæ* C. vitiose: *amborum* Ve. B. T. — *Ast Asiæ fines*. Agit postremo Dionysius de ultima orbis parte, id est, Asia. Dicta autem Asia est, ut libro IV scribit Herodot. ab Asia Promethei conjuge, quamquam Lydi sibi nomen vindicant, adserentes, ab Asio Manæi filio Asiam adpellatam. Qui sint ejus termini, compendio scribit Mela, I, circa principium; Plinius, IV, cap. 13. Ejusdem mensuram lege apud Plin. V, cap. 9, et VI, cap. 33; Martian. lib. VI, cap. 32 et 41. De Asiæ locis et populis Plinius a capite uono quinti, usque ad finem sexti; Solinus, capite 45, et inde per totum; Strabo, ab undecimo usque ad XVI; Ptolem. lib. V, VI et VII. In fine autem octavi dicit ejus esse provincias notas 48, quarum nomina et situs ibidem explicat. Plura Diodor. lib. III; Herod. lib. IV; August. de Civ. Dei, XVI, c. 17. Sed suis loc. scriptores de ea aptius citabuntur. Est autem ordo: Ast linea ambarum, Africæ sc. et Europæ contrapositarum in imagine coni, monstrat fines Asiæ, et formam ejus. Per lineam autem intelligit lineam protractam ab ortu Tanais, usque ad supremam Nili notam partem. Vel secundum aliam orbis partitionem intelligit lineam ductam a terra media, inter Caspium et Euxinum mare, usque ad Rubrum pelagus, ut versu 28 supra expositum est. C. — *Ambarum linea monstrat*; h. e. linea præter Asiam a boreali et meridiali parte ducta, fines ambarum, Europæ Libyæque, monstrat, et simul formam, quia pro basi est coni illius, cujus veluti imaginem illæ contra positæ efficiunt. Ut hæc melius intelligas, confer quæ Noster supra dixit v. 262 seqq. et Avien. v. 820 seq.

617. *Statuas* L. C. B. V. In A. *stelas*. Pap. Quomodo et B. et T. — *Bacchi statuas*. De his Bacchi statuis lege Plin. VI, cap. 16; Curt. VI, in fine; Diodor. libro quarto, simul

Finibus Indorum postremis; gurgite torrens
Qua Ganges liquido Nyssæos irrigat agros.
Non tamen est spatio similis telluris apertæ:
Scilicet ambabus penetrabilis unus in illis
Funditur Oceani sinus et disterminat ambas.
Ast Asiæ gremio triplex mare confugit undis:
Hyrcanum pariter, Parthum simul, atque Sabæum;
Hæc Noton, at Boreos Hyrcanum vergit ad axes,
Gurgitis Euxini vicinum, multa virorum
Millia quod circum degunt, per litora Ponti.

Ovid. Metam. IV. C.—*Statuas Bacchi.* De duabus columnis Bacchi in finibus terræ ad Oceanum orientalem positis luculentius egit Dionysius, v. 1164, et Noster, 1058; Avienus, vs. 1383, «Erigit et geminas telluris fine columnas, Invidit qui dehinc, etc.»

619. *Niseos irrigat* eod. Est. — *Nyssa*, vel, ut alii, *Nysa*, urbs Indiæ ad Gangem, quam Liber Pater condidisse dicitur, ut Strabo, lib. XV, p. 687, et Arrianus, libri V initio, tradunt; discernenda a Nysa Arabiæ, ad quam Bacchus educatus dicitur. Quos Priscianus *Nyssæos agros*, Dionysius, Νυσσαῖον πλαταμῶνα dicit, quod vocabulum servavit Avien. v. 827, ubi explicabimus.

620. *Tamen* L. C. B. Male A. V. *tantum*. Pap. *tantum et* Ve. 1 et 2, reliquæ *tamen est*.—*Non tamen*, etc. Dicit formam Asiæ non similem esse formæ duarum aliarum orbis partium. Ordo est: Non tamen Asia similis est spatio apertæ telluris; scilicet in ambabus illis unus Oceani penetrabilis sinus funditur, et ambas disterminat. Camers. — *Telluris apertæ*. Terram apertam dicit Africam et Europam, quas Mediterraneum aperit. Avienus id ipsum clarius explicat: «Ast Asiæ similis nequaquam est forma duabus, Nec modus est compar: secat unus, etc.» In Avieno tamen legendum est *Vastius ast*, et sequenti vs. «In matutinos ora conducitur axes»; ut *ora* ablativi casus sit. Est enim sensus et ordo: Asia ora, i. e. litore et extremitate, conducitur in axes matutinos. Cam.

621. *Penetrabilis* L. C. B. Male A. V. *penetralibus*. Pap. quod ex meis habent Ve. et C.

622. *Funditur* L. C. B. V. Male A. *finditur*. Pap. Ex meis *finditur* B. et T.

623. *Confluit* V. *confugit*. Pap. *confluit* ex meis habet A. et T. antiquiores quatuor *confugit*, quod egó *gremio* aptius puto. Wd. — *Gremio confugit*. Sic scribere volui cum veteribus libris, quia Latini *ire in sinus*, *fugere*, *labi*, et *gremio accipere*, *tenere* dicunt.

624. *Parthum* L. C. B. Sed A. V. *Persum* falso. Pap. *Persum* habent omnes vetustæ ante Papium.

625. *Hæc Noton*: nempe hæc duo maria, quæ proxime nominantur, Arabicum et Persicum. Male codd. Lov. et Leid. *Hoc Noton*, et mox *hoc Boreos*.

Amborum medius campis distenditur isthmos.
Ast Asiam qui mons excelsus dividit omnem,
Incipit a mediis terræ Pamphylidis oris,
Et longis sese spatiis producit ad Indos;
Nunc obliqua meaus, nunc recto limite currens:
Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum.
Cornua nam summus scopulis imitatur acutis,
Multifidusque suos colles huc spargit et illuc.
Ex hoc innumeri descendunt fontibus amnes,
In partes Euri, Zephyri, Boreæque vel Austri.
 Quis memorare queat fluviorum nomina cuncta?
Non tamen est unum montis cognomen ubique,

628. *Distenditur*: sic L. reliqui omnes *discernitur*. Pap. et mei antiqui *discernitur*, cum codice Estensi. — *Distenditur isthmos*. Necessario legendum est *distenditur*, quia alias Priscianus nullo verbo expressit, quod in græco est, χθονὸς ἄσπετος ἰσθμὸς, quia, ut Eustathius monet, adjecto ἄσπετος significat Dionysius, se isthmi vocabulum non proprio sensu, pro angusto terræ inter duo maria spatio, sed pro extentis et latis regionibus ponere. Eumdem isthmum supra dixit Dionysius, vs. 20: Noster ibi *linguam* vocat v. 29. Sed redit ejus descriptio infra v. 677 seq.

629. *Ast Asiam qui mons*. De Tauro monte scribunt omnes. Plin. V, cap. 27; Solin. cap. 51; Mela, I. Item cæteri. In Avieni versu 839 lege *Ast Asiæ*, et statim *Pamphylia campo*; item *Flexilis aera pulsat*; et versu 848 *Et qua dejecto*. Cam.

632. *Nunc recto limite currens*. Sic de Apennino Noster supra v. 339: « Limite quam recto mediam secat Apenninus »; et Rutil. II, 27: « Diversas medius mons obliquatur in undas ». Clarius Tauri diversos meatus describit Avien. v. 842 seq.

633. *Vertice quem torvo perhibent*. Sic Priscianus reddidit hæc Dionysii, v. 642: ταυροφανές τε καὶ ὀξυκάρηνον ὁδεύει, incedit quasi capite taurino et cornuto. Idem vero *torvum* Latinis significat, quod inprimis de facie taurina usurpatur. Sic Virg. Georg. III, 51: « optima torvæ Forma bovis, etc. » et Claudian. Rapt. Proserp. I, 128, de vacca: « vitulum non blandius ambit Torva parens ». Cornibus vero adsimilabant juga ejus hinc inde abrupta et colles fissos pariter atque acutos, qui quia locis quibusdam angustos tramites faciebant, hinc vocabantur portæ. Solinus, cap. 38, de Tauro monte: « Ubi dehiscit hiulcis jugis, facit portas, quarum primæ sunt Armeniæ, tum Caspiæ, post Ciliciæ ». Hinc in nummo veteri Armenia capta exprimitur figura tauri, a Victoria alata cornibus adprehensis subacti, nempe ob portas Armenias.

635. *Huc colles* omnes antiqui excusi. Wd.

639. *Unum montis cognomen*. Varia

Sed varii flexus variantur nomine multo,
Singula sed propriis sunt nomina nota colonis.
Nunc igitur gentes illum populosque tenentes,
Qui celebres, memorem; sed felix numen adesto.
Mæotæ primi tangunt Mæotidis undas,
Sauromatæque truces, gens aspera Martis in armis;
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim,

Tauri montis nomina pro gentium diversitate scribunt, qui mox citati sunt. Item Stephanus, Ptolemæus, Strabo, cæteri.

640. *Variantur nomine multo.* Varia montis nomina recenset Mela, I, 15; Plin. V, cap. 27, s. 27. Solinus, cap. 38, qui sic: « Riphæis se jugis adnectit, pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus: apud Indos Immaus, mox Paropanisus, Choatres apud Parthos, post Niphates, inde Taurus; atque ubi excelsissima consurgit sublimitate, Caucasus, etc. »

642. *Nunc igitur gentes.* Describit pluribus carminibus eos Asiæ populos, qui septemtrionalem plagam incolunt, de quibus ne institutum prætercam, lege Plin. VII, 17 primis capitibus; Strab. XI; Ptolem. V, 13 primis capitibus; Solin. cap. 54, et inde; Mela, I; Herod. IV; Lucan. III; item cæteros. De Mæoticis populis Plin. VI, cap. 7; Strabo, XI; Mela, I, in fine. Cam.— *Tenentis* Ve. 1, B. T. *tuentis* Ve. 2. Wernsd.

643. *Qui celebres, memorem.* Video in editione Morelii hæc ita habere: *Qui celebres memorem?* tamquam et *qui* adverbium sit, et tota oratio interrogandi modo exaudiri debeat: male. Quod, etsi dispungendi rationem, quam libertime ubique suo arbitrio mutare cuivis licet, et ego certe toto passim opere merito mihi permisi, tantum adtingat, uno aut altero exemplo, ne quem fortasse fallat, docebo. Ad eumdem igitur modum loquitur paullo ante versu 569: « Quarum demonstrem positum regionis et oras »; et mox 694: « Hoc igitur pelagus quæ gentes undique cingunt, Incipiens, numerem, primis Aquilonis ab oris ». Pap. — *Felix numen adesto.* Pro eo Dionysius votum Musis facit.

646. *Sanguis Amazonidum.* Apud Amazones hujusmodi sancita fertur lex, ut solæ feminæ in re militari erudirentur, viris interdicta essent arma, serviliaque officia solum permissa. Maribus, qui ex eis nascebantur, crura ac brachia debilitabantur, quo bello inutiles fierent. Feminis dextram inurebant mammam, ne pugnæ impedimento esset, ex quo et Amazones eis inditum nomen. Altera præterea Amazonum regina Martis filia credita est. Hæc et plura Diodor. Sicul. III. Scribit Placidus, Thebaid. V, super illud « Lunatum putes », Martem omnium Amazonum patrem esse. Val. Flacc. Argon. IV: « Proxima Thermodon hic jam secat arva: memento, Inclyta Amazonidum, magnoque exorta Gradivo Gens ubi: femineas ne tu nunc crede catervas, etc. » Plura Herod. IV, et Justin. II. C.

Sauromatis mixtæ quæ, Thermodonte relicto,
Ingentes genuere viros, belloque potentes;
Innumeras habitant qui silvas, gurgite vasto
Inter quas Tanais Mæotidis intima pulsat,
Europen fluvio dirimens Asiamque reflexo:
Europen Zephyris, Asiam sub partibus ortus.
Caucasiis exit cujus fons montibus altis,
Murmure cum vasto Scythiæ per plana refusus.

647. *Sauromatis mixtæ.* Quoniam brevitati studemus, historiam hanc lege apud Herod. IV, circa med. Sauromatæ, Gynei, etc. unde Amazonum connubia, Plin. VI, cap. 7, ubi Hermog. plura. CAM. — *Thermodoonte* C. I. — *Thermodonte relicto.* Thermodon, fluvius Ponti, vel, ut alii malunt, Paphlagoniæ, ad quem patriam Amazonum locat Dionysius, et alii poetæ frequenter. Ovid. ex Pont. IV, 10, 51: « Et tu femineæ Thermodon cognite turmæ ». Alii fluvium Scythiæ Europææ, aut etiam Thraciæ dicunt esse, quoniam Amazones cum his gentibus belligerasse dicuntur. Sic accipere videtur Virg. Æn. XI, 659: « Quales Threiciæ quum flumina Thermodontis Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis »; quocum conf. Claudian. Rapt. Proserp. II, 65.

650. *Inter quas Tanais*, qui hodie *Don* vocatur, maximus Sarmatiæ Europææ fluvius (quomodo ipse vocat Noster v. 661), Europam ab Asia disterminans. Mela, I, 1, 40: « Hoc mari et duobus inclytis amnibus, Tanai atque Nilo, in tres partes universa dividitur. Tanais a septentrione ad meridiem vergens, in mediam fere Mæotida defluit; et ex diverso Nilus in pelagus ». Ovid. Pont. IV, 10, 55: « Quique duas terras, Asiam, Cadmique sororem Separat, et cursus inter utramque facit ». Conf. quæ superius dixit Noster, v. 21 sqq.

652. *Zephyris* L. C. B. Sed A. V. *Zephyro*, male. Pap.

653. *Caucasiis.* L. *Rhiphæis*, non male. Pap. In MSS duobus *Rhipæis exit.* Huds. *Caucasi exit* Ve. 1 et 2, C. reliqui meorum *Caucasiis.*—*Caucasiis exit montibus.* De ortu Tanais diversæ sunt scriptorum sententiæ. Mela, I, in fine, et cum illo plures, Tanaim in Riphæis oriri adserunt. Lucan. III, 272: « Qua vertice lapsus Riphæo Tanais diversi nomina mundi Imposuit ripis, Asiæque et terminus idem Europæ, et mediæ dirimens confinia terræ ». Alii, ut scribit Strabo, lib. XI, dicunt Tanais ortum ignorari. Avienus secutus in Argonauticis Orpheum, scribit Tanaim ex Araxe flumine ortum habere. Dicit enim versu 28: « Europam atque Asiam Tanais disterminat amnis, Scissus Araxeo prius æquore, jam suus, unda Effluit in Scythiam, etc. » Orphei autem carmen est de Araxe loquentis: « Ex quo Thermodon Phasisque fluunt, Tanaisque ». Fuit, quando apud Avienum crederem legendum esse: « Scissus Riphæo prius æquore, etc. » In Avieno, versu 861, lego « Hic Asiam Euro-

Hunc tamen, immenso torrentem flumine, vertit
In glaciem Boreas horrendo flamine sævus.
Heu! miseros homines, habitant qui finibus illis,
Aere damnati tristi nimioque rigore,
Quo pereunt pecudes pariter populique virorum,
Ni propere linquant sua rura furentibus Euris.
Hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum;
Cui sunt vicini Sindi quoque, Cimmeriique.
  Post hos Cercetii, juxta quos Axenus altis
Fluctuat æquoribus : necnon Oretæque feroces;

pa disterminat, etc. » C. — *Caucasiis exit.* Quod hic codices MSS nonnulli habent *Riphæis*, etiam Mela adfirmat lib. I, 19, 130, et Lucanus sequutus, l. c. Sed falsum hoc esse, Tanaim e Riphæis montibus oriri, docent Dalechamp. ad Plinium, V, 27, et Is. Vossius ad Melæ l. c. — Sed ex Avieno, vs. 858, conjicitur Tanain e Sarmaticis silvis elabi. Ed.

655. *Nunc tamen* Ve. 1 et 2. — *Vertit In glaciem*. Negat hoc Mela loco adlegato pergens : « adeo præceps ruit, ut quum vicina flumina, tum Mæotis et Bosporus, tum Ponti aliqua, brumali rigore durentur, solus æstus hiememque juxta ferens, idem semper et sui similis incitatusque decurrat ».

658. *Aere damnati tristi*. Damnatus est infelix et ærumnosus. Barth. Adv. p. 879, qui et hunc Nostri locum citat, a judiciis ad alias res translatum esse putat, adducitque inter alia locum Lucani, VII, 451, quem ipsi dedimus supra in not. ad vs. 20, quam vide.

662. *Cui sunt vicini*. Potuit legi *quis* pro *quibus*. De his populis copiose Plin. lib. VI, in primis capp. Ptolem. V, cap. 9, tabula secunda Asiæ; Strabo, Mela, cæteri ubi prius. Multa Ovid. de Ponto, IV, 10. C. — *Suidi* C. — *Sindi*, vel Sindones, *Cimmerii*, *Cercetii*, vel Cercetæ, sunt populi Bosporani, inter Mæotim paludem et Pontum Euxinum. *Sindi* etiam Ζιγχοὶ dicti auctore Eustathio. Plinio, lib. VI, 6, « civitas Sindica ».

663. *Axenus*. Miror in tribus codicibus L. C. B. constanter scribi *Euxinus*. Pap. *Ceretii* C. *Axenus* omnes mei impressi, sed cod. Est. similiter *Euxinus*. — *Axenus altis*. Euxinum mare, quoniam antea vix navigari poterat, Veteres ipsum Axenon, i. e. inhospitalem cognominarunt. Quum autem Iones in ejus litore urbes plures ædificassent, Euxinum, i. e. bonum hospitium, vel amicum nominare cœperunt. Ovidius vult per contrarium Euxinum dici : « Dum me terrarum pars pæne novissima ponti Euxinus falso nomine dictus habet ». C. — *Axenus* positum a Prisciano, quia *Euxinus* metro adversum erat : hoc tamen expressit cod. Leid.

664. *Oretæque feroces*. Hi a nullo alio geographorum veterum memorantur. Sed *Toretas* Mæoticis gentibus, cum Heniochis, Achæis et

Et qui Trojanæ post prælia gentis Achæi,
Ascalaphi regis victricia signa sequentes,
Dispulsi ventis istas venere sub oras.
Post hos Heniochi, genuit quos Græcia tellus;

Cerceticis accenset Mela, I, 19, 102, et Plinius, VI, 5; *Toreatas* Strabo, lib. XI, p. 495. Hinc probabile est, sic etiam scripsisse Dionysium, quamquam Eustathius legi Ὀρέται statuerit.

665. De *Achæis*, *Heniochis*, *Zygiis*, oram Ponti Euxini montosam et importuosam supra Colchos accolentibus, agit Strabo, XI, p. 495. Achæos quidem Dionysius ait eos fuisse, qui sub rege quodam Martis filio bello Trojano de classe Græcorum ventis depulsi, inque has oras delati fuerint. Eustathius regem Agamemnonem intelligi putat, vel secundum alios Ialmenum, quem filium Martis et regem Aspledoniorum, atque Orchomeniorum, cum Ascalapho fratre ad Trojam venisse scribit Homerus, Iliad. II, 512. Priscianus hinc Ascalaphum nominavit. Aliter vero Strabo l. c. qui Achæos Ponticos ab Jasonis expeditione huc delatos Phthiotas Thessaliæ fuisse prodit. Harduino adnotante regio ea Ponti, quam olim Achæi tenuerunt, hodie vocatur *l'Avogasie*.

666. *Ascalaphi*. Sic C. B. nec multum differt L. *Ascolaphi* A. V. *Asealpi*. Pap. *Ascalpi* Ve. C. Vi. *Ascalaphi* I. B. T. *victoria regna sequentes* cod. Est. *sequuti* cod. Leid. — *Ascalpi regis*. Puto legendum Ascalaphi regis. Fuit enim Ascalaphus, ut in catalogo canit Homerus, Martis ex Astioche filius, qui cum fratre Ialmeno XXX navibus ad Trojam profectus est. Scribunt quidam Ponti accolas, qui Achæi cognominantur, Orchomeniorum esse coloniam, qui Orchomenii post captam Trojam, eodem Ialmeno duce, in Ponticam hanc regionem acti erroribus devenisse, ac terram eam deinceps habitasse. Achæorum in Ponto meminerunt Plinius, VI, c. 5, et Mela, l. Strabo, XI: Tradunt, inquit, Phthiotas Achæos ex Jasonis exercitu Achaiam hanc Ponticam habitasse; Laconas vero Heniochiam, quorum duces Rhecas et Amphistratus fuerunt, Castoris et Pollucis aurigæ: hinc ait Dionysius *Tyndaridarum*, i. e. Castoris et Pollucis, Tyndari filiorum, posterorum. Ad idem Plin. V, cap. 6. Ovid. ex Ponto, IV, 10, de Ponti incolarum sævitia loquens, sic scribit: « Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis, Ter licet epotet, ter vomat illa fretum ». Cam. — *Ascalaphi*. Exemplaria in hoc nomine variant. Ascalaphi quidem nomen legimus, sed Troja occisi: cui et epitaphium inter heroas Homericos Aristoteles posuit. Sed hunc alium eodem nomine fuisse necesse est, etsi nihil de eo mihi constat: neque Eustathius de hoc Aretiade rege quod statuat habet: quo magis miror, cum Prisciano tam familiariter, etiam de nomine, innotuisse. Pap.

668. *Heniochos*. Vid. in nota Camertis supra, Strabonis locum de Heniochis. Sed aliter sentit Plinius, lib. VI, cap. 5, qui eorum duces, aurigas Castorum, Amphitum et

Et Zygii juxta vivunt regione sub una.
Intima sed Ponti, post fines Tyndaridarum,
Ægypto missi Colchi tenuere coloni,
Caucasii montis prope collem, et Caspia ponti
Litora; qua celeres descendunt Phasidis undæ,
Circæosque secant campos atque æquora Ponti,
Nascitur Armenii fluvius qui vertice montis.
Ad cujus partes Boreas, et solis ad ortus,
Euxinum dirimens et Caspia litora late,
Diffusus spatium per longum panditur isthmos.

Telchium nominat. Plura de his Casaubonus ad Strabonis l. c.

669. *Et Zigii* C. *Tigii* MS Estens. — *Zygios*, quos Priscianus addit Heniochis conjunctos similitudine nominis puto. Meminit Heniochorum et Achæorum Ovid. ex Pont. IV, 10, 26 seq. atque eos ut feros prædones describit, quemadmodum Strabo.

670. *Fines Tyndaridarum*, h. e. incolarum Dioscuriadis, urbis in Cholchide juxta fluvium Anthemunta, quam et Sebastopolim adpellari Ptolemæus et Stephanus tradunt, Plinius, VI, 5, a Sebastopoli distinguit. Choraxos eam tenere scribit Plinius, et conditam dici ab Amphito et Telchio, Castorum aurigis, a quibus et gens fera Heniochorum orta. Hinc adparet, cur a Dionysio vocentur Tyndaridæ. Desertam sua ætate Dioscuriadem testatur Plinius; Harduinus tamen, hodie vocari *Prezonde*. Memorat quidem Plinius, VI, 4, oppida in ripis Phasidis Tyndarida cum Circæo, quæ magis videntur huc pertinere, quam Dioscurias. Sed Plinii ille locus mendo et varietate lectionis incertus est, et veretur Cellarius, vol. II, p. 364, ne sint ea nomina ab Harduino in Plinium ingesta, nostro Periegeta in subsidium vocato.

671. *Ægypto missi.* Sesoasis Ægyptiorum rex post ingentia ejus facta cum exercitu, Scytharum gentem ad Tanaim usque fluvium, qui Europam ab Asia dividit, pertransiit. Ibi multis Ægyptiis juxta Mæotim paludem relictis Colchorum genti originem præbuit. Hanc nationem ab Ægyptiis manasse, argumento esse dicunt, quod apud eos pueri Ægyptiorum ritu circumcidantur, priscum morem, quem et Judæi sequuntur, colonia servante. Auctores sunt Diodorus, lib. II; Strabo, lib. XI. Cam.

673. *Phasides* Vc. 1 et 2, Vi. *Phasidis* C. I. *Phasidos* reliquæ. Wd.

674. *Circæi campi*, de regione Circæi oppidi accipiendi sunt; si locus Plinii modo adductus valet. Sed Eustathius campum eum nomen accepisse docet a Circe, Æetæ Colchorum regis sorore, quæ ibi herbas legere consueverat. Nobis Circæus campus non alius esse videtur, quam ipsa Colchis, vel pars ejus, quam Phasis fluvius permeat.

678. *Diffusos* Vc. 1 et 2.—*Panditur isthmos.* Luculentius hic de-

Quem juxta terras habitant Orientis Iberes,
Pyrrhenes quondam celso qui monte relicto,
Huc advenerunt Hyrcanis bella ferentes.
Hic Camaritarum gens est, carissima Baccho:
Fluctibus hanc propter persævit Caspius æstus,
Undique quem tereti concludit margine tellus.
Sed mare non valeat tribus illud mensibus ulla,

scribitur isthmi latitudo, unde lectio, quam supra versu 628 constituimus, declarari potest.

679. *Orientis Iberes.* Sic vocat, ut Iberes Asiæ inter Colchidem et Albaniam ad ortum, qui hodie *Georgiani*, distinguat ab Iberis Hispania ad occidentem. Diversas Veterum sententias de eorum ab alteris origine exposuit Appianus in Ibericis. Cum Dionysio sentire videtur Strabo, lib. I, p. 61.

680. *Pyrrhenæ* Ve. 1 et 2. *Pyrene* Vi.—*Pyrene quondam.* Varro existimat ab Iberis, Scythiæ populis, Iberos Hispaniæ originem ducere. Dionysius illos ab his descendisse scribit. De Iberis Scythiæ Plin. VI, cap. 10; Ptolem. V, cap. 11, tertia Asiæ tabula. De Colchide, V, c. 9, tab. eadem. In Avieni versu 881: lego «Caspia nam»; et statim infra, «Pyrenide pulsus ab ora». C.

681. *Bella frequentes* Ve. 2 et Vi.

682. *Tamaritarum* C. *Camaricarum* cod. Est. — *Camaritarum gens.* Populi sunt juxta Callichoron fluvium habitantes, in quo flumine Bacchus, post subactam a se Indiam, primum, ut canit Val. Flacc. V, 76, « Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos. Illum, post acies Rubrique novissima claustra Æquoris, hic resides thyasos, hic æra moventem; Udaque pampinea nectentem cornua vitta, Nunc etiam meministis, aquæ: Bœotia qualem Thyas, et infelix cuperet vidisse Cithæron. Fama per extremos quin jam volat improba Manes, etc.» Plin. VI, cap. 3, meminit Cammanenes regionis, cujus incolæ hi fortassis sunt. Avien. vs. 885. «Tenet æquora campi Gens Camaritarum, etc.» Hic Priscianus plura de Bacchi sacris prætermisit, quæ ab Avieno eleganter conversa sunt. C. — *Hic Camaritarum.* Vid. Excursus IV ad calc. huj. carm.

683. *Hanc pariter* C.

685. *Sed mare non.* Herod. in Clio multo aliter de Caspii magnitudine. Caspium, inquit, mare per se ipsum est longitudinis quindecim dierum cursu navis, quæ remis utatur; latitudo ubi spatiosissimum est, octo dierum. Plin. autem IV, cap. 13, Eratosthenis testimonio dicit summam mensuram maris Caspii efficere quindecies 75 millia passuum, hoc est, milliaria centum viginti quinque supra mille. Arthemidorus hinc detrahit viginti quinque millia passuum. Dicunt vero Caspium mare non minus esse, quam Pontum Euxinum. Faciunt, quæ dicta sunt versu 56 supra. Anton. transtulit hunc locum non ad trium mensium navigationem, sed ad periculum efflante Borea referens: Est enim, inquit, illius usus navigabilis et perutilis admodum omnibus anni temporibus, præterquam in mensibus

Scilicet immensum, navis transire profundo.
Hoc tamen exacuit pars una sub axibus æquor,
Qua tractum refugæ miscetur Tethyos undæ.
Multa quidem generat vivis miracula rerum;
Sed tamen egregio crystalli pondere gemmam,
Atque, malos lemures quod pellit munus, iaspin;

tribus, quibus efflante Borea tractus Oceani vehementi adversus impetu iusurgit. In Avieno, v. 895, videtur legendnm vel *pomicolas* vel *pumicolas Arienos*, a pomorum vel pnmicum lapidum copia. C.

686. *Scilicet immensum*. Cod. Leid. legit *immenso*, at Lovan. *immerso*. Illnd fere prætulerim vulgatæ. Cf. vers. 145.

687. *Hoc tamen :* sic C. B. In L. *Hæc tamen*. Vide notas. Pap. *Non tamen* omnes mei antiqui. —*Exacuit pars una*. Dicit parte una æquoris, quæ est sub septemtrione, illnd in acutum angustumque ostium desinere, per quod in Oceanum Scythicum influat.

688. *Tractum* L. C. B. V. Male A. *tractim*. Pap. *tractim* ex meis B. et T.—*Miscetur Tethyos undæ*. Herod. lib. I, scribit mare Caspium per sese, nec ullo cum alio commisceri mari. Mela, III, « Mare Caspium, inquit, nt angusto, ita longo etiam freto, primum terris, quasi fluvius irrumpit ». Solin. c. 27 : « Caspium mare dilapsum per Asiaticæ terræ plagam Scythicum irrumpit Oceanum ». Plin. IV, c. 13. Eustathius, Dionys. interpres, utramque sententiam concordat, adserens Caspium mare utique ex Glaciali mari originem dncere, sed uon uisi per subterraneos et occultos meatus. C.

689. Pro *vivis*, quod omnes libri habent, Schrad. in schedis emendat *venis*. Et sic alibi Priscianus, ut vs. 504, 1010. Wd. — *Vivis miracula*. Probabam equidem conjecturam Schraderi, quam in var. lect. posui, *venis*. Sed Dionysium inspiciens video, non movendam esse vulgatam lectionem, et *vivis* Priscianum posuisse pro hominibus, ut exprimeret græcum ἄλλα μετ' ἀνδράσι θαύματ' ἀέξει. Quæ igitur sequuntur de crystallo et iaspi, e græco traducta sunt, quamvis Avienus uon habeat.

690. *Sed tamen :* sic L. C. B. *Sed tamen egregiam* cod. Est. *Gignit enim egregiam* B. et T.—*Sed tamen egregio*. Sic L. C. B. V. nisi qnod in L. est *egregia*. Sensus autem et clarissimus, et e græco pulcherrime expressus est : quum multa quidem rerum miracula generat ; tum vero crystalli gemmam egregio pondere. Nihil igitur opus erat locum pervertere, nt in A. factum video : in quo est *Gignit enim egregiam*. Pap. — *Crystalli*. De eo apud Solinum dictum prius. C.

691. *Munus iaspi* Ve. 1 et 2, C. *iaspis* B. et T. — *Iaspin*. De eo copiose Plin. XXXVII, cap. 8 et 9. Marbodeus, cap. 6, « Et, sicut perhibent, phantasmata noxia pellit ». Albert. non nisi Marbodei verba replicat. De crystallo et iaspi nihil transtulit Avienus. Cam. — *Iaspin*. Dionysius eam vocat ἠερόεσσαν, quod explicat Plinius, XXXVII,

Nocturni manes fugitant quam membra tuentem.
Hoc igitur pelagus quæ gentes undique cingunt,
Incipiens numerem primis Aquilonis ab oris,
Quæ vergunt Zephyro, quas Caspia litora claudunt.
Primi sunt Scythiæ populi, Saturnia juxta
Æquora viventes, Hyrcanique ostia ponti.
Quos supra gryphes ditissima rura smaragdo,
Qualem non alius terrarum possidet orbis,
Atque aurum sibimet defendunt pondere puro.
Omnia sed duri superans audacia lucri,

capite 8, s. 37 : « Plurimæ ferunt eam (iaspidem) gentes ; smaragdo similem Indi; Cypros duram glaucoque pingui ; Persæ aeri similem : ob id vocatur aerizusa. Talis et Caspia ». Et paullo post subjicit : « Totus vero Oriens pro amuletis traditur gestare eam ». Hoc idem est, quod Priscianus ait, *malos lemures pellit.*

692. *Fugitant :* sic C. B. et ex parte L. qui *fugiant quam* scribit. In A. et V. *fugitant quem.* Pap. *quem* habent omnes mei.

694. *Numerum* Ve. 2 et Vi. — *Incipiens numerem*, pro numerabo. Vid. Exc.VII ad Calp. Ecl. IV, huj. op. t. I, p. 480. Ed.

696. *Primi sunt Scythiæ.* Herod. lib. IV scribit Herculem ex virgine ancipitis naturæ, humanæ ac serpentinæ, tres procreasse filios, Agathyrsum, Gelonum, ac novissimum Scytham. A quibus Agathyrsi, Geloni et Scythæ dicti sunt. Similia scribit Diodor. Sicul. III. Plin. de Scythis et his populis lib. IV, cap. 13 ; Strab. XI ; Diodor. III ; Herod. IV; Mela, II et III ; Ptolom. V et VI. Plura Val. Flacc. Argon. VI. C. — *Saturnia juxta.* Mare Saturnium, alias Chronium, Scythicum, Septemtrionale, glaciale.

698. *Quos supra.* Hæc e Solini cap. 19 petita sunt, ante finem. Pap.—*Quos supra gryphes.* Solinus, a quo hæc mutuatus est, cap. 15 : « In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen : nam quum auro et gemmis adfluant, grypes tenent universa, alites ferocissimæ, et ultra omnem rabiem sævientes: quarum immanitate obsistente ad venas divites accessus difficilis ac rarus est : quippe visos discerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiæ temeritatem. Arimaspi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, quorum non aspernabimur persequi qualitatem. Smaragdis hic locus patria est, etc. »

700. *Aurum sibimet defendunt*, etc. Sumpta sunt ex Plin. VII, cap. 2, et Solin. cap. 25 ; Mela, II in princ. Herod. in Thalia ; Albert. XXIII. C.

701. *Omnia sed duri.* Drakenb. ad Sil. Ital. XIV, 126, forsitan hic emendandum putat *diri audacia lucri.* Et sic apud Virg. Æn. III, 256, « dira fames » ; et Georg. I, 37, « regnandi dira cupido ». Sed tamen hic *duri* malim, quoniam

Adversus volucres, heu! commovet arma virorum:
Prælia nam faciunt Arimaspi gryphibus hostes.
Hic et crystalli perlucet maxima moles.
Hinc Unnus sequitur: post fortis Caspia proles.
Hinc sunt Albani bellaces Marte feroci,
Unde canes nati superant genus omne ferarum.

audacia designatur, quæ ob lucrum capiendum duros labores suscipit. Sic Noster v. 345 et 612 *dura navigia*, et *duros nautas* adpellabat. — *Superans audacia lucri.* Avaritia cæcos homines efficit, ne vitæ pericula vereantur. Lucan. Phars. VII, 747, et seqq. « Impulit amentes aurique cupidine cæcos Ire super gladios, supraque cadavera patrum, Et cæsos calcare duces; quæ fossa, quis agger Sustineat pretium belli, scelerumque petentes ». Eleganter, ut cætera, Propertius de Pœti morte inquit: « Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es, Per te immaturæ mortis adimus iter. Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes, Semina curarum de capite orta tuo ». Sed de his alibi. C.

703. *Harmiaspi* C. — *Arimaspi.* Scribit Herod. IV, Scythas *Arima* unum vocare, *Spu* oculum. Scythæ, ait Mela, II, quibus singuli oculi esse dicuntur, Arimaspæ. Id idem Herod. III, fabulosum putat. C. — *Faciunt Arimaspi.* Codd. Lovan. et Leid. legunt *faciunt armis hi gryphibus*, quod non respuendum esset, nisi e Solino nosceremus, hic Arimasporum nomen ponendum esse.

704. *Perlucet maxima moles.* Videtur et hoc e Solino petitum, atque hinc illustrandum, qui cap. cit. « Illic et crystallus, quem licet pars major Europæ et particula Asiæ subministrent, pretiosissimum tamen Scythia edit... Qui eligunt, purissimum captant, ne quid rufum, neve nubilum, vel spumis obsitum arceat perspicuitatem ». Molis et magnitudinis exemplum mox illustre adfert: « Livia Augusti ad magnitudinem centum quinquaginta librarum inter Capitolina donaria crystallum dedicavit ».

705. *Unnus :* sic A. V. In L. *Thimus.* C. *Tinus.* B. *Thynu.* In quibus omnibus vestigia sunt græcæ lectionis θοῦννοι. Pap. *Hinc Thinus sequitur* cod. Est. *Hinc hunus* C. et I. cæteri *Unnus.* — *Hinc Unnus sequitur.* Unni, populus Scythiæ, hic Caspiis et Albanis finitimi ponuntur. *Thunnos* etiam vocatos, Eustathius monet. Salmasius ad Solin. pag. 112, *Thunus* apud Priscianum legit, eosdemque putat *Chunos* et Hunnos esse, Sarmatiæ ad Caspiam populum, sed diversos a Thynis, Thraciæ populo. — Nulla Hunnorum apud Avienum mentio. Dionysius tamen, vs. 730: Οὖννοι δ' ἑξείης. *Inde Hunni veniunt.* En.

707. *Unde canes.* Ex eodem Solini capite paullo post principium. Pap. — *Unde canes nati.* Sumpsit hæc interpres ex Solino, cap. 25, et Plin. VIII, cap. 40. Albani autem ideo dicti, quoniam albo crine nascantur, auctore Solino, cap. 25. Hi Albani, ut ferunt, ab Jasone orti sunt. Plin. VI, cap. 13. Avienus describit hos populos vs. 905 ac

Magnus Alexander missum sibi viderat inde
Victorem barrique canem, rapidique leonis.
Post hos Cadusi durissima rura colentes,
Et prope sunt Mardi, sequiturque Hyrcania plebes.
Hinc Apyri, per quos Mardus devolvitur amnis:
Dercebius bibit hunc præter Bactrusque fluentem,
Per quos Hyrcanum currens descendit in æquor.

deinceps. Cam. — *Unde canes nati.* Solinus, cap. 15 : « Apud hos populos nati canes feris anteponuntur; frangunt tauros, leones premnnt, detinent quidquid objectum est : ex quibns canssis meruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro a rege Albaniæ duos missos, etc. »

709. *Varrique canem* MS Est. — *Victorem barrique canem.* Barrus elephas, ut usurpavit Horat. Ep. XII, 1, inde *barritus* vox elephantorum. — *Rabidi leonis* non *rapidi* legendum existimat Drakenb. ad Silium, VIII, vs. 640. Rem narrat Solinns l. c. mox pergens : « alter vero canis monitu eorum, qui donum prosequnti fuerant, leonem missum necavit : mox viso elephanto notabiliter exsultans belluam primum astu fatigavit, deinde cum summo spectantium horrore terræ adflixit ».

710. *Cadusii* Ve. 1 et 2, C. Vi. I. *calcantes durissima rura Cadusi* B. et T. — *Cadusii durissima rura.* Quod ait, quoniam inter asperos montes siti sunt. De his autem et sequentibus populis Plin. VI, cap. 15, 16 et 17; Strabo, XI; Solin. cap. 30; Herod. IV; Ptolem. VI. In Avieni versu 907 lego « trux illic arva Cadusus Dura tenet ». C. — *Post hos Cadusi durissima rura colentes.* Sic edo ex C. B. V. et L. sed in hoc pro *colentes* erat *tenentes*, quæ permutatio lubrica est. In A. *Post hos calcantes durissima rura Cadusi* : toto versu in gratiam quantitatis primæ syllabæ in *Cadusi* perturbato. Pap.

712. *Hinc Amiri* cod. Est. — *Hinc Apyri.* Sic legit Eustathius, quamquam vulgatæ Dionysii *Tapyri* habent, quomodo et Strabo, Curtius, et Plinius vocant, qui eos Hyrcaniæ propinquos faciunt, vel inter Derbices et Hyrcanos ponunt ad orientem. Lectio codicum Lov. et Leid. *Amyri* vitiosa est.

713. *Dercibius* MS Est. — *Dercebius bibit hunc.* Qui Dercebii sunt Dionysio, aliis vocantur *Derbices*, vel *Derbiceæ*. Stephanus ait gentem esse proximam Hyrcanis : Ptolemæus ostiis Oxi vicinos ponit, et Plinius, VI, 16, *medios Derbicum fines* ait *Oxum amnem secare.* Igitur Dionysius, qui Mardum fluvium perhibet per Dercebios et Bactros in Hyrcanum mare descendere, Oxum sic nominare videtur : aut Mardus est, qui aliis Margus, in Oxum influens, a quo Margiana regio dicitur. Et Μάργος apud Dionysium legendum esse, plerique ejus interpretes existimant. Mardi, Tapyri et Bactri etiam in hac vicinia a Ptolemæo et Plinio l. c. ponuntur. — *Margus* corrigit Schraderus ad Avienum, vs. 908. Ed.

Sed Bactri mediis habitant telluris in arvis,
Parnessum late prope montem rura tenentes:
Dercebii vero sub Caspia litora vergunt.
Post hos Massagetæ trans flumen Araxis, ad ortum,
Hospitibus sævi cunctis, belloque feroces:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt;
Sed lac commixtum potant cum sanguine equino.

716. L. C. B. *Parpessum*. Pap. In MSS nostris aliisque etiam *Parpessum*. Huds. et *Parpessum* MS Est. *Parnassum* Vi. *Pernassum* I. reliqui *Pernessum*. — *Parnessun*. Hoc vulgatæ Dionysii exprimunt. Eustathius tameo dubitat, an Παρπαμισσοῦ legendum sit, quod contractum videtur ex eo, quod Ptolemæus ponit Παροπανισός. Inde est fortasse, qood oooonlli codd. Prisciani, ot Lovan. Leid. Dorv. *Parpessum* vel *Parpesum* legunt. Est vero Paropamisus vel Paropanisus mons Asiæ inter Bactrianam et Arianam, sub quo regio Paropamisadarum. Redit ejus mentio infra vs. 1005. Salmasius, Exerc. Plin. pag. 553, demoustral legenduio esse *Parnissum*; nomen esse Παρνισὸς, idque versus gratia contractum esse pro Παρπανισός· quod occurrit apud Periegetam, vs. 1097, et hoc pro Παροπανισός. Priscianum infra Parpanisum montem vocare. Falsi igitur editores, qui hinc *Parnassun*, *Parpessum*, vel aliud efficere voluerunt. — Hic vero fluvius Straboni est Παροπαμισὸς, Arriano Παραπαμισὸς, Stephano Παροπαμιστὸς, el eidem populus Παροπαμισσάδαι. Adseverat autem Wassenb. Dionys. v. 737 scripsisse κνημοῖς ὑπὸ Παρπάμσοιο· Sed fere omoes habeol Παρνησσοῖο. Eu.

718. *Trans flumen Araxis*. Sequntus esse Dionysius Herodotum videtur, qui lib. I, cap. 202, Massagetarum geotem ait ad auroram solisque ortum esse traos Araxem fluvium. Sed hic Araxes longe diversus a noto illo Armeoiæ, observatque Is. Vossius ad Melæ lib. III, 5, Herodotum per Araxem manifeste Oxum iotellexisse, quum Massagetarom faciat terminum, et Oxum ante victorias Alexaodri a Græcis Araxem fuisse adpellatum, quom ad orientale maris Caspii latus illum describant. Præterea Cellarius Araxem plurium fluminum nomen esse monet, Orb. ant. vol. II, p. 829.

719. *Hospitibus sævi*. Scythæ, ioquit Mela, III, suot anthropophagi. Item Plin. VI, cap. 17, adserit partem Scythiæ inhabitabilem atqoe incultam sævitia gentium. « Anthropophagi Scythæ iosident hnmaois corporibus vescenles, elc. » G.

720. L. *non munera*. Pap. *nec* omnes mei. — *Cereris nec munera norunt*. Expressisse videtur formam versus Virgiliaui, Æn. lib. IV, 33: « Nec dulces natos, Veneris oec præmia noris ».

721. *Lac commixtum potant*. Massagetes, quum commeatus desunl, lacte et equino sanguine vescuntur. Claud. in Ruf. I, 311: « Et qui cornipedes in pocula vnluerat audax Massagetes ». Luc. III, 282: « Longaque Sarmatici solveos jejuuia helli Massagetes, quo fugit equo ». Sta-

Hos juxta Boream vergit Chorasmia proles.
Sugdias hanc sequitur; rapidus quam dividit Oxus,
Emodum montem qui linquens Caspida rumpit.
Inde Sacæ nimium certis gens mira sagittis,
Flumen Iaxartem juxta quibus arva coluntur;
Et Tochari Phrurique, et plurima millia Serum.
Illis nulla boum, pecoris nec pascua curæ:

tius in Achill. I, 308: «Lactea Massagetæ veluti quum pocula fuscant Sanguine puniceo». Ad idem Virg. Georg. III; Martialis, I; Horat. Carm. III; Avien. vs. 920. De his populis Plin. VI, cap. 16; Strabo, XI; Solin. cap. 62. Item cæteri. C.

722. *Boream vergit:* sic B. A. V. et C. *vergit Boream.* In L. *vergit Borea.* Pap. Omnes mei ut Papius edidit. *Chorasima proles* cod. Est. — *Chorasmia proles.* Chorasmi, populus Asiæ ad ripas Oxi in Bactrianæ et Sogdianæ confiniis. Strabo, XI, pag. 354, vocat *Chorasmusinos*, et Curtius, VII, 4, eum Dahis, Sacis, Massagetis conjunxit.

723. *Sugdias*, at aliis Geographis *Sogdiana*, sicut et gentis nomen Sogdii et Sogdiani occurrit. Ea regio inter Iaxartem et Oxum fluvios sita, ad occidentem Auxios montes, vel, ut alii, ipsum mare Hyrcanum terminum habet, ab oriente gentem Sacarum. Strabo, lib. XI, pag. 517, Oxum non dividere Sogdios, sed distinguere a Bactris scribit, uti Iaxartes a Nomadibus distinguat.

724. *Eniodum* C. *Caspia* Ve. C. Vi. I. *Caspida* reliqui. Wd.

725. *Inde Sacæ.* Latini Sagas dicunt, ut Hermolaus, III Castigationum Pomponianarum contendit. Avienus, versu 934, ait «truces, et inhospita Seres»; et parum supra, «Protendit Sugdias agros». Cam. — *Nimium certis*, i. e. certissime ferientibus. Vid. v. 608 et 743.

727. *Phrunique* V. e quibusdam græcis codicibus. Pap. *Eccochari*, *Phrurique* cod. Est. *Phrunique* Ve. *Thocari Phrunique* Vi. *Phrunique* C. — *Tochari* et *Phruri* ignotæ gentes Scythicæ. Eustathius tradit, pro Φρoῦρoι quosdam Φρῦνoι scribere. — *Plurima millia Serum.* De Serum populis Plin. VI, cap. 17; Mela, III. Plura super cap. 63 Julii Solini adnotavimus. C.

728. *Pecoris nec pascua curæ.* Non is sensus est, quasi Seres sint adeo feri, ut ne pecorum quidem et pascuorum fructu vitam sustentare satagant; sed quia neque ovium lana, neque pecudum aliarum tergoribus utantur ad vestimenta sibi conficienda, quæ sibi ex lana arborum et herbarum solent conficere, hinc pecorum curam negligunt, præ arborum atque florum cultu, ne scilicet pecorum frequens pastio damnosa sit pratis et floribus suis, e quibus ipsi lanam detondent. Avienus, qui v. 935 Seres ait «permixtos gregibus oviumque boumque» habitare, mentem Dionysii non percepit, ut ad eum locum ostendemus. Cæterum notandum ex hoc loco, quod et Salmasius ad Tertull. de Pall. p. 243 observavit, secundum Dionysium Seres lanam ex

Vestibus utuntur, texunt quas floribus ipsis,
Quos tenuant lectos desertis finibus ipsi.
 Ast alia Scythiæ gens est extrema per arva,
Quos prope sunt tristes ventis et frigore terræ;
Namque nives semper pulsant has grandine mixtæ.
Caspius his populis lustratur pontus et oris.

herbis et floribus depectere, quam dicunt alii ex arboribus. Claud. I, in Cons. Olybr. 179: « Stamine, quod molli tondent de stipite Seres, Frondea lanigeræ carpentes vellera silvæ ». Ubi Barthius e codice suo legere mavult *de cespite Seres*, ut graminia et humi natæ herbæ intelligantur, quam in rem et locum hunc Dionysii cum interpretibus suis adducit.

729. *Ipsis* L. Pap. *ipsis* in uno MS. Huds. sic et B. T. alii *ipsi*.

730. *Deserti finibus ipsi* Ve. C. Vi. I. *diseretis finibus illi* B. et T. Wd. — *Desertis finibus ipsi*. Cod. Dorv. habet *deserti*, et Lovan. idem cum glossa *id est, heremi*. *Tenuant* est in fila tenuia diducunt, quo verbo ita utitur Priscianus, ut exprimat quam Dionysius hic adjecit comparationem Serum cum araneis. Sic enim Virgil. in Cul. v. 2: « Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum ». Atque alias poetæ *tenuare carmen* dicunt, quasi tenui filo deducere.

731. *Extrema:* sic L. C. B. recte: ἐσχατιὰς enim græce est. In A. et V. *externa*, male. Pap. Ex meis *extrema* habent I. et T. — *Externa per arva*. Describit ultimos Asiaticos Scythas, ultra quos ob ingentem rigorem omnis inculta tellus est. Videtur autem non *externa*, sed *extrema* legendum. Codex græcus fere sic habet: « Alter abhinc Scytha continuus, quique ultima pascit ». In Avieni versu 937 sic passim legitur: « Ultima petrimos tellus habet, et procul ista, etc. » In græco habetur ἐπίτριμοι, quæ dictio συνεχεῖς, i. e. ultimos significat. Credunt aliqui Avienum deceptum, *epitrimos* vel *petrimos* in Dionysio populos esse. Mihi autem conformiter ad græcum legendum videtur « Ultima postremos tellus habet ». Quid, si sic legas « Ultima petrinos tellus habet? » Πέτρινος enim græce lapidosum, vel lapideum significat. Erit enim sensus, ultimam terram regionis hujus habere homines, loca lapidosa habitantes. (Hæc quidem nugæ sunt. W.) Sunt etiam Petrini Siciliæ populi. Lege Hermolaum, III, cap. 8; Plin. C.

734. *Populis* L. C. B. Male A. V. *populus*. Pap. *populis* ex meis habent C. Vi. B. T. — *Pontus et oris*. Heinsius hic ad oram edit. Papianæ ex cod. Lovan. notavit *Eois*, cum adprobatione, et alius vir doctus e cod. Leid. *Evoris*, quod alteri convenire videtur. Nec diffiteri possum, aptissimam eam lectionem esse sententiæ auctoris, qui hactenus gentes Caspii maris orientales lustravit, et nunc pergit, ut ipse, v. 736, ait, ad populos in litore Ponti Euxini occasum versus positos. Quia tamen nec Græcus Dionysius, nec Avienus, nec alius Prisciani liber vel scriptus, vel excu-

Adspice post Colchos nunc et post Phasidis undas,
Occasum versus, populos in litore ponti
Euxini densos usque ad Chalcedonis arva,
Bosporus angustat scopulis quæ Thracius urgens.
Byzeres primi, quos juxta terra Vechirum.
Macrones post hos pariter, Philyresque sequuntur :

sus hoc exprimit, vulgatam lectionem *et oris* mutare supersedi.

735. *Adspice post Colchos nunc.* Descripsit hucusque eos Asiæ populos, qui septemtrionalem oram incolunt, nunc eam Asiæ plagam exsequitur, quæ a Colchide in Bosporum usque Thracium protenditur. Hi autem sunt qui Euxini dexteram partem habitant; de quibus Plin. V, cap. ultimo, VI, cap. 1, 2 et 3; Strab. XII; Solin. cap. 54, et seqq. Mela, I, versus finem; Martianus Capella, VI, cap. 35; Herod. I; Valer. Flaccus, V; Lucan. III; Ptolem. V, cap. 6. C.

737. *Densos usque :* sic L. C. B. pulcherrime expressa voce græca ἐπιλαδόν. Male A. V. *damus hos.* Pap. *damus hos* omnes libri mei. *Chalcedonis ora* Ve. B. T. *oram* C. *oras* Vi. I. *arva* A. Papii cum seqq. — *Chalcedonis arva.* Urbem Chalcedonem Bosporo Thracio, ex adverso Byzantii, impositam nominat Priscianus ad mentem Dionysii, non ad verbum, qui hic vs. 764 Thracium ostium nominat, τόθι Χαλκὶς ἄρουρα. Sed sub Chalchide terra urbem Chalcedonem intelligendam monet Eustathius. Et voci ἄρουρα melius respondet lectio Papii *arva*, quam cæterarum, quas memoravi, aliqua.

739. *Buzeres :* quod exhibet L. In A. *Byzares.* Pap. B. T. *Biceres* cod. Est. *Byzeres* Ve. 1 et 2, Vi. I. C. *Vechirum* L. C. B. V. sed A. *Bechirum.* Papius. Ex meis *Vechirum* habent Ve. 1 et 2. C. *Bechirum* reliqui. — *Byzeres.* Plin. VI, c. 4 et 10. Valer. Flacc. V, 152 : « Vos quoque, etc. » Cam. — *Byzeres.* Sic scripsi, quia sic græcus et plures libri. *Bechirum* e Dionysio scribendum est, non *Vechirum :* et nomen ejus gentis *Bechires* non *Bechiri*, ut Avienus scripsit. Sunt vero hæ gentes, cum sequentibus, Ponti regionem incolentes, quas quia auctor a Colchide et Phaside enumerare incipit, Byzeres Colchis proximi habendi sunt. Eas partim enumerat Strabo, XII, p. 378; Apollon. II, vs. 22; Plin. VI, 4. — Avienus Bechires *diros* adpellat. Ed.

740. *Macrones* olim, recentiore vocabulo *Sanni* vocati sunt, sive magis proprie, ut Eustathius monet, *Tzani.* Strabo l. c. eos cum Tibarenis et Chaldæis, sive Chalybibus, supra Trapezuntem et Pharnaciam ponit. — *Philcesque sequuntur* MS Est. impressi habent *Phylires.* Wd. — *Phylires* pariter juxta Macrones et Bechires memorantur ab Apollonio l. c. Rationem nominis indicat Val. Flaccus, V, vs. 153 : « Philyræque a nomine dicta Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino ». Vibius Sequester, p. 158 ed. Hess. *Phylliridas* nominat, eosque absurde dicit esse *Europæ in Venetia :* namque legendum est *Asiæ in*

Mossynique, domos præbent queis lignea tecta,
Turribus arboreis habitantes, unde vocantur.
Hinc pecorum dives nimium gens est Tibarenum:
Hanc prope sunt Chalybes, durissima rura colentes,
Quos labor exercet sævus, ferrique metalla.
Vicinos istis campos terramque patentem

Genetis. Genetæ sutem vicini sunt Chalybibus secundum Plinium, VI, 4.

741. *Moxinique* cod. Est. *domos perhibent* I. Wd. — *Mossynique domos.* Heptacometæ populi snnt Scythiæ, quorum nonnulli snper arboribus et turrihus habitant. Turres enim Μόσσυνες vocantur. Hi ex ferina carne et arborum fructibus vivunt; atqne ex lignis desilieutes peregrinos adoriuntur iter agentes. Strab. lib. XII. Μόσσυν præterea domns lignea dicitur. Avieno, vs. 946, « Durateum gens » dicti sunt, i. e. Turricolarnm gens. Hi enim homines turreas domos habitant, quæ ex lignis fiunt, ut in fine primi scribit Mela. Δουράτα enim græce, latine ligna, Δουράτεος, lignens. *Durateus* græca dictione utitur Lucretius, I: « Nec clam durateus Trojanis Pergama partu Inflammasset equns nocturno Grajugenarum ». C. — De *Mossynis* Camers satis. A Strabone et aliis *Mossynæci* vocantur, quia turres, in quibus babitant, μόσσυνες dicuntur. Mela, I, 19: « Mossyni turres ligneas suheunt: notis corpus omne persignant ».

743. *Pecorum: est dives nimirum gens Tibarenum* Ve. Vi. B. T. *nimium gens Tibarenum* C. I. *Hinc pecorum dives nimium gens est Tibarenum:* sic C. B. quæ gennina Prisciani scriptura est: ad eum modnm et alibi dictione *nimium* abutitur, ut versu 608, *nimium placare Dianam.* Quod igitur A. V. habeut, *hinc pecorum est dives nimirum gens Tibarenum*, paullo elegantius fortasse, sed tamen falsnm est, mea sententia. Pap. — *Tibarenos pecorum divites.* Dionys. sdpellat πολύῤῥηνες, agnis abundantes, sicut et Apollonius, II, 375. Mores quosdam eorum indicat Mela, lib. I, 19, 69: « Tibareni Chalybus sdtingunt, quibus in risu lusuque summum bonum est »; et Val. Flacc. V, 148 et sqq. « hinc Tibarenum Dant virides post terga lacus: ubi deside mitra Feta ligat, partuqne virum fovet ipsa soluto ».

744. *Chalybes* olim, post Chaldæi vocati snnt teste Strabone, XII, p. 378. Et his ferri fabricandi negotium et durum vitæ genus tribuit Val. Flaccus, IV, 610 seq. « Nou ita sit metuenda tibi, sævissima quamquam, Gens Chalybum, duris patiens cui cultus in arvis, Et tonat adflicta semper domus ignea massa ».

745. *Labor exercet durus* MS Est.

746. *Vicinos istis campos.* Tres MSS, quorum collationes habui, Lovan. Leid. et Suecicus in Actis soc. Lat. Ien. hic clare perscribunt *Vicinos Syrtis campos;* neque hanc lectionem negligenter habendam arhitror: nam omnino hæc græca in versu 772 exprimere videtur: Τοῖς δὲ μετ' Ἀσσυρίης πρόχυσις χθονὸς

Assyrii complent populi : qua gurgite vasto
Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis,
Armenium linquens montem, descendit in æquor.
Huc Asiæ quondam devenit alumna Sinope :

ἐκτετάνυσται· et Eustathius docet, per πρόχυσιν Dionysium significare exaggerationem terræ, quam Halys fluvius congesto ibi limo addiderit, quomodo et factum antiquitus a Nilo dicatur. Similiter explicat scholiastes Apollonii, qui lib. II, v. 966, iisdem verbis usus est. Quis autem neget, hanc aggestionem vel adluvionem terræ *Syrtim* a Prisciano adpellari potuisse? Nam Strabo, lib. XII, pag. 545, tradit Sinopen ad Halys ostia sitam esse in cervicibus peninsulæ, cojús ulteriora in mare projecta sint, vacua et scopulosa, et sæpe maris intumescentis æstu impleta. Sed terra maris fluctibus perfusa Syrtibus haud est absimilis, et Val. Cato adeo in Diris, 53, *alteram Syrtim* vocat. Unde haud dubium est, Syrtim a Prisciano vocari peniosulam, quæ ultra Sinopen est in mare porrecta et fluctibus obnoxia. Dionysio addamos Val. Flaccom, qui lib. V, v. 110 : « Assyrios complexa sious stat opima Sinope ». — *Parentem* Ve. et Vi.

747. *Assyrii complent.* Hi in regione, quæ post Cappadocia dicta est, ponendi sunt. Syri enim et Leucosyri olim Cappadoces dicti sunt, ut Herodotus, Strabo, Plinios testantur. Vid. Cellar. Orb. ant. vól. II, p. 333. Et qui Chaldæorum nomen ex media Asia ad Chalybes transtulerant, facile et Assyrios potuerunt eorum vicinos adpellare.

748. *Thermodon, Martius amnis.* Id dicit vel propter bellicosas Amazones, vel quia Amazones, ut dictum est antea, a Marte genitæ creduntur. Val. Flacc. V, 122 : « Sævaque Thermodon, etc. » C.

750. *Huc Asiæ:* sio L. C. B. V. Temere igitur, suo more, Aldiniani corruperunt totum hunc versum, *Huc quondam Asopi devenit alumna Sinope*, ot etiam versus 130, 396, 720, et plurimos alios. Pap. Corroptum ab Aldinis versum reddiderunt pro more B. et T. — *Alumna Sinope.* Hæc Ponti urbs, auctore Strabone, lib. quo supra, a Milesiis condita est, Olympiade sc. 37, ut in temporibus Eusebii scriptum est. Sinope fuit secundum fabulam Asopi fluminis filia, quæ a Jove rapta in Pontum exportata est; a qua hæc urbs Sinope condita est. Val. Flacc. Arg. V, 110 : « stat opima Sinope, Nympha prius, blandosque Jovis quæ luserat ignes, Cælicolis immota procis, etc. » Plura Diod. Siculus, V. In Avieni versu 951 legerem, « Nec minus illic Erigitur celsa in fastigia prisca Sinope ». Et parum infra, ne versus claodicet, videtur legendum *Ausa habuit plebemque*, etc. vel sic, *Arva habuit plebemque*, etc. ut sensus et ordo sit : Asopis virgo, adpositive ardor magni Jovis, locans quondam hanc urbem, habuit arva propter, hoc est juxta, confinia sævæ terræ. Et statim post : *Surgit Halys, tum Paphlagonum*, etc. Visom est aliquando mihi, quod nec hodie displicet, in Avieni versu 957 sic legendum : « Et citus Amasicæ rursum convallibus arcis ». Est enim Amasica in his

Ex qua cognomen ceperunt mœnia clara.
Illius fluvii rigidas prope frigore ripas,
Invenies lapidem crystalli, pondere puro,
Consimilemque gelu, nec non splendore nitentem :
Gemma micans illic perlucet iaspidis albæ.
Iris continuo liquidus decurrit in æquor.

terris urbs, Strabonis patria, juxta quam Iris fluvius dilabitur. Auctor Strabo libro præfato. Nec obstat syllabæ quantitas, ut videtur quibusdam. Nam in simili *ma* Naso, Met. XV, 279, corripuit : « Necnon Sicanias volvens Amasenus arenas». Plin. in his locis, VI, cap. 2. « Fuit, inquit, et oppidum eodem nomine, et aliud inde Armine nunc est colonia ». Videtur igitur posse legi *Arminicæ arcis.* Hæc lectoris judicio committimus. C. --*Huc Asiæ quondam*. Etsi hunc versum temere correctum ab editoribus Aldum sequutis arbitror, ut in var. lect. indicavi, idem tamen diffiteri non possum, Priscianum, qui sic scripsit, nonnihil errasse, aut apud Dionys. pro Ἀσωπίδα fortasse Ἀσιήτιδα legisse. Nam quomodo alias *Asiæ alumnam* Sinopen dicere potuisset, quum Asopus, cujus nympha Sinope filia, vulgo Thessaliæ fluvius habeatur, ut a Vibio Seq. p. 18. Sed fortasse sic vocare Sinopen voluit Priscianus, quia post multos errores locum et requiem in ea parte Asiæ invenerat. Fabulam de Sinope paullo aliter, ac Dionysius, tradit Val. Flaccus, V, 110. — Ille Sinopen ignes Jovis lusisse canit; alii Sinopen ex Apolline gravidam peperisse Syrum tradunt. Vid. Diod. Sicul. IV, p. 190; Philostephan. apud Schol. Apoll. Rhod. II, 948; Plut. Lucull. III, p. 169, etc. En.

752. *Rigidas prope* MS Est. atque omnes mei impressi, etiam, qui alias Papium sequitur, Pith. *gelidas* A. R. Wd.—*Illius fluvii.* Quatuor hos versus, quos tribus tantum complectitur Dionysius, præteriit Avienus. De Iri et Haly fluminibus præter alios Val. Flacc. De his locis Plin. V, c. 32 ; Solin. c. 54, et inde. Notanter Claud. XX, in Eut. II, 238 : « pars Phrygiæ ». Prætermittit hic interpres tres Dionysii versus, quibus describit Cerberum canem, ab Hercule eductum ab inferis. Sed Avien. vertit eosdem, v. 960 : « Et Mariandynum gens incolit, etc. » Et statim post lego *Rhebas Cyanei*, a Cyaneis Ponti insulis. C. — *Illius fluvii gelidas*. Sic edidit Papius, sed *rigidas* rescribendum putavi, quod sic plenius exprimi videtur Dionysii κρυμώδης · atque hoc omnes impressi, et præterea MSS collati præferunt. Scilicet quia Antiqui Thermodonta subinde sub frigidissimo cælo in Scythia Thraciave ponebant, atque, ut Eustathius monet, æstate adeo congelare putabant, hinc ea proprietas etiam tributa Cappadociæ fluvio.

753. *Pondere puro*, ut supra vs. 700. Wd.

754. *Nitenti* A. V. C. Sed L. B. *nitentem*. Pap. *nitenti* omnes mei.

576. *Liquidis* Ve. 1 et 2, vitiose : *decurrit* C. B. melius quam A. V. *percurrit*. Pap. *percurrit* omnes mei

Post Halys est fluvius, Boreæ qui currit in ortus,
Atque Carambidis irrumpit prope litora Pontum,
Armeniis primas qui montibus accipit undas.
Paphlagones post hos, Mariandynique sequuntur,
Bithynique viri, pinguissima rura colentes:
Qua Rhebas pulcher gratissima flumina volvit,
Rhebas, qui rapidi decurrit ad ostia Ponti.
Tot populi terras habitant per litora Ponti:

ante Papium. — *Iris* fluvius Ponti, hodie *l'Irio*, inter Thermodonta et Halyn, quibuscum sæpius conjungitur. Val. Flacc. V, 121: « Transit Halys, longisque fluens anfractibus Iris, Sævaque Thermodon medio sale murmura volvens ».

757. *Oras* L. C. B. Sed A. V. *ortus*. Vide notas. Pap. *In ortus* habent quatuor meæ vetustiores: *in oras* B. et T. — *Qui currit in oras* Sic L. C. B. Etsi, quemadmodum A. V. legebant, *in ortus* nolim reprehendere; quum et Virgilium ita loquutum esse lib. III, 277, Georg. videam, « non, Eure, tuos, neque solis ad ortus »: quamquam de illo loco dupliciter responderi posse scio: partim, quod Euri ortus proprie dicere liceat, quemadmodum Zephyri occasus, septemtriones Boreæ, Austri meridiem; partim, quod Solis mentio accedens id leniat. Sed tamen Euri ortus dixisse poetam puto, tamquam unde Eurus oritur; sicut eodem loco Meridiem designans, ait vs. seq. « unde nigerrimus Auster Nascitur, etc. »

762. *Qua Rhebas pulcher*. Rhebas fluvius exiguus Bithyniæ ad Bospori ostia, quem, mirum est, a Dionysio tribus versibus et ter repetito nomine laudari, quum Ptolemæus et Strabo eum ne nominent quidem. Plinius, lib. VI, cap. 1: « A faucibus Bospori est amnis Rhebas, quem aliqui Rhesum dixerunt; deinde Psillis, etc. » Qui Rhesum dixerunt, fortasse confuderunt cum fluvio Troadis. Hesychius: Ῥῆσος ποταμὸς Τρωάδος. Sed et Val. Flaccus aliter nominasse visus est lib. IV, 698: « nigrantia quum jam Litora longinquique exirent flumina Rhebi ». Sic codd. scripti et vetustiores impressi legerunt, sed posteriores emendarunt *Rhebæ*. Adponit autem Flaccus Rhebæ *nigrantia litora* propter vicinum ei *promontorium nigrum*, quod Arrianus in Periplo Ponti memorat, pag. 13, Μέλαιναν ἄκραν vocans.

764. Abest hic versus ab omnibus meis impressis ante Papium. Sed recte retineri et deberi huic loco, quum græca Dionysii docent, tum etiam quod, quæ caussa ejus prætermittendi librariis fuerit, facile adparet. Nam simili duorum versuum terminatione *Ponti* decepti sunt. Et habuit eum cod. Est. Wd. — *Tot populi*. Hic versus et L. et C. huc accessit, quum nec in A. nec V. nec in ipso, quod miror, Buslidiano exstaret. Sequens quidem hunc ante se plane requirebat, et miror Aldinorum, tot locis superfluum officium hoc uno defuisse. Exprimit autem hunc græcum: Τόσσοι μὲν Πόντοιο περικτίται ἄνδρες ἔασι, v. 797. Pap.

Nam prius exposita Scythiæ sunt semina gentis.
Nunc Asiæ regio contingens litora nobis
Dicatur; partes calidas quæ currit ad Austri,
Atque Hellespontum transit, Syriæque recessus
Poscit et Arabiam, qua florent ubere terræ.
Sunt Chalcedonii primi, post ostia Ponti,
Mœnia Byzantis qui cernunt optima contra,
Romanisque pie regnis dominantia mundo.

765. *Prius expositæ* MS Est. *En prius exposita* Vi.Wd.—*En prius exposita.* Describit meridionalem partem Asiæ, de qua et ejus locis Plinius tribus ultimis capitibus quinti; Strabo, XII; Mela, I, in fine; Solinus, cap. 51; Ptolemæus, V, in principio; Homer. in secundo Iliad. Item cæteri. In Avieno, versu 967, « Ora Asiæ, glaucus ». Et statim post « Axe noti, fauces rapidi procul Hellesponti ». *Procul* enim interdum accusativo jungitur. Curtius *procul urbem* dixit. Et infra parum : « Usque Arabas ». Item « Cominus Europen ». Item « Tergaque flavescens sulcat Cius ». CAM. — *Exposita*, sic ultima producta ob sequentes consonantes *sc.* ED.

767. *Decurrit* A. V. *qua currit* L. unde conjeceram legendum *quæ currit:* quod C. B. probant. Pap. *decurrit* omnes mei, qui ante Papium.

769. *Quæ florent.* Quid si *quæ florens*, aut *qua florent* legamus, ut ad solam Arabiam pertineat? Pap. *quæ floret* C. — *Poscit et Arabiam*, i. e. petit et convertit se ad *recessus Syriæ*, vel litora Syriæ, quibus Asia ab Hellesponto recedit, et interiorem sinum efficit : *Poscit* enim referendum puto ad *recessus* pariter et *Arabiam*, et post *transit* incisum ponendum.

771. *Byzantis :* sic C. B. Reliqui *Byzanti.* Pap. Ex meis *Byzanti* B. et T. — *Mœnia Byzantis.* De Byzante sive Byzantio, Strabo, lib. VII. Condita autem primo est a Pausania Spartanorum rege, Olympiade XXXVI, ut docent Justinus in nono, et Eusebius in Temporibus. Byzantium postea a Constantino Imper. Rom. imperium translatum est. Claud. V, 54, vocat eam urbem Romæ æmulam : « Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ, Et Chalcedonias contra despectat arenas ». Lego in Avieni versu 973 : « Mœnia Byzæ ». Plinio, IV, cap. 11, Brisæ Thraciæ populi ponuntur. Sed hic de Byzantio loquitur Dionys. Carmen hoc : « Romanisque pie regnis dominantia mundo » ex suis addidit Priscianus. De Bebrycia et Mysia præter nunc citatos Val. Flaccus, IV. C.—*Byzantis qui cernunt :* quibus Chalcedoniis in altera Bospori ora Byzantium ex adverso et tam propinquum est, ut prope cerni possit. Sic contra de Byzantio ait Claudian. IV Cons. Hon. vs. 177 : « caligine liber Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni ».

772. *Romanisque pie.* Ejus versus a Prisciano additi sensum explicavi in præfat. ad Prisc.—Tale est quod Sextus Rufus in Breviario, cap. 9,

Bebrycii post hos, et Mysia montibus alta,
Qua Cius egregia decurrens murmurat unda;
Qua Nymphas comitem perhibent rapuisse potentis
Alcidæ puerum, tristissima fata gementis.
Hinc Hellespontum pertenditur angulus ingens,
Qua brevior Phrygiæ pars est; nam latior intus
Sangarii ripis fluvii vicina rapacis.
Tenditur hæc positu Titanis pinguis ad ortus:
Altera ad occasus, altæ sub montibus Idæ,

Constantinopolim vocat «secundas arces Romani orbis». Ed.

774. *Qua Chius* cod. Est. et C. *Qua Cios* I. — *Cius* est fluvius Bithyniæ, cum promootorio et urbe ejusdem nominis. Plinius, V, 32: «amnes Hylas et Cios, cum oppido ejusdem nominis, quòd fuit emporium, non procul accolentis Phrygiæ, a Milesiis conditum». Quod ait *fuit*, id subindicat, oppidum olim eversum esse a Philippo, Demetrii filio, et Prusia, qui urbem aliam in loco condidit et Prusiadem nominavit, ut refert Strabo, XII, pag. 563, qui tamen orbem Prusam vocat. Hodie Cios incolis *Chorasia*, Turcis *Cheris*. Hylam flovium Cio jungit Plinius, et adluere Prusiadem Solinus dicit, cap. 42, in quo perierit Hylas puer, deliciæ Herculis, a Nymphis raptus. Dionysius hanc fabulam ad Cium retulit, proximitate utriusque inductus.

775. *Qua Nymphas*. Hylas puer Theodamantis filius, ac comes Herculis in Ionia, quum aquatum perrexisset, conspectus a Nymphis loci illius raptus est. Sed fabulam alibi latius exposuimus ex Servio, Lactantio, Val. Flacco, Strabone. Camers.

776. *Castissima facta* cod. Est.

777. C. B. *protenditur*. Pap. sic etiam cod. Est. *pertenditur* omnes impressi. — Equidem hic legere vellem *Hinc Hellesponto pertunditur*, si codices adsentirent. Et eo facilius hæc verba permutari potuerunt, quod infra vs. 784 et 785 conjunguntur. Ed.

778. *Phrygiæ pars est*. Describit Minorem Asiam, de qoa Plin. V, cap. 30; Ptolem. V, cap. 5; Solin. cap. 53; Mela, I; Strabo, XIII. Plura Val. Flaccus, II. In Avieno, versu 980, lego «tellus incurvat in orbem». C. — *Qua brevior Phrygiæ*. Minorem Phrygiam intelligit, quæ est maritima. *Altera* Magna versus orientem adjacet, et est interior et mediterranea.

780. Schraderus hoc loco optime conjecit, pro *hæc potius*, quod in vulgatis est, legendom esse *Tenditur hæc positu*, transposita una litera. Alias *potius* plane otiosum est, *positum* vero sic auctor usurpavit initio poematis, versu 2. Wd.

781. *Ad occasus*. Sic omnes libri. Sed cod. Leid. *occasum* scribit, et Lovan. *ad occasum est*, quod fere prætulerim. — *Sub mœnibus Idæ*, quod cod. Est. et Suec. in Act. soc. Lat. Ien. non adspernandum est. Vid. infra vs. 937.

Altaque qua cecidit præclaro nomine Troja,
Ad Xanthi liquidas nec non Simoentis ad undas.
Post hæc Æoliæ tellus prætenditur oræ,
Fluctibus Ægæi primis quæ tunditur alti
Inde tenet terras, pelagus prope, sanguis Ionum;
Per quas Mæander pinguis descendit in æquor,
Inter Miletum currens latamque Prienen.
Ad latus istorum Boreum sunt mœnia clara;
Urbs Ephesus, claudit quam grato litore pontus.
  Post has Mæoniæ tellus, quæ vergit ad ortus:
Et Tmoli colles, fluvius quibus aurifer exit
Pactolus: cujus prope ripas tempore verno
Si sedeas, dulci capiaris pectora cantu
Cycnorum, pascunt quos herbæ flumina circum:

782. *Altera qua cecidit præclaro nomine terra* cod. Est. *Altera quæ cecidit præclaro nomine terra* omnes meæ antiquiores. — *Altaque qua cecidit præclara nomine Troja.* Sic pulcherrime L. et B. præterquam quod in hoc *quæ cecidit* erat A. V. *Altera quæ cecidit præclaro nomine terra:* eodemque modo et C. nisi quod *qua cecidit* habet. Papius. — *Præclaro nomine terra.* Urbem Trojanam intelligit, cujus casus notior est, quam *lucus Martis et Æoliis vicinum rupibus antrum Vulcani.* C.

784. *Post hæc Æoliæ tellus.* Plinius de hac regione et locis ejus copiose, V, cap. 30; Mela, I, versus finem, ubi de Ionia et Mæonia habet abunde. Lege Strab. XIII. C.— *Protenditur* legebat Schraderus, et recte. Wd.

788. *Priene* magna et antiqua urbs Ioniæ ad mare, et ostia Mæandri. *Lata*, εὐρύχορος Dionysio, adpellari videtur, quod spatiosior regio urbi adjecta. Nobilitata maxime est *Panioniis* ibi celebratis, et natalibus Biantis, qui unus e septem sapientibus est habitus. Tum celeberrimum ibi delubrum Minervæ fuisse memorat Pausan. VII, 5.

790. *Urbs Ephesus.* Prætermittit hic interpres pauca de Dianæ Ephesiæ templo, de quo notavi plura apud Solin. cap. 53; lege Avien. versu 992. C.

791. *Ad ortum* MS Est.

793. *Pactolus aurifer.* De fluminibus aurum vehentibus lege Plin. XXXIII, cap. 4. In Avieni versu 996 lego « Arva canoris Persultant cycnis, etc. » Et parum post, « Ubere nam grandi ». C.— *Prope ripa* Ve. 1 et 2; *ripam* Vi.

795. *Cantu cycnorum.* Cycnus, qui latine olor dicitur, quoniam instantem necem præsagit, Phœbo dicatus est. Hæc siquidem avis, prænoscens bonum mortis, in fine vitæ suavissime cantare dicitur. Ovid. Trist. V, 1, 11: « Utque jacens ripa, deflere Caystrius ales Dicitur

Nam florent Asiæ per campos plurima prata;
Sed magis ad fluvium Mæandri, gurgite miti
Quem juxta volvens se murmurat unda Caystri.
Post hos sunt Lycii; quos Xanthus dividit amnis,
Ad mare vergentes, qui Tauri cornua cernunt,
Usque ad Pamphylos, perhibent quem nomine Cragum.
Illic adspicies Aspendum; mœnia cujus

ore suam deficiente necem ». Mart. Epigr. XIII, 77 : « Dulcia defecta modulatur carmina lingua, Cantator cycnus funeris ipse sui ». Lege Plin. X, cap. 23. Sumpta ex Hom. Iliad. II. Hinc sumptum a Græcis adagium κύκνειον ᾆσμα, i. e. cycnea cantilena. C. — *Cycnorum*. Videtur auctor perhibere, cycnos frequentes ad Pactoli ripas cecinisse, quod tamen alios memini de Caystro, non Pactolo, dicere. Sed Pactolus, Mæander, et Caystrus non multum distant, et post hæc pratorum circa Caystrum meminit, in quibus pasci ferebantur cycni. Virg. Georg. I, 384 : « et quæ Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri » : et *Caystrius ales* dicitur cycnus Ovidio, loc. cit. — *Flumina* L. C. B. Male A. V. *flumine*. Pap. Ex meis C. *flumine*.

797. *Gurgite miti*. In MSS nostris *noto*. Huds.

798. *Unda Caystri*. Scribit in his locis Dionysius Lydias mulieres pulchris commixtas virginibus, apud Caystrum amnem annis singulis sacra Baccho solitas celebrare; quæ dum bacchantium more choreas ducunt, agiles ac lascivientes, damas saltando imitari videntur. Sed hæc omnia hic noster interpres præteriit. Hunc ritum novem carminibus eleganter transtulit Avienus : « Mœonis hic, etc. » vs. 1005 lego : « Virgineusque chorus late strepit; exsilit omnis Cœtus, ut instabiles vaga pendent corpora damæ »; ut ordo et sensus sit : Omnis cœtus exsilit, ut agiles damæ, pendent, hoc est sursum tollunt, vaga corpora. C. — *Unda Caystri*. Post hæc memorat Dionysius, ad Caystri ripas solere Lydias mulieres virginibus mixtas sollennes Baccho choreas ducere, et hilariter saltare. Priscianus hæc omisit, quia solet omnem ritum gentilem aversari et a carmine suo prohibere.

799. *Post hos sunt Lycii*. De Lyciæ locis et populis lege Plin. V, cap. 27; Mela, I; Strabo, XIV; Ptolem. V, cap. 3, tab. prima Asiæ; Solin. cap. 52. De Aspendo oppido, Eurymedonte flumine, Pamphyliæ urbibus, et locis his, late Plin. V, cap. 37; Mela, I. Cam.

800. *Tauri cornua* dicit Priscianus ex versu 634, licet ὄρεα habeat Dionysius, *culmina* Avienus. Vide notata nostra ad v. 633.

801. *Pamphylos* : sic C. B. Sed A. V. *Pamphylios*. Pap. quomodo omnes mei antiquiores. Sed *Pamphylos* ponendum esse propter metrum, probat versus 804. *Nomine Cragum* MS Est.

802. *Illic* L. *Illinc* Pap. *Illic* omnes mei. — *Aspendus* urbs Pamphyliæ clara et populosa, ad Eurymedontem fluvium sita, ab Argi-

Eurymedon amnis radit vicina profundo.
Continuoque jacent aliæ Pamphylides urbes,
Corycus, Pergeque calens, et celsa Phaselis.

vis condita, ut scribit Strabo, lib. XIV, p. 667. Ibi suibus sacrificandi Veneri morem fuisse, addit Dionysius, sed Priscianus ut fœdum gentilismi ritum repetere abhorruit. Plinius *Aspendum* dicit lib. V, 27.

803. *Vicina profundo.* Male sic vertit Priscian. ὑπειράλιον πτολίεθρον, quasi *maritimum.* Nam Ptolemæus, lib. V, cap. 5, Aspendum mediterraneis urbibus accenset, et Strabo l. c. dicit adverso flumine Eurymedonte a mari ad eam sexaginta stadiis navigari. Hinc Salmasio ὑπειράλιον est *a mari remotum*, ut ὑπὲρ τῆς θαλάσσης. Sed omnino rectius et aliis Geographis convenientius est, explicare *supra mare elatum*, et mare ex alto colle prospiciens: nam diserte Plinius l. c. Aspendum in monte situm ait. Mela, lib. I, 14, 5: « Mare ex edito admodum colle prospectat Aspendos ». Et Arrianus, Expedit. Alex. lib. I, p. 74, refert sitam esse magna ex parte in aspera præruptaque rupe.

804. *Pamphilidis* omnes antiquiores, præter B. quæ *Pamphilides.*

805. *Coricium Pergeque* cod. Est. *Coricus Perge* sine copula C. *Parceque* Ve. 1 et 2. — *Corycus.* More Græcorum produxit mediam. Avienus autem corripit, v. 1017: « Sæpe Dionææ Veneri: stat Corycus alta ». Est enim oppidum et mirus Ciliciæ specus, de quo Mela, I, et Solin. cap. 51; Strabo, XIV. Lucan. III, 226: « Coryciumque patens exesis rupibus antrum ». De locis statim sequentibus scribunt omnes, potissime noster Plinius, V, cap. 27; Strabo, XII et XIV; Stephanus; Pompon. I; Lucan. III, et sqq. C. — *Corycus.* Urbem hanc Pamphyliæ, quam oppidulum vocat Strabo, XIV, p. 667, et alii Geographi fere ignorant, distinguendam esse ab alia celebriore Ciliciæ, ubi et Corycius specus, monet Salmasius ad Solin. c. 38, p. 545 edit. Traj. et de cæteris Pamphyliæ urbibus hic memoratis agit. — *Perga* est oppidum Pamphyliæ mediterraneum, ad Cestrum flumen, quo adverso a mari ad urbem per sexaginta stadia navigatur, teste Strabone, XIV, p. 667. Et Mela, lib. I, cap. 14: « Duo, inquit, validissimi fluvii, Cestros et Cataractes. Inter eos Perga est oppidum, et Dianæ, quam ob oppido Pergæam vocant, templum ». Meminit et S. Lucas, Act. XIII, 13. Cur *calens* vocetur a Prisciano, rationem vix invenio, nisi hæc sit, quod teste Strabone annui sacri conventus in ea agi, et sacrificia adeo frequentari solebant. Sic in fragmento Sereni, I, v. 5 (quod hujus nostri op. tomo I, pag. 633 seqq. protulimus. Ed.): « Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello ». Et Avienus, Descr. Orb. vs. 519: « Et Junone calent hic aræ præsule semper ». Statius, Theb. VII, vs. 578: « domus omnis, et omnia sacris Templa calent ». Ed. — *Phaselis* eodem loco Strabonis memorata, urbs fuit Lyciæ in confinio Pamphyliæ sita, apud quam incipiunt angustiæ, ad mare Pamphylium incumbente Climace monte, celebres ob transitum exercitus Alexandri.

Has supra mediis habitant telluris in arvis,
Ad partes ortus, gens dura Lycaones armis.
Post has Pisidum pinguissima rura coluntur:
Telmissus, Lyrbe, nec non clarissima Selge,
Gentis Amyclææ pulcherrima mœnia quondam.
Hinc sinus est longus Cilicum, qui vergit ad ortus,
Euxini penetrans vicinas æquoris undas.

807. *Lycaonis* omnes excusi, et ipse Papius eum seqq. Sed *Lycaones* legendum esse vidit Schraderus, docet antecedens *habitant*, confirmat Dionysius, vs. 857, et lectio codicis Estens. — *Lycaones armis.* Heinsius e codice Lovan. notavit *Laconis in armis*, atque hinc legendum censet *Lacones in armis*. Sed haud dubie præferenda Schraderi correctio, quam in var. lect. dedimus, *Lycaones*. Nam hic de Lycaonia auctori sermo est, et quamvis mox *Selge* dicatur ab *Amyclæis*, i. e. Laconibus, condita, hæc tamen Pisidiæ urbs non huc trahenda.

808. *Post hos* eod. Est. et omnes mei excusi. W'd.

809. *Termesus* Ve. 1 et 2, C. Vi. *Termessus* L. B. T. *Lybre, nec non clarissima Slege* V. 1 et 2. — *Telmessus.* Sic L. C. B. et quædam exemplaria græca: quæ etsi non probantur Eustathio, tamen Priscianum ita legisse, ex horum codicum consensu mihi est verisimile. A. V. *Termessus.* PAP. — *Telmissus, Telmessos, Termissus* vel *Termesus*, quod est usitatius, et nummis confirmatum, urbs Pisidiæ Lyciam finiens, angustiis montium adposita, ut aiunt Mela, I, 15, 21, et Strabo, XIV, p. 666. Per montes adjacentes *Solyma* videntur intelligenda. Ab Alexandro dirutam, ut fauces montium, quibus imminebat, aperiret, tradit Strabo, l. e. *Lyrbe*, aliud Pisidiæ oppidum, a solo fere Dionysio memoratur.

810. *Selge gentis Amyclææ.* Selga urbs ab initio fuit a Lacedæmoniis condita, et ante a Calchante, postea per sese mansit, etc. Strabo, lib. XII. Stephanus Selge, inquit, urbs Pisidiæ, ejus populus colonus Lacedæmoniorum. C.

812. *Vicinas æquoris undas.* Pro eo tres Mspti, quorum collationes habeo, *æquoris oras*, quod rectius videtur. Nam si recte capio Prisciani e Dionysio mentem, vult ille, sinum maris ad Ciliciam adeo penetrare et intrare terram, ut ad Ponti Euxini, qui ex adverso est, oram pæne vicinam adpropinquet, et inter utrumque sita pars Asiæ angusta fiat. Confirmat hæc Strabo, qui lib. XII, p. 534, eam portionem Asiæ, quæ Cappadociam et gentes huic adjectas ad Halyn usque continet, pro isthmo magnæ peninsulæ duobus constricto maribus habitam esse tradit, uno scilicet Issici sinus usque ad Ciliciam asperam, altero Euxini usque ad Sinopen et oram Tibarenorum. Clarius adhuc sententiam Dionysii explicat Curtius, III, cap. 1: « Inter hæc maria angustissimum Asiæ spatium esse comperimus, utroque in arctas fauces compellente terram: quæ, quia continenti adhæret, sed magna parte cingitur fluctibus, speciem insulæ

Hunc Asiæ perhibent angustis partibus esse:
Cui tamen immenso fluvii se gurgite miscent,
Per longum Pyramus spatium, Pinarusque voluti,
Flexilis et Cydnus, dirimit qui flumine Tarson.

præbet; ac, nisi tenue discrimen objiceret, maria, quæ nunc dividit, committeret ». Sed observat Cellarius, vol. II, p. 4, Veteres plane aliam figuram ejus Asiæ partis sibi formasse, ac hodiernæ accuratioresque tabulæ proponant.

813. *Hunc Asiæ* L. *Hanc Asiam* Pap. *Hinc Asie*. C.—*Hunc Asiæ perhibent*. Obscura hæc, nisi corrupta, est interpretatio verborum Dionysii, v. 865: Ἀσίης δὲ στεινὰ καλεῦσι· quibus aptior videtur lectio codicis Lovan. *Hanc Asiam*, h. e. hanc partem Asiæ nuncupant angustias ejus, sive, ut Strabo adpellat, isthmum in magnam peninsulam procurrentem. Cujus etiam isthmi idem rursus mentionem injicit lib. XIV, p. 677.

815. *Pinarusque*. In Avieni versu 1031, lege *Pinarus*, ex Dionys. et Plin. lib. V, cap. 27. C.—*Piramus Pinarusque* flumina Ciliciæ, Pyramus ad Mallon, Pinarus ad Issum urbem: memorat Plinius, loc. cit. Strabo, lib. XIV, p. 675 et 676, ubi pro Πίνδος legendum esse Πίναρος, monet Cellarius. Avienus, v. 1030 nominum quantitatem mutavit; scribit enim: « Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus æquor ». Primam vero in *Pyramus* corripit Dionys. 867; sed Ovid. Met. IV, 55 producit. Ed.

816. *Qui flexilis* L. C. B. Incongrue A. V. *qua*.—*Flexilis et Cydnus*. Cydnus amnis non spatio aquarum, sed liquore memorabilis. Quippe leni tractu e fontibus labens puro solo excipitur: nec torrentes incurrunt, qui placide manantem alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus. Quippe multa riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus suis similis, in mare evadit. Q. Curtius, lib. III. C. — *Tarson*. Prætermittit hic interpres plures Dionysii versus, qui fabulam Pegasi alati equi, a cujus ungula dicit Tarson dictam. Tarsos enim plantam pedis significat. Idem scribit Stephanus, et apud nos Lucan. III, 225, « Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos ». Solinus idem sentit, cap. 51; Plin. V, cap. 27. Joseph. Antiq. I, cap. 11, vult Tarson dictam a Tarso Japheti filio. Strab. lib. XIV. Tarsus, inquit, in campo jacet, Argivorum opus, qui Io quærentes cum Triptolemo erraverunt, etc. Lege Justin. lib. XI, et Q. Curtium, lib. III. Hæc maxime insignis apostolo Paulo, ejus alumno. Versus qui hic desunt, lege apud Avienum: « Pegasus hoc olim, etc. » Sed versu 1035 lego « Esset ut insigni revoluta in sæcula semper Nomen humo, clari post ultima Bellerophontis ». Et parum infra: « Hic Mallos ». Lucan. III, 227: « Mallos, et extremæ, etc. » Et versu 1041, « Illustresque Soli post carmina vatis alumni », i. e. Arati poetæ, qui Solensis fuit. Et parum post: « Donec piniferas ». C. — Post hunc versum tres hi in solo A. reperiuntur: « Cui nomen posuit audacia Bellerophontis, Quando Medusæum voluit frenare caballum, Atque in equo volucri per

Hinc aliæ Cilicum sunt celsis mœnibus urbes:
Lyrnessus, Mallosque simul vicina profundo,
Atque Soli medio terrarum fine locati.
Commagena dehinc regio, Syriæque sequuntur
Urbes, dispositæ per longi litora flexus;
Nam Casii montis qua prominet ora per æquor,
Vergit in occasus diffusis tractibus unda.
Nunc reliquas Asiæ partes tibi carmine pandam,

sublimem aera ferri ». Quos qui adsuit, duplici nomine ridendum se propinavit: et quod adsuit, et quod tam ineptos adsuit. Absunt igitur a L. C. B. V. et a nobis omittuntur. Pap.

817. *Hinc aliæ:* sic L. C. B. Sed A. V. *Asiæ*, male. De tribus versibus ante hunc insertis, vide notam Papii. *Hinc Asiæ* omnes meæ antiquiores, præter unam I. quæ *aliæ*. Tres versus spurios ex meis sola habet B. omisit eosdem T. contra morem. *Sunt celsis montibus* legit cod. Est.

818. *Lyrnessum* urbibus Pamphyliæ accensent Strabo et Plin. ll. cc. nec qui Ciliciæ adscripserit, præter Dionysium, adhuc reperi. Alia Lyrnessus Troadis, patria Briseidis. De *Mallo* Strabo l. c. « Prope Pyramum est Mallus, sita loco edito, condita ab Amphilocho et Mopso, Apollinis filio et Mantus ». Quod de Mallo Priscianus adjicit *vicina profundo*, in hoc ipso magnopere erravit, et nomen proprium urbis Ἀγχιάλεια, quam inter urbes Ciliciæ Dionysius refert v. 875, pro adjectivo urbis Malli habuit, et perinde ut supra v. 803 ὑπειράλιος, *vicina profundo* vel *maritima* vertit. Certum est, *Anchialen* celebrem esse urbem Ciliciæ, propinquam Tarso, de qua Strabo, XIV, pag. 672. Et *Anchialeam* etiam vocatam testatur Stephanus, ad hunc ipsum Dionysii locum provocans, et Avienus, v. 1039.

819. Pro *locati* B. *locatæ*. Pap. *locatæ* etiam habet mea C. Error inde fuit, quod *Soli* hoc versu non pro nomine proprio acceptum, et *locatæ* igitur relatum ad urbes, quæ ante nominantur.

820. *Commagena regio* pars Syriæ, Amano et Tauro monte, Euphrate fluvio, Seleucidis et Cyrrhesticæ finibus terminatur. Sub Tiberio, mortuo Antiocho, Commagenorum rege, in provinciam redacta est. Tacit. Annal. II, 42 et 56. Medio ævo Euphratesia dicta est.

824. *Nunc reliquas* L. C. B. Male A. V. *aliquas*. Pap. Ex meis *aliquas* sola habet Ve. *reliquas* C. I. B. T. *Nunc alias* Vi. quod valde placet. Ad *reliquas* partes demum accedit versu 991. Wd. — *Nunc alias Asiæ partes*. Quamlibet trium mundi partium, ut orbem ipsum totum, dividit poeta in partes quatuor. Descriptis ergo tribus Asiæ partibus, quibus eadem Asia in septemtrionem, occidentem ac meridiem vergit, agit postremo de ea Asiæ parte, qua solem adspicit orientem. Hanc autem partem ultimam, quam

Quadrati lateris qua clauditur undique forma,
Et spatiis campos longis protendit in ortum.
Scis etenim memorasse tibi, quod collibus altis
Per totam mediis mons ingens tenditur oris,
Qui fines Asiæ nigros producit ad Indos;
Hoc esto laterum Boreum tibi: Nilus ad oras
Hesperias finit; sed Tethys solis ab ortu
Indica concludit: Rubrum mare terminat Austrum.
Adspice nunc igitur, dum finem versibus ortus
Pervenio, retegens tibi veris omnia rebus,
Incipiens Syriæ terris, qua parte reliqui.

quadratam esse dicit, quatnor lateribus adserit terminari: Tauro monte versus Arcton, Nilo ad Occidentem, Indico pelago a Solis ortu, mari Rubro terminatur ad Austrum.

827. *Scis memorasse tibi*. De monte Tauro, versu 629, supra dictum est. Is idem inter cætera nomina dicitur Nypetes, Caucasus, Sarpedon, Hyrcanius, Coraxicus, Scythicus, Ceraunius. Martianus, VI, cap. 34. C.

828. *Tenditur actu:* sic A. V. In L. est *arctus*, C. *arcu*, B. *archtos*. Puto legendum *actus*. Pap. Sed ex meis C. Vi. et I. legunt *tenditur oris*, quod pertinet ad *mediis*, et rectum videtur. Wd.

829. *Qui fines* L. C. B. Male A.V. *quod*. Pap. *Quot fines* Ve. *Qui fines* C. *Is Asiæ finis* Vi. *His Asiæ fines* I. *Quod fines* B. et T. quod non spernendum videtur. Vide notam nostram. Wd. — *Qui fines Asiæ*. Improbat quidem Papius Venetæ et Aldinæ edit. lectionem, quam ex meis Basileensis et Torchilli sequuntur, *Quod fines;* sed fortasse rationem ejus non perspiciebat. Mihi enim commodissime Priscianus scripsisse videtur *quod fines*, ut spectaret ad sequens *Hoc esto laterum*, atque hic esset sensus: Illud vero latus montis, quod fines Asiæ ad Indos producit, hoc tibi esto Boreum Asiæ latus. Sic pariter accepisse videtur Avienus, vs. 1050: « montis tamen accipe molem Per latus id duci, quo dat Cynosura pruinas ».

830. *Hoc latus est boreum: tibi Nilus ad oras:* sic C. et I. male, nam versus pede uno claudicat.

831. C. *ad ortus*, B. *ad ortum*. Pap. *Hesperies* Ve. I. B. et T. *Hesperias* C. et Vi. *ad ortum* MS Est. *ab ortu* omnes mei impressi.

835. *Incipiens Syriæ*. Filii Cham, ait Joseph. Antiq. Jud. I, c. 12, a provinciis Syria et Aman, et Libano monte cunctas terras obtinuerunt, quæcumque ad mare sunt positæ, adprehendentes etiam eas, quæ ad Oceanum sunt, et proprias facientes adpellationes, etc. De his locis et populis lege Plin. V, cap. 12; Strabon. XVI; Mel. I; Ptolem. V, cap. 15 et seqq. Lucan. lib. III. In Avieno, vs. 1052, ut versus ratio

Quæ, pelagus supra, sub solem, vergit ad Austros,
Urbibus et multis habitatur; nomine prisco
Quæ Cava vulgatur, mediam quia collibus altis
Atque humilem Libanus claudit protentus in ortum,
Occasumque petens Casius; multisque virorum
Incolitur populis locupletibus alma diremptis:
Namque alii mediis habitant telluris in arvis,
Hosque Syros proprie perhibent; sed litora juxta
Phœnices vivunt, veteri cognomine dicti:

et sensus constent, videtur legendum: « Per latus, in Boreas quo ducitur ora pruinas. Accedunt Syriæ populi, etc. » Syriorum mores fuisse perditissimos, significat Juvenalis, Sat. III, 62, quum inquit: « Jam pridem in Tiberim Syrius defluxit Orontes; Et linguam et mores, et cum tibicine chordas Obliquas, necnon gentilia tympana secum Vexit ». C.

836. *Sub solem*, id est, orientem. Hunc enim significare Priscianus solet, quando solem nude ponit. Vid. vers. 139 et 906.

838. *Quæ Cava vulgatur.* Post hæc verba accedebant in A. hæc duo hemistichia, *quam* κοίλην *nomine græco Dixerunt Veteres*, æque necessaria atque illa, quæ paullo superius versu 571 induximus, *scilicet illos* μακροβίους *Græci dixerunt:* neque hæc ergo L. C. B. V. agnoscunt. Quod sequitur, *mediam quia collibus altis*, expressi ex V. cujus lectio aptior mihi visa est, quam vel L. *mediam quam*, vel A. *media est quæ*. Proximo deinde versu malim legere *Atque humilem*, quam *Ast humilem*: nam ita et omnia cohærent concinnius, et pulcherrime totum illud græcum exprimitur, οὕνεκ' ἄρ' αὐτὴν Μέσσην καὶ χθαμαλήν. Hanc conjecturam confirmarunt postea C. B. in quibus est, *mediam quia collibus altis Atque humilem*. Itaque sic edo. Pap. — In uno MS *mediam quam*. Huds. Ex meis versum insititium habent et *media est qua collibus* B. et T.

839. *Ast humilem* omnes libri mei.

843. *Hosque Syros*: sic C. B. V. Sed L. *Hos Syros*. A. *Hos Syrios*. Pap. *Hos Syrios* ex meis legunt B. et T.— *Hosque Syros proprie.* Syrus Apollinis et Sinopes fuit filius, a quo et Syri adpellati sunt. Diodor. Sic. lib. V. *Proprie* idcirco dicit, quoniam aliis atque aliis nominibus nuncupata est: nam et Cœle dicitur, et Mesopotamia et Damascene, Adiabene et Babylonia, et Judæa et Sophene, auctore Pomp. Mela, I. De Libano et Casio montibus Plin. V, cap. 12 et 22; Solin. cap. 46, 47 et 49. C.

844. *Phœnices vivunt.* Phœnix Neptuni et Libyes fuit filius. Alii dicunt Agenoris fuisse patrem, auctore Stephano. Ab hoc Phœnice Phœnicia hæc dicta est. Alter Phœnix Amyntoris fuit filius et Achillis præceptor, ut in Iliade scribit Homerus. Est etiam nomen fluminis, qui in Asopum influit. Vid. Herod. lib. VII. Et insuper Phœnix est nomen montis, apud Strabonem.

Quos misit quondam mare Rubrum laudibus auctos,
Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.

De Phœnicibus ob eorum divitias, navigandi peritiam, artium inventionem, ac situs nobilitatem, scribunt omnes, potissime Plin. V, cap. 12; Mela, I; Q. Curtius, IV; Strabo, XVI; Lucan. III; Ptolem. V, cap. 15, tab. quarta Asiæ. C.

845. *Quos misit quondam mare Rubrum.* Scribit Strabo, XVI, in fine, Sidonios in Persico sinu habitasse, quorum, inquit, coloni sunt Sidonii nostri: quemadmodum et Tyrios quosdam ibi insulares tradunt, etc. Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patrio solo, Assyrium stagnum, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona adpellaverunt; nam piscem Phœnices *Sidon* vocant. Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati, navibus adpulsi Tyron urbem, ante annum Trojanæ cladis, condiderunt. Hæc et plura Justin. XVIII. Stephanus autem ait: « Tyros insula ad mare Rubrum fuit ». Facit, quod scribit Solinus, cap. 23: « Insula, inquit, est in capite Bæticæ, quam Tyrii a Rubro mari profecti, Erytheam nominaverunt». Eusebius libro Temporum ait, Phœnix et Cadmus, de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum et Sidonem regnaverunt. C. — *Quos misit quondam mare Rubrum.* Phœnices a Rubro mari venisse, cum Dionysio Herodotus, Strabo et plures alii prodiderunt, ut demonstrat Bochartus in Chanaan, lib. I, cap. 43, qui hoc putat inde esse, quod Herodotus Phœnicum nomine Judæos significaverit. Hanc ipsam opinionem amplexus est Priscianus, ut e versu sequente adparet. — Avienus, vs. 1064, de Phœnicibus: « hi Rubro a gurgite quondam Mutavere domos », quod ultra Dionysii sensum est. Ed.

846. *Chaldæo decoratam sanguine*, i. e. nobilem origine sanguinis et generis, quam a Chaldæis ducit. Dionysius quidem nullam originis Phœnicum a Chaldæis mentionem injicit, eosque tantum ab Erythræis ait descendere; sed Dodwellus in Diss. de ætate et patria Dion. § 25, adfirmat, Priscianum, qui ubique personam Christianam præ se ferat, originem Phœnicum, quibuscum Judæos miscere videtur, de industria ad Chaldæos retulisse, a quibus ortus fuerat Abrahamus. Et sane, quod subjicit Priscianus, *unam* eam *gentem arcanis Dei legibus celebratam* esse, non alia de gente, quam de Hebræis, Abrahami posteris, potest intelligi.

847. *Arcanisque Dei celebratam legibus unam.* Scribit M. Cicero, in lib. II de Divinatione, Chaldæos divinatione quadam futura prædicere, ac tum auguriis, tum sacris, tum aliis quibusdam incantationibus, et mala avertere ab hominibus, bona adferre, auguria insuper, somniaque et prodigia interpretari consuevisse. Eorum præterea, quæ ad sacra speculanda pertinent, peritissimi, etc. Has superstitiones deridet merito, ex Phavorini sententia,

Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Disjunctas gentes docuerunt jungere mercem;
Et primi stellis numeros nomenque dedere,
Atque oculis, mirum, voces sentire figuris.

Aul. Gellius, Noct. Attic. XIV, et Augustin. de Civit. Dei, V. Lege Crinitum, de Honesta Disciplina, lib. IX. Vel *arcanas leges* dicit propter eorum originem vetustissimam. Descendunt enim ab Arphaxat, Noe nepote, ut tradit Joseph. Antiq. Jud. I, cap. 14. C.

848. *Qui pelagus* L. C. B. Msle A. V. *quod.* Pap. *Quod pelagus* omnes excusi ante Papium: *navibus aptis* legit cod. Estens. — *Pelagus primi tentantes.* Scribit Eusebius, Temporum lib. VII, Phœnices mare obtinuisse annis quadraginta quinque. Mela, lib. I, Phœnicen illustravere Phœnices, solers hominum genus, et ad belli pacisque munia eximium, literas et literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum prælinmque commenti. Idem scribunt Plinius, V, cap. 12, et Curtius, IV. Plinius, VII, cap. 56, aliter de navigandi inventu. C.

849. *Jungere mentem* cod. Est. perperam. — *Jungere mercem.* Adserit Plin. VII, Pœnos mercaturas primum invenisse, ut, « Calidi proponere mercem, Et vectare procul monstrant mercalia Pœni ». C. — *Jungere mercem,* quod alii *mutare merces* dicunt, ut Virgil. Ecl. IV, 39, « nec nautica pinus Mutabit merces ». Similiter Plinius, Paneg. cap. 29: « Diversas gentes commercio miscuit ».

850. *Et primi stellis numeros.* Scribunt Belum inventorem cælestis disciplinæ. Sed de hoc plura cap. ultimo Julii Solini adnotavimus. Ad hoc est illud: « Phœnices primi monstrarunt sidera ». Arguit divus Augustin. de Civ. Dei, XVI, cap. 23, quosdam, qui universum stellarum numerum comprehendisse et conscripsisse jactatur; sicut Aratus, vel Eudoxus, vel si qui alii sunt. Eos, inquit, libri Geneseos contemnit auctoritas. Landaus Philosophia alumnum suum Boetium: « Hic, inquit, quondam cælo liber aperto Suetus in æthereos ire meatus, Cernebat rosei lumina solis, Visebat gelidæ sidera Lunæ, Et quæcumque vagos stella recursus Exercet varios flexa per orbes, Comprensam numeris victor habebat ». C. — In MSS nostris *numenque dederunt.* Huds. C. B. *dederunt.* Pap. *dedere* omnes mei. — *Stellis numeros nomenque.* Videtur hæc expressisse e Virgilio, Georg. I, vs. 137: « Navita tum stellis numeros et nomina fecit ». — *Dedere* est *invenere,* ut supra vs. 223: « Et primi dederant sulcos et semina terris ». — *Numeros* hic non ita intelligo ut stellas enumeraverint, sed ut earum leges et motus computatione exquisiverint. Ed.

851. L. *vocis sentire figuras,* non male. Pap. *voces sentire figuris* omnes mei. — *Atque oculis, mirum, voces.* Literas Assyrias semper fuisse, Plinius arbitratur: apud alios autem varia est scriptorum opinio. Phœnices fuisse literarum inventores, fere omnes consentiunt. Diod.

Hi muros Iopes, Gazam, quoque Elaida complent,
Antiquamque Tyrum, Beryti et mœnia gratæ,
Vicinamque mari Byblin, Sidonaque pulchram,
Quam juxta liquido Bostrenus gurgite currit,
Et pinguem Tripolin, necnon Orthosida sacram,
Laodicen pariter positam prope litus amœnum,

IV, Cadmum ex Phœnicia advexisse literas, primumque Græcam linguam invenisse, ac rebus dedisse nomina, etc. Idem scribit Herodot. V; Curt. IV; Mela, I. Thaautus primum elementa literarum conscripsit, quem Ægyptii Thoor vel Thoyth, Alexandrenses Thooth, Græci Mercurium vocant. Eusebius ex Philonis sententia, cap. 6 et 7 primi Præparationis. Eupolemus scribit Mosen literas Judæis primum tradidisse, et a Judæis Phœnices accepisse, Græcos a Phœnicibus. Cam. — *Oculis voces sentire figuris*. Implicata aut dura constructio in vulgata lectione est, nisi in *oculis* repetere velis *dedere:* nempè dederunt oculis, ut possent *sentire voces* in *figuris*. Sed præstat fere admittere et tueri codicis Lov. vel Langiani lectionem *vocis sentire figuras*, quo pacto sententia plana est. Cæterum hæc admodum convenit cum Lucani effato, lib. III, 220: « Phœnices primi, famæ si creditur, ausi Mansuram rudibus vocem signare figuris ».

852. *Gazan quoque :* sic L. C. V. In A. *Gazamque et Elaida*. Pap. *Gasam, quoque elicida*. C. Cum Aldina consentiunt B. et T. — Avienus disertius canit, v. 1070, « Gazaque proceris adsurgens undique muris ». Ed.

853. *Antiquamque Tyrum*. Condita enim Tyrus fuit ante annum Trojanæ cladis, ut Trog. Pompeius ait. C.

854. *Vicinamque mari Byblum*. Cœlus, ut scribit Sanchoniaton, a Saturni militibus fusus, ac fugatus est. Hanc post victoriam ædes suas Saturnus mœnibus cinxit, urbem condidit primam, Byblum a Phœnicibus nominatam, fortassis a junci copia, quem Græci βύϐλον adpellant. Nunc, ut quibusdam placet, *Gibeleth* nuncupatur. Plura de ea urbe Stephanus. C. — *Vicinamque mari Byblin*. Mspti plures consentiunt in scriptura *Byblum*. Nec græcus aliter et Avienus. Unde hoc præferendum erat. — In uno MS *Byblum*. Huds. et sic Vi.

855. *Bosternus* C. — *Bostrenum* fluvium, qui juxta Sidona currat, nondum inveni ab alio, quam Dionysio, memorari: nec Eustathius de eo quidquam adtulit. *Tamyras* fluvius inter Sidonem et Berytum medius memoratur a Strabone, XII, p. 756: quem Ptolemæus Λέοντος, *Leonis* fluvium dixit. Hic an forte Bostreni nomen a Dionysio acceperit, in dubio relinquo.

856. *Et pinguem Tripolim*. Plures sunt urbes, auctore Stephano, hoc nomine nuncupatæ. Dicta autem Tripolis a numero trium urbium, auctore Mela, lib. I. Sunt autem hæ urbes tres, Tyros, Sidon, Arados. C. — *Tripolin* Eustathius e Stephano refert nomen inde accepisse, quod ex tribus urbibus colonias

Et Posidi turres, et Daphnes optima tempe.
Terrarum mediis Apameæ mœnia claræ,
Ad cujus partes Eoas currit Orontes,
Antiochi medius dirimit qui gurgite regna.

haberet. Idem memorat Plin. V, 20. Diod. Sicul. XVI, cap. 41, adjicit, tres urbes, quas Tripolis contineret, stadii intervallo a se diremptas esse. Supra Tripolin est *Orthosis*, Plinio et Ptolemæo *Orthosia*, sed *Orthosias* Straboni vocata, qui ab ea usque Pelusium oram maritimam Phœniciam nominari ait lib. XVI, pag. 756. Urbem *Marathon*, quam hic jungit Dionysius, Priscianus omisit. — *Arthosida* Ve. 1 et 2, C. Vi. I.

858. *Et Posidi.* Post hunc advectus erat alius in A. Et versum illum servavit B. et T. — *Et Posidi turres.* Strabo, lib. XVI, dicit Posidium oppidulum esse. Plinius promontorium. Dionysius Possidian nominat. Lege Hermolaum, ad Plinii VI, cap. 30. Prætermisit hoc Avienus. Cam. — *Et Posidi turres.* Posidium oppidulum, Laodiceæ propinquum, nominat Strabo, XVI, 753. Dionysius nomen παραφράζει, et dicit Ποσιδήϊα ἔργα, quasi Neptuni opus, quo tamen nihil aliud, quam adludi ad nomen, et urbs maritima indicari videtur. Stephanus Ποσίδειον urbem inter Ciliciam et Syriam esse dicit, neque aliam videtur intelligere. Cellarius non adtigit; in tabula tamen urbem ejus regionis *Posidonium* ponens, non procul ab Orontis ostio, in nomine errare videtur. — *Daphnes tempe.* Dionysio, vs. 916: ἱερὰ τέμπεα Δάφνης. Hoc Daphnes nemus frequens esse cupressibus testantur Philostr. I, 12, et Sozom. lib. V, 18. Ed. — Strabo, lib. XVI. Ulterius, inquit, est Daphne ad stadia XL, mediocris habitatio, et lucus ingens, et opacus, fontaneis aquis irriguus, in cujus medio est fanum Asylum, et Apollinis ac Dianæ delubrum; in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueverunt. Luci ambitus est stadiorum octoginta. C. — Hunc versum in solo A. sequebatur iste: « Hic etiam Antiochus nomen dedit Antiocheæ ». Qui omnium, quos adsititios notavi, maxime erat necessarius: nam reliqui partim ne ex græco quidem auctore erant, ut, « scilicet illos μακροβίους Græci dixerunt », et « quam κοίλην nomine græco Dixerunt Veteres »; partim e græco quidem, sed quibus digressiones a proposito tantum continerentur: quas ubique studio Priscianus omittit, suis alibi in locum suffectis id damni facile compensans. Hic autem descriptionis aliquid continebat, cujus nihil uspiam Priscianus alibi, quod meminerim, omittit. Papius.

861. *Antiochi regna.* De regnis Antiochi lege, præter alios, Appianum in libro, qui Syrius inscribitur, et Flor. II, cap. 8. Plura Strabo, lib. XVI. Cam. — *Antiochi regna.* Dionysius tantum γαῖαν *regionem* dicit, et significat partem Syriæ, qua Ciliciæ committitur, quam Mela, I, 12, 24, et Plinius, V, 12, *Antiochiam*, i. e. Antiochenam vocat, Strabo Seleucidem. Fallitur Camers, qui hic de Antiochi regis imperio cogitat.

Hæc omnis pingui tellus est ubere læta,
Arboribus pariter pecorique et commoda viti.
Ad cujus fines veniens, quos terminat Auster,
Arrabii cernes extremi litora ponti,
Qui Syriam medius disterminat Arrabiamque
Et tangit, vergens Orientem versus, Elanos.
Dives Arabs post quos latissima possidet arva,
Quæ protenta diu cinguntur ab æquore Partho
Arrabioque, ferit Zephyrus quod flamine sævo;

862. *Pingui* L. C. B. Male A. et V. *pinguis*. Pap. *pinguis* omnes mei.

864. *Ad cujus fines*. Describit Arabiam, quæ teste Servio, Æn. I, triplex est, Inferior, Petrodes, et Eudæmon, in qua populi sunt Sabæi, apud quos nascitur tus. Dicti autem Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, id est, venerari, quod Deos per ipsorum tura venerantur. Hæc ille. Plinius autem lib. XII, cap. 15: « Saba, inquit, adpellatur, quod significare Græci ministerium dicunt ». Solin. cap. 46, videtur Arabiam sacram interpretari. De ea plura Plin. V, cap. 11, et VI, cap. 28; Ptolem. VI, cap. 8. Plura Strab. XVI, et Diodor. III. C.

867. *Elanos* L. B. *Alanos* Pap. *Elanon* I. Wd.—*Et tangit... Elanos*. In græco est ἄχρι Σελανῶν· quod Eustathius admisit, et Selanos dicit populum esse Arrabium. Sed Priscianus et Avienus evincunt legendum esse ἄχρις Ἐλανῶν. Sunt autem Elani, i. e. Elanitæ, ut accipere jubet Salmasius, Exerc. Plin. p. 342, incolæ urbis ad sinum maris Rubri in Arabia Petræa sitæ, quæ diverse a Geographis *Aila*, *Ailana* vel *Elana* scribitur, unde sinus ille Elanites, Ælanites vel Ælaniticus dicitur, ut docuit Cellarius, vol. II, pag. 686.

868. *Dives Arabs*. Arabiam, inquit Solinus, Eudæmonem non frustra cognominatam hinc capessas, quod præter odores, quos creat plurimos, sola tus mittit. In Arabia sola omnium, ait in Thalia Herodotus, nascuntur tus, myrrha, casia, cinamomum, ledanum, etc. Horatius, Carm. III, 24, 1, volens exprimere gentes ditissimas per emphasin, « Intactis opulentior Thesauris Arabum et divitis Indiæ ». Ovid. Metam. X, 307: « sit dives amomo; Cinnamaque, costumque suum, sudataque ligno Tura ferat, etc. » C.

869. *Perso* habent mei excusi antiquiores; *Persico* B. et T. sed cod. Esteus. et Suecicus, *ab æquore Partho*, quod rectum puto, atque huic loco æque vindicandum, ac supra versu 624 auctoritate codicum MSS probatum contra vulgatas erat. Et miror Papinum, h. l. *Perso* tam æquo animo ferre potuisse, qui l. c. non tulerat. Nam *Persum* nomen Latinum non est.—*Æquore Partho*. Hæc lectio præter Esteus. etiam codice Dorv. munitur. Vulgatam *Perso* tamen Heinsius eo defendit, ut legendum dicat *æquore Persa*, quemadmodum Scytha exercitus et similia dicantur.

870. Pro *sævo* cod. Dorv. *scævo*, non inepte.

Persica nam flatus Eoi litora turbant :
Ora sed hæc Austro tendit subjecta per ortus,
Fluctibus Oceani pulsatur et undique Rubri.
Hanc quoque describam tenui ratione recensens:
Nam populos pascit felices divite terra,
Floribus et variis miracula præbet odoris;
Namque thyo, myrrhaque viget, cum turis honore,

871. *Flatus Eoi.* In codice Lovan. Heinsius observavit *Euroni*, et in Leidensi exstat *Euroi*, quod ego tenendum putem; nam videtur omnino Priscianus Dionysii εὔροιο exprimere voluisse, postquam Zephyrum, ut ille, nominaverat; eoque novum ab Euro nomen derivare, quemadmodum idem solet *Boreus*, nova forma et secunda correpta a *Boreas* ductum, ponere, et Licentius, v. 57, *Borinus* usurpavit. Fortasse et *Eurini* scripsit, quod Columella habet, XI, 2, 14.—Immo, quod postea vidi, nomen *Euroi* non novum est et a Prisciano repertum, sed e Virgilio expressum; siquidem apud Virgil. Æn. III, 533, *Euroo fluctu* vetustiores codices servant, et Servius interpretatur, et Heynius adserit. Wernsd. in Addend. De his vide editionem nostram. Ed.

875. *Nam populos pascit:* sic L. C. B. Male A. V. *Pascere nam populos*. Pap. Hoc *Pascere nam* habent quatuor meæ vetustiores. *Pascit nam populos* B. et T.

876. *Miracula præbet odoris.* De his odoramentis exstat, in Plinio, lib. XII. Plura Theophrastus, de historia plant. IX, cap. 4, 5, 6 et 7; item Diodor. et Herod. ubi prius. In Avieno, versu 1114, lege « Myrrha furor quondam Cinyreius», non *Memyreius*, ut passim legitur. Fuit enim Cinyras Pygmalionis filius, ac Myrrhæ pater. Sed fabulam vide apud Ovidium, in Metam. libro X, versu 369 : « at virgo Cinyreia pervigil igni Carpitur indomito ». Et statim in eodem Avieno: « Vellera desudant ». Et parum supra : « Persicus hanc, Arabumque sinus rigat æquore terram ». Plura carmina prætermittit hic interpres, quibus Dionysii ortum concinit eleganter. C.—*Floribus et variis.* Heinsius mavult *et varii*, quod omnino elegantius est.

877. *Myrrhaque* L. C. *Smirnaque* Pap. *Namque thyo Smyrnaque* Ve. *thimo mirrhaque* C. I. *thyon* Vi. *thyo mirrhaque* B. et T. —*Namque thyo.* Heinsius in Lovan. legit et probat *Nam cithiso*, idque juvat Leidensis, qui *thiso* habet. Neque tamen cytisum inter odores Arabiæ referri existimo, et græcum θύον, quia latino vocabulo vere reddere desperabat Priscianus, haud dubie maluit retinere. Proclivius esset, *thymo* scriptum suspicari : *turis odore* quidem hoc versu omnes libri scripti et excusi exhibent, sed *turis honore* corrigendum esse, idque ex codice regio, quem Heinsius contulerit, monet P. Burmannus ad Anth. Lat. I, pag. 38. Et sane vocem *odore* ter repeti in fine versus intolerabile est, et quia tus sacrificiis et honori Deorum adhibere sollenne erat, *turis honorem* vel centies dicunt poetæ,

Et casia, necnon et cannæ dulcis odore.
Cinnama præterea jucundæ naribus auræ
Fertilis hæc generat tellus, aurique metalla;
Vestibus auratis quare gens utitur illa.
His, pueros servans, molochites splendet arenis,
Androdamasque lapis compescens pectoris iras.

quorum exempla nonnulla adduxit Burmannus.

878. *Et casia.* Totus hic versus abest a B. Pap. Adest meis omnibus. Sed Vi. *Et casiæ.*—Bochartus, Hieroz. tom. II, p. 687, mavult legere *canna dulcis odoris.* Calamum aromaticum intelligit, quem propterea dicit Arabicum vocari a Plutarcho in libro, Quod bruta ratione utantur. Dionysius nempe, vs. 937, habet εὐόδμου καλάμοιο. Ed.

879. In uno MS *jocundæ.* Huds. quod iu quatuor meis antiquis est. —*Jucundæ naribus auræ*, i. e. odoris jucundi: ut Lactant. in Phœnice, v. 83: « Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi ». Quæ de cinnamo hic addit Priscianus, e Solino petiisse videtur, unde et seqq.

880. *Aurique metalla.* Effoditur in Arabia aurum, quod non igni decoquitur, ut apud alios consuevit, sed e vestigio effossum nucibus id castaneis simile reperitur. Colore est ita lucido, ut pretiosos lapides, ab artificibus auro inclusos, splendidiores reddat. Diodor. III. In sacris literis pro auro pretiosissimo aurum Arabiæ sumi consuevit: Dabitur ei de auro Arabiæ, etc. C.

882. *Molochites.* De hoc lapide scribunt Plin. XXXVII, cap. 8, et Solin. cap. 47. Albertus qui utinam, ut dici solet, propria sub pelle quiesset, melochitem, vel, ut errori errorem adderet, *melonitem* adserit nuncupari. Hic lapis, ut etiam Plin. memorat, a malvæ florum colore nomen sumpsit, quæ græce μαλάχη dicitur. C. — *Molochites splendet.* Solinus, cap. 33 Salm. « Et molochitem Arabs invenit, virentem crassius quam smaragdus, contra infantum pericula ingenita vi resistentem ». — *His pueros.* Solinus sub finem cap. 35. Pap.

883. *Andromadasque* Ve. 1 et 2, C. *Androdamasque* Vi. B. T. *Androdomasque* L. — *Androdamas.* Hic lapis, qui et Argyrodamas dicitur ob argenti nitorem, ab effectu nomen habet, hoc est, a domando virorum iras. De eo Plin. XXXVII, cap. 10, et Solinus, cap. 46. Albertus more suo Andromanta dicit. Camers. — *Compescit pectoris iras.* Difficile quam sit, animum ab ira flectere jam concitatum, Seneca, Tragœdia VII. Idem, alio loco, « Cæcus est ignis stimulatus ira, Nec regi curat, patiturve frenos. Haud timet mortem, cupit ire in ipsos Obvius enses ». Est enim ira ferale quoddam. « Pertinet ad faciem rapidos compescere mores. Candida pax homines, trux decet ira feras ». Hos duos versus ex suis addidit, qui convertit. In Avieni v. 1049, « Tuque Tenes »; et vs. 1132, « Os hilarat, totaque celer ». C.—*Androdamasque.* Idem Solinus, l. c. « Androdamantem iidem legunt Arabes nitoris argentei, lateribus æqualiter qua-

Sed Libani montis sunt post declivia primi,
Felices opibus, Nabathæi nomine dicti.
Chaulasii post hos, atque Agrees; inde propinquat
Chatramis, atque Macæ contra sunt Persidis æquor;

dris, quem de adamante nonnihil mutuatum putes. Datum illi nomen ex eo censent, quod animorum calentium mollit impetus, et tumentes refrenat iras ».

885. *Felices opibus Nabathæi.* Gens, inquit Stephanus, Arabum felicium ab Arabo quodam dicti. Josephus autem, Antiq. I, cap. 21, dicit eos dictos a Nabaioth Ismaelis filio, et Abrahami nepote: Nabaioth enim iste cum undecim ejus fratribus omnem terram ab Euphrate ad mare Rubrum usque positam tenuerunt, Nabathæam nominantes provinciam, etc. Vid. Plin. VI, c. 28. Idumæi quidam Nabathæi sunt, qui orta seditione inde egressi, ac Judæis inhærentes, eisdem legibus communicaverunt: auctor Strabo, lib. XVI. Latini adspirant penultimam, Græci autem non. C.

886. *Chaulosii* L. C. B. Sed V. *Chablasii.* A. *Chalbasii.* Pap. Sic et mei variant. *Chalasii* I. *propinquant* Ve. 2, Vi. I.—*Chaulasii* vel *Chablasii*, populus Arabiæ, Nabathæis proximi, quorum nomen varie deformari a Geographis ostendit Bochartus in Phaleg. IV, 11. — *Agrees*, Ptolemæo et Stephano Agræi, a Spanhemio in hist. Jobi habentur pro Agarenis.

887. *Mace* L. C. B. Pap. *Catramis atque Sacæ* C. Et *Sacæ* habent omnes mei excusi ante Papium. In Dionysio nec *Macæ* nec *Sacæ* comparent. Wd. — *Chatramis.* Plinius, lib. VI, c. 28, Catræ oppidi meminit. Strabo, XVI, p. 768, memorat Chatramotiticen regionem, in qua myrrha, inquit, gignitur. Avienus, vs. 1135, « Chatramis est tellus, Camæ vicina fluento ». Joannes Cuspinianus, vir ingenio, doctrina, ac multa humanitate præditus, non semel mecum de hoc Avieni loco, quid in eo sentirem, amice disseruit: quidnam Camæ nomine intelligat Avienus, potissime quum nec græcus Dionysii codex, nec hic interpres, nec postremo Antonius, ejusdem Dionysii interpres, Camæ ullam faciant mentionem. Post longam, in re licet parva, investigationem comperi, nisi fallar, non *Camæ*, sed *Carnæ* legendum esse. Est enim Carne vel Carna Minnæorum gentis urbs nobilissima, de qua sic Strabo, libro XVI: « A Minnæis, ait, qui in parte sunt Rubrum versus, maxima eorum civitas Carna ». Hæc ille. Plinius ponit urbem ejusdem nominis juxta Libanum montem, lib. V, cap. 20. Stephanus duarum hujus nominis meminit civitatum, quarum unam in Phœnice, alteram in Æolide esse dicit. Minnæi autem hi populi a Minoe, Cretæ rege, originem trahunt. Legerem autem sic apud Avienum, 1134: « et inde Chatramis, et tellus Carnæ vicina fluento Persidis », ut sensus et ordo sit: Et inde Chatramis, et vicina tellus Carnæ accedunt, et adpropinquant fluento Persidis, hoc est, Persico sinui. Minnæi et Sabæ tenent contermina Rubri ponti, insuper Cletabenus ditis glebæ, impiger sulcat ampla æquora. De his antem locis et populis præ-

Minnæique maris prope Rubri litora vivunt;
Atque Sabæ post hos, necnon habitant Cletabeni :
Arrabiæ populi celebres hi nomine claro.
Sunt tamen et plures alii : nam maxima tellus.
Trans istam, Zephyri sub partes, degit Erembum
Speluncis genus infelix, et rebus egenum:
Qui solis radiis nigrescunt corpus adusti,

ter citatos, Strabo, lib. XVI; Diodorus Siculus, lib. III; Herodotus, lib. III. Camers. — *Chatramis* regio Arabiæ, juxta mare Rubrum, Straboni *Chatramotitis*, et *Chatramotitæ* Stephano dicuntur. Nomen ab hebraico deducit Bochartus, Phal. lib. II, cap. 17. Quia Priscianus *Chatramis atque Macæ* conjungit, hinc Bochartus censet apud Dionysium pro Χατραμὶς ἐνναίει ab eo lectum esse ἐν Μάκαι vel ἐν Μάκαις, lib. cit. cap. 20. *Macæ* autem sunt populi Arabiæ Felicis in parte Carmanis opposita, ut tradit Mela, lib. III, cap. 8, 51.

888. *Minnæi*, *Sabæi* aliique plures Arabiæ populi recensentur a Plinio, VI, 28, Strab. XVI, p. 768. Quos Cletabenos Dionysius vocat, Strabo Καταβανεῖς, Ptolemæus Καταβηνοὺς, Plinius, XII, c. 14, *Gebanitas*, per quos solos tus evehi posse scribit. Hinc apud Dionysium Καταβηνοὶ legendum esse contendit Salmas. ad Solin. p. 353, atque in Prisciano *habitant Catabeni* corrigit Loydius in Dict. geogr. *Catabanos* quidem et Gebanitas, quasi distinctos Arabiæ in continente populos componit Plin. VI, cap. 28; sed hos contributos conjunctosque in unum fuisse, Harduinus inde colligit, quod Tamna et Catabanensium et Gebanitarum urbs regia dicatur.

889. *Habitant Clectobani* cod. Est.

892. *Zephyri sub partes*. Codex Lovan. scribit *Zephyris sub partibus exstat Herembum*. Sed hoc e correctione librarii videtur esse, qui particulam *sub* hac quidem in sententia casui quarto perperam jungi putabat: quem tamen morem Prisciani esse, pluribus locis jam observavimus. Vide notata a nobis in var. lect. ad versum 434, et infra vers. 954.

893. C. B. V. *egenis*. Pap. Ex meis *egenum* habent B. et T. cæteri *egenis*. — *Et rebus egenum*. Plures quidem scripti et excusi habent *egenis*, sed *egenum*, quod e codice Lang. et ed. Ald. Papius dedit, omnino rectius videtur, firmaturque illo Petronii ad Priap. v. 8: « sed inops et rebus egenus Attritis ». — Quam lectionem ipse defendit Wernsd. huj. op. t. III, p. 301. Ed.

894. *Qui solis radiis nigrescunt*. Theodectes poeta nigredinis caussam in hominibus ad solem refert, quum sic inquit: « Quibus propinquam Phœbus admovens rotam, Atra favilla corpora inficit virum, Coloribusque adurens præpotentibus, Retorridas crispavit illorum comas ». Onesicritus id negat. Ait enim, solem non esse viciniorem Æthiopibus, quam aliis, sed magis perpendicularem, et idcirco magis adurere. Hinc ait, non bene dici, solem

Dispersique dolent lustrantes more ferarum;
Non Arabis similes opulentis: scilicet æqua
Omnibus esse potest numquam fortuna bonorum.
Post Libani montes populi sunt, solis ad ortus,
Alterius Syriæ, quæ tendit ad usque Sinopen.
Cappadoces mediis habitant in finibus hujus:
Terminus Assyrios sed claudit Ponticus, ille

propinquum, sive ejus calorem, esse nigredinis caussam. Ovidius tunc homines Æthiopas nigros factos narrat, quum Phaethon terræ propinquum nimis duceret Solis currum. Met. II, 236: « Sanguine tum credunt in corpora summa vocato, Æthiopum populos nigrum traxisse colorem ». Sed cur non idem efficit ignis calor? Caussam lege ex XXXVIII sectione Probl. Aristotelis. Plura alibi de hac ipsa re disseruimus. C.

895. *Lustrantes more ferarum*, i. e. circumeuntes et oberrantes. Sic hoc verbum, ubi absolute ponitur, explicandum monuimus ad Gratii Cyneg. v. 221, ad quem versum Barthius ipsum hunc locum Prisciani adducit, et explicat lustra inquirere, et hinc inde vagari. Aptum huic significationi exemplum Burmannus ibi ex Nonio in *lustrare* profert, versum Lucilii: « Quem sumptum facis in lustris circum oppida lustrans ».

898. *Montes* C. B. *montem* Pap. Et *montem* legit cod. Est. *montis* habent omnes mei excusi, e quo Pap. recte fecit *monteis*, i. e. *montes*.

899. *Alterius Syriæ*. Videtur loqui poeta de Leucosyria et Leucosyris populis, quos Ptolemæus in his locis ponit, V, cap. 6, et tabula prima Asiæ. Sunt enim inter Cappadoces, secundum ipsum. Siti vero sunt inter Ciliciam et Pontum Euxinum; quæ enim nunc Syria, olim Assyria vocabatur. Acron. ad Horat. Carm. II, 11. Ex Assyriis, inquit Diodorus Siculus, III, colonia deducta aliquando, inter Paphlagoniam et Pontum posita. De his locis et populis Plin. VI, cap. 3; Ptolem. VI, cap. 1. Item cæteri. C. — *Alterius Syriæ*. Recte Camers hanc intelligit de Leuçosyria; nam supra incœperat dicere versu 835 de altera, quæ et Cœlesyria, vel Syria propria, sita inter Casiom et Libanum montem. Noster autem sequitur eam opinionem Veterum, quam Strabo libro XVI ineunte exponit, qua olim Syrorum nomen extendi putabant a Babylonia usque ad sinum Issicum, et ab hoc ad sinum Euxinum, sive, ut Noster ait, ad Sinopen. Quod deinde Cappadocum utrorumque, tam eorum, qui ad Taurum sunt, quam qui ad Pontum, adpellatione probat, quando vocati sunt *Leucosyri*, id est, albi Syri.

901. *Terminus Assyrios*, id est, Assyrii juxta maris Pontici oram habitant, ad ostium Thermodontis. Hunc sensum postulant græca. — Dionysius enim, v. 975: Ἀσσύριοι δ' ἁλὸς ἄγχι, παρὰ στόμα Θερμώδοντος. Ed. — Cf. v. 747 seqq. In codice Lovan. pro *Ponticus* legitur *pontibus*, et in Leid. etiam *secludit pontibus*, quæ sunt inepta.

Thermodon pelagi qua pulsat gurgite fluctus.
Cujus ab Eoo decurrit limite vastis
Viribus Euphrates, descendens montibus aspris
Armeniæ, longusque Noton pertendit, et inde
Ad solem flexus, Babylonis dividit urbem:
Litora deinde ruens perrumpit Persidis undæ,
Extrema fluvii sub parte Teredona radens.
Hujus ad auroram ripis devolvitur altis
Tigris, aqua superant quem flumina nulla rapaci.

902. *Qua pulsat* C. B. *qui* Pap. *qua* legunt omnes mei.

903. In uno MS *vastus.* Huds.

904. *Euphrates descendens.* De Euphratis fluminis ortu non omnes idem sentiunt. Lege Plin. V, cap. 24; Solin. cap. 50; Strabon. XI, in fine; Mel: III; Herod. I; Diodor. Sic. III; item cæteros. Ambros. cap. 4, libri, quem de Paradiso inscripsit: Quartus est fluvius, inquit, Euphrates, qui latine fecunditas atque abundantia frugum interpretatur, præferens, inquit, quoddam insigne justitiæ, quæ omnem pascit animam, etc... Boetius, de Consolatione Phil. lib.V, dicit, Tigridem et Euphratem flumina nasci eodem fonte: « Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt, Et mox abjunctis dissociantur aquis ». Idem videtur sentire Lucan. III, 256 et sq. « Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates, quos non diversis fontibus edit Persis, etc. » Quidam volunt, fontes horum fluminum distare inter se stadiis duobus millibus et quingentis. C.

905. In uno MS *protenditur: inde.* Huds. — *Noton pertendit.* Lovan. scribit, ut ille, quam Hudsonus indicavit, *Nothon protenditur: inde ad solem*, etc.

906. *Ad solem*, id est, orientem. Vid. vs. 836.

907. *Perrumpit litora Persidis undæ.* Discordat Dionysius ab Herod. lib. I. Euphrates, inquit, magnus, et altus, et celer, ex Armeniis in Rubrum mare decurrit. Idem sentit Diodor. lib. III, adserens, Tigridem et Euphratem in mare Rubrum defluere. Hoc ipsum scribit Strabo in libro XI. CAMERS. — *Persidis undæ.* Quod Camers discordare his verbis Dionysium ab Herodoto et Strabone dicit, qui Euphratem in mare Rubrum decurrere prodant, in eo fallitur. Nam Veteres maris Erythræi nomine utrumque sinum, qui Arabiam ambit, Persicum et Arabicum complectebantur, ut clare exponit Plin. VI, cap. 23 et 24; Mela, III, cap. 8.

908. *Teredona* urbem ad sinum maris Persici et ostia Euphratis ponit Strabo, II, p. 80, et XVI, p. 765. Plinius, VI, cap. 28: « E Parthico regno navigantibus vicus Teredon, infra confluentem Euphratis et Tigris ». Meminit etiam Ammianus Marcellinus, XXIII, cap. 6. Hodie *Balsora* nuncupatur.

910. *Tigris, aqua superant quem flumina nulla rapaci.* De Tigride Plin. VI, cap. 27. Item qui statim

Sed tantum distat, quantum vix septimus ortus
Conficiat pedibus spatii properantibus ire,
Atque lacum medius Thonitidis intrat, et exit;

citati sunt. — *Rapaci aqua.* Hic fluvius, ait Plin. eodem loco, unde concitatur a celeritate, Tigris incipit vocari, ita adpellant Medi sagittam. Idem clarius dicit Solinus, c. 50. Tigris, inquit ubi prius divus Ambrosius, dicitur velocior esse omnibus, quem iocolunt Assyrii, hoc est, dirigentes, hoc enim significat interpretatio. C.

911. *Distat* L. C. Sed B. *distant.* A. V: *superat.* Pap. *superat* omnes mei. Sed *distat* prætuli. Vide notas. Wd. — *Sed tantum superat, quantum.* Dicit Tigrim tantum una die itineris peragere, quantum quispiam cursu acerrimus septem possit peragrare diebus. Avienus, vs. 1164, videtur dicere Tigrim tantum distare ab Euphrate, quantum quis septem possit ambulare diebus: «Hunc super, in septem quantum via carpitur ortus Cespitis extenti spatii citus, etc.» (male quidem, ut videbitur ad hunc locum. En.) versu autem 1146, in eodem Avieno, lege «Culmina saxorum»; versu etiam 1157 lego sic: «Plurimus Euphratis manat liquor, iste feroci Fusus ab Armenia vastum caput, etc.» ut sit *ab Armenia feroci.* Et parum infra, vs. 1163, «sparso cadit effluus amni». Ex vs. 1169 versus quinque pedum est: lego igitur sic: «Maximus hanc amnis fluctu Tigris intrat aperti». C. — Vitiosa lectio *sed tantum superat,* quæ omnes excusos vetustiores occupavit, Camertem coegit verbis poetæ sensum inferre, quem ipsa vix admittunt. Nimirum *superat* e superiore versu huc irrepsit, et *distat,* quod libri scripti habent, omnino verum est, sententiæque auctoris aptum, qua vult, tantum distare Tigrim ab Euphrate, quantum spatii viator robustus pedibus conficere septem diebus possit. Similiter accepit Avienus, cujus verba Camers recitat. Et verbo *distare* pari in comparatione Noster supra usus est, vs. 145: «Gurgite tanto Distantes, quantum ternis transire diebus Evaleat navis».

913. *Lacu medius:* sic L. C. B. V. In A. *lacum.* Pap. Ex meis Ve. 1 et 2, Vi. I. scribunt ut codices Papii, *lacu medius Thonites.* B. et T. ut Aldina, sed C. *Atque lacus medios Thonites.* Cod. Est. *Thesiges intrat.* Vide notas nostras. Wd. — *Lacus Thonites.* Plinius, VI, cap. 27, nominat hunc lacum Arethissam, vel lacum Tesbidis. Solinus Arethusam, cap. 50. Sed hanc realem sive verbalem discordiam lege apud Hermol. II, cap. 106, et Plin. VI, cap. 27. Avienus et Antonius transferunt Thomitiden. Forte in græco cod. mendum est, qui habet, vs. 987, λίμνη, Οὔνομα Θωνῖτις, ἧς ἔλκεται, ἐς μυχὰ Τίγρις. C. — Quod plures libri scripti exhibent, *lacu medius Thonites,* aberrat a sensu Dionysii, vs. 988, qui Tigrim in intima lacus Thonitis trahi, irrumpere dicit, non Thonitem in Tigrim; et Strabo, lib. XVI, p. 746: Διαῤῥεῖ δ' ὁ Τίγρις τὴν Θωνῖτιν καλουμένην λίμνην κατὰ πλάτος μέσην. Itaque quum Aldinæ lectionem *lacum,* et Coloniensis antiquæ *lacus medios,* propius

Nec violatur aqua, quamvis penetrabilis illa,
Ocior atque vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne solum, fluvius quod cingit uterque,
Indigenæ populi pro re dixere Medamnam,
Quod medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter pastoribus atque feracem;

accedere ad sensum poetæ viderem, non dubitavi a vulgata recedere, et Aldinam maxime sequi. *Thonites intrat* omnes quidem scripti et impressi, nullo variante, habent, sed *Thonitidis*, casu secundo, legendum ipsa adeo sententia poscit, ut mirer Papium nondum correxisse. Dudum tamen sic citavit Salmasius ad Solin. p. 490. Cæterum quem lacum Tigri incurrente perruptum Dionysius et Strabo Thonitin dicit; Plinius, VI, 27, cum Solino, *Arethusam*, Ammian. Marcell. XXIII, 6, *Sosingiten*, Avienus, vs. 1170, *Thospitin* nominant, quamquam non omnes incursum exitumque Tigris pari modo narrant. Vid. Salmas. ad Solin. p. 488 sqq. Quod hic cod. Lovan. et Dorv. *Thosiges* scribunt, id videtur ad nomina Sosingites et Thospitis alludere, vel ex iis conflatum esse.

914. Pro *illa* L. *ille* Pap. quod et in uno suorum esse dicit Huds.

916. *Hoc tamen.* Describit Mesopotamiam regionem, quam Medamnem nominat, verbum de verbo transferens, quasi Mediflnviam. De ea, tamquam regionum nobilissima, scribunt omnes: Plin. VI, cap. 26; Strabo, XVI; Ptolem. V, cap. 18; Pomp. I; Diodor. III. Ambrosius, lib. de Paradiso, c. 5, Mesopotamia, inquit, dicitur, quod Tigris et Euphrates incluserint eam, etc. » In Avieni v. 1177 legendum: « Ergo per et stagnum vehitur celer amnis apertum »; nisi sic ordines, quod non placet, amnis percelier vehitur aperto stagno. Et parum infra, v. 1180: « Neque tantos ulla fragores Unda ciet ». Et mox post, « Hos amnis inter », ut versus constet. Item in eodem versu videtur legendum non *aut sinus illam*, sed *ut sinus illam*. Item *arva pererrat*. Et versu 1189 *subere glandis*. Serv. Georg. IV, super illud « Nec de concussa ». Plin. XVI, cap. 7. Quod ait Avienus, v. 1184: « Non qui lanatum, etc. » longum hyperbaton est: Ductor qui educat lanatum pecus longo agro, non spreverit hos saltus, etc. Item *arma pererrat*. Item *simis capellis*. C.

917. *Medamnam* L. C. et B. quamvis hic *Medanam* habeat. A. V. *Medomnem*. Pap. *Indigne* Ve. 2, vitiose. *Medamnem* vel *Medannem* quidem omnes mei excusi, sed *Medamnam* tamen præferendum videtur, quia usus hoc vocabulum ita format. Nam *terras Interamnas* Mesopotamiam vocat Lamprid. Alex. cap. 56, et *Interamna* civitas Italiæ nota. Wd. — *Pro re dixere Medamnam.* Heinsius conjecit *proprie dixere*. Vocabulum *Medamnam* novum et ineptum esse censet Salmas. ad Solin. p. 492, et dicendum fuisse *Mediamnam*, aut eum scripsisse videri *Mesanam* potius, quia, quas urbes aut regiones Latini *Interam-*

Ubere nam læto florent ibi semina cuncta,
Herbarumque toris et gramine læta virescunt,
Et variis rami complentur fructibus alti.
Gens quoque præfulget claris in laudibus illa:
Nam peperit multos celsa virtute potentes,
Atque Deo similes, licet ut mortalibus esse.

nas dixerunt, Græci Μεσήνας et Μεσσήνας soleant.

920. *Florenti semina* legunt omnes meæ, præter solam Torchilli, qui correxit, ut Papius, *florent ibi.* — L. *florentia semina cuncta.* A. V. *florenti;* unde conjeceram legendum *florent ibi :* quam conjecturam adprobant C. B. e quibus sic edidi. P.

921. Male fortassis A. V. B. *gramina.* Pap. et *gramina* omnes mei : rectum tamen et necessarium videtur *gramine.* — *Herbarumque toris.* Insolentius usus videtur verbo *toris,* pro succrescente copia et densitate herbarum. Alias enim poetis tori herbarum vel graminis non nisi respectu incubantium dicuntur. Virg. Æn. V, 386 : « Proximus ut viridante toro consederat herbæ ». Val. Flacc. VIII, 255 : « Gramineis ast inde toris discumbitur ».

924. *Peperit multos celsa virtute potentes.* Dionysius, v. 999 et 1000 : καὶ ἀνδρῶν φύτλην καλλίστην, etc. quæ plane omittit Avienus. Ed. — Chaldæos et Babylonios (sunt enim et hi quoque Mesopotamii), intelligit, a quibus ars fere omnis sumpsit exordium. Chaldæi, inquit Diodorus, lib. III, Babyloniorum antiquissimi, eum locum in sua re publica, quem in Ægypto sacerdotes, obtinuere. Ad cultum enim Deorum deputati per omnem vitam philosophantur, peritissimi astrologiæ habiti.

925. Tres hi versus ut a me sunt editi, ita prorsus in B. leguntur : a quo non valde dissentiunt L. C. V. nam L. in tertio *fortis* habet. C. in secundo *qua sunt.* V. in primo *atque adeo similes :* reliqua cum B. conveniunt. Ab Aldo corruptissime sunt expressi hoc modo : « Atque adeo similes Dis immortalibus illos. Quam juxta Armenii putarunt Aquilonis ad axes : Et fortis prope quos sævit Mavors, Matieni ». P. — In secundo vs. Aldinæ, quam ex meis pro more sequuntur B. et T. in Papii notis falso excusum est *putarunt* pro *pugnant.* — *Deo similes* hos idcirco dicit, quoniam Chaldæi ex astris ac rebus plurimis prædicere se futura jactitabant. Id autem non nisi Dei, vel Deo pleni proprium esse, nostrates Theologi comprobant. Quæ autem hominum cum Deo similitudo esse possit, altioris est speculationis materia. Docte simul et eleganter de ea scribit divus Ambrosius, Hexam. VI, cap. 8. C. — *Licet ut mortalibus esse.* Pro eo cod. Lovan. habet *licet in mortalibus essent,* idque probat Heinsius. Ego vulgatam tueor. Solenne est poetis gentilibus, viros insignes et excellentes vocare θεοειδεῖς, vel, ut hic Dionysius, ἀθανάτοις ἐμοίους. Priscianus, qui indecens hoc elogium, ut scriptor Christianus, judicaret, temperandum adjecta restrictione putavit, quæ in lectione ab Heinsio

Armenii juxta quam sunt Aquilonis ad axes,
Cominus et fortes quos sentit Mars Matieni;
Quos prope concludunt Euphratem collibus altis
Montes, divitiis pariter belloque potentes.
Ad partes Austri Babylon, quam mœnibus olim
Mirandis posuit firmisque Semiramis urbem;
Cujus in arce domum splendentem fecerat auro,
Quam simul argentum varie decoravit, eburque.
Hoc quoque pingue solum palmarum divite silva,

probata non adparet, cujus similes tamen alii poetæ adhibere solent. Sic Ovid. Met. II, 14: « facies non omnibus una, Nec diversa tamen; qualem decet esse sororum ». Idem Trist. I, 1, 3: « Vade, sed incultus, qualem decet exsulis esse ».

926. *Armenii juxta*. De Armenia, quæ duplex est, præter alios, lege Plin. VI, cap. 8 et 9; Ptolem. V, cap. 13. C.

927. *Matieni*. Hos Plin. VI, cap. 16; similiter Strabo, XI, 509, Matianos vocant, nisi forte alii ab his fuerint. Lege Hermol. C. — *Matieni* vel *Matiani*, et Matiana regio inter Armeniam et Mediam, sic tamen ut Mediæ magis, quam Armeniæ accenseatur, fertilitate memorabilis. — *Fortes quos sentit Mars*, i. e. expertæ fortitudinis in bello, ut Ovid. Met. XV, 823, de Augusto: « Pharsalia sentiet illum ». — Avienus, 1196: « duri Matieni ». Ed.

931. *Mirandis mœnibus*, quod ingens eorum ambitus et magnitudo erat, et quod mirabili arte ex cocto latere et bitumine exstructa erant. Res est apud poetas æque ac historicos tralatitia. Propert. III, 11, 21: « Persarum statuit Babylona Semiramis urbem, Ut solidum cocto tolleret aggere opus: Et duo in adversum immissi per mœnia currus, Ne possent tacto stringere ab axe latus ». Lucanus, lib. VI, vs. 50, « fragili circumdata testa Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi ». — *Quam Semiramis posuit*. Gentiles historici plurimum de Babylonis prima origine a scriptoribus ecclesiasticis dissentiunt. Semiramis, inquit Diodorus, III, magni mulier animi, cupiens virum rerum gloria excellere, urbem in Babylonia condidit, accersitis undique artificibus atque architectis, etc. Lege Herod. I; Strab. XVI; Justin. I; Plin. VI, cap. 16; Solin. cap. ult. Augustin. de Civit. Dei, XVIII, c. 2, dicit, Semiramidem potuisse Babylonem instaurare, sed primum ædificare non potuisse. Plura idem Augustinus, de Civitate Dei, XVI, cap. 3, 4 et 16. Plura Josephus, Antiq. Jud. I, cap. 9. Multa de hac re Eusebius, Præpar. Evangel. IX, cap. 4. De Semiramidis parentibus, prudentia, potentia, etc. Diodor. ibidem. C.

932. *In arte* Ve. 1 et 2, et C. vitiose.

934. *Palmarum divite silva*. De palma arbore Plin. XIII, cap. 4; Theophr. de caus. plant. I, cap. 2; Gell. III, cap. 6. Plinius et idem Gellius docent, cur in certaminibus palmam signum placuit esse victo-

Quod fert berylli munus, pretiosius auro,
Berylli lapidem liquidum glaucique coloris,
Per loca quæ tendunt Asianæ ad mœnia petræ.
At supra Babylona vides, ad flamina vasta,

riæ, et cujusvis gloriæ insigne. C.

935. *Berylli munus.* Berylli, inquit Plin. XXXVII, cap. 5, in India originem habent, raro alibi reperiuntur. Plures ejus species sunt: lege Solin. cap. 65, in fine. C.

937. *Ophianæ* pro *Asianæ* legendum esse docet Salmas. in Exerc. Plin. p. 241. Huds. Quatuor meæ vetustiores legunt, ut edidit Pap. sed *Per loca quæ prorsus penetrant Ophietida petram* B. et T. — *Per loca quæ tendunt Asianæ ad mœnia petræ:* sic omnes libri L. B. C. V. præter A. in quo iterum, græcæ vocis retinendæ studio, una vox totum versum immutat. Edit igitur, « quæ prorsus penetrant Ophietida petram ». Corruptam de industria eam esse lectionem, non est quod prolixe probem: tot jam exempla similis religionis, seu impudentia potius est, occurrerunt, ut vel uno verbo id admonenti quivis facile credere debeat. Pap. — *Mœnia Petræ.* Hæc urbs metropolis Nabathææ regionis est; auctores Strabo, lib. XVI, et Plin. lib. V, cap. 24, et VI, cap. 28. De hac Isaias, cap. 16, Petram deserti nominat. Hodie, ut mercatores referunt, *Arach* dicitur. Cam. — *Asianæ ad mœnia petræ.* Quamquam sic omnes libri legunt, præter Aldinam, quæ correxit vel corrupit, ejusque sequaces, Salmasius tamen ad Solin. p. 241, illud etiam veterum librorum *Asianæ* mendosum, legendumque *Ophianæ* esse pronuntiat; quas autem Dionysius dicat προβολὰς Ὀφιήτιδος πέτρης, significare eminentias vel prominentias cautium, in quibus cæditur ophites marmor, intra quod beryllus lapis invenitur. Inde non accurate Priscianus vertit *Ophianæ mœnia petræ*, nisi mœnia per metaphoram pro mole prominentium rupium dixit, quo sensu et Avienus videtur *Ophietida arcem* dixisse. Utrique facile excusantur more et dictione poetarum haud infrequente, qua ut *arces* de montium verticibus, ita *mœnia* de perpetuo montium jugo dicuntur. Sic Manilius, lib. IV, 675: « in cælum surgentis mœnia Tauri »; et Grat. Cyneget. v. 431, « circum atræ mœnia silvæ Alta premunt ». Et supra cod. Est. legebat *sub mœnibus Idæ*. Camers hic deceptus voce *mœnia* de Petra, quasi urbe metropoli Nabathææ somniavit.

938. *Flamina vasta.* Quam hic damus lectionem, comprobat quoque Huds. *et flumina vasta* Vi. I. *vides Aquilonis ad oras* B. et T. Schraderus in schedis hic tentavit *rigescunt* pro *vides ad*, et citat versum Prisciani 116, ubi *mare vastum* dicitur *flatibus Boreæ tundi.* Sed non video, quomodo *rigescunt* convenire sequentibus accusativis *Cissos Messabatasque* possit, et mentem Schraderi ex illa brevi notatione satis capere non potui. Vide notas nostras. Wd. — *Vides et flamina vasta.* Sic V. quæ lectio sensum aliquem habet. L. *undascit flumine vasto.* C. *vide scit flumina vasta.* B. *undescit flumine vasto*, nullo sensu. A. *vides Aquilonis ad oras*, clarissima quidem sententia; sed, ut consuevit

Cissos, Messabatasque, Chalonitasque feroces.
Armenios montes si linquens ibis ad ortus,
Medica noscetur tibi tellus, cujus ad axes
Geli sunt, Mardique, viri simul Atropateni.
Ad Noton inde habitant Medorum rura tenentes:
Medea huc fugiens dederat cognomina terræ.

falso. Fortasse legendum est *vides ad flamina vasta*, i. e. ad Boream, ut *flamina vasta* Boream significent: sed ea conjectura neque admodum est firma, neque veterum librorum fidem satis sequitur. PAP.—*Vides ad flamina vasta.* Pro his Lov. scribit *undascit*, et Leid. *undescit flumine vasto:* immo cod. Suec. in Act. soc. Ien. *viridescit flumine vasto;* quod monstrum lectionis sine dubio ex eo natum est, quod primo *flumina* legebatur, atque ea deinde exundare vel undascere debebant. Sed verba Dionysii, v. 1014, ἐπὶ πνοιὴν Βορέαο non dubium relinquunt, Priscianum scripsisse *ad flamina vasta.* Vastum Prisciano esse solet vehemens, immane et turbulentum, ut vs. 649, 747, ubi est epitheton Boreæ; et supra, v. 656: « Boreas horrendo flamine sævus ».

939. *Cissos Messabiasque* Ve. 1 et 2, C. Vi. *Messabatasque* I. B. T. Wd. — *Cissos*, *Messabatas*, etc. De his populis, præter alios, Ptolem. VI, septem primis cap. et tab. 5 Asiæ. In Avieni vs. 1209 lege *Messabatæ.* Et parum supra, « Et procerarum fructu ». Versu autem 1205 videtur leg. « terra renidet ». C. — *Cissos*, Cissios vel Cossæos Herodotus, V, 40, circa Susa et Choaspem locavit. —*Messabatæ*, a quibus *Mesabatane*, Messabatica vel Massabatica regio nomen habet, præfectura Elymaidis. Plinius, VI, 27: « Susianis ab oriente proximi sunt Cossæi: supra Cossæos ad septemtrionem Mesabatane sub monte Cambalido, qui est Caucasi ramus ».—*Chalonitæ* in australi parte Assyriæ, in qua urbs Ctesiphon, quorum regio *Chalonitis* vocatur Plinio, VI, 26.

940. *Si liqueris ibis ad ortos, Medica nascetur tibi:* sic cod. Est.

941. *Medica tellus.* Filiorum Japhet Madeus et Javus fuerunt, et ex eo Madeo quidem sunt gentes, quæ a Græcis Medi vocantur, etc. Josephus, Antiq. Jud. I, cap. 11; Dionys. et communiter Græci Mediam a Medes, vel Medo ejus filio dictam volunt. De ea Ptolem. VI, cap. 2; Plin. VI, cap. 25. Item cæteri. C.—*Ad axes* est ad septemtrionem; nam in græco est πρὸς Βορέην.

942. *Geli sunt:* sic C. B. Sed L. A. V. *Geti*, ut nonnulla etiam exemplaria græca. Pap. *Atropateni* Ve. 1 et 2, C. Vi. I. — *Atropateni.* Hic populus Mediæ Minoris, quæ Atropatia dicitur Straboni, XI, 522, distinguiturque a Media Majore, cujus regia Ecbatana. Minori Mediæ, sive Atropatiæ etiam accensentur *Geli Mardique;* quamquam hi secundum Strabonem l. c. monticolæ et latrociniis adsueti, Atropateni vero, ut Dionysius innuit, cultiores sunt.

943. *Ad Noton inclinant Medorum* MS Est.

944. *Huc fugiens:* sic L. B. optime. C. A. V. *hinc*, male, quod ex

Hinc Medi varios usus novere veneni;
Quorum per multas spatium diffunditur oras.
Hæc generat narcissiten Oriente sub ipso,
Qui lapis est fuscus: complent hanc undique silvæ,
Inter quas homines pecuaria ditia pascunt,
Caspiadas tangunt portas qui solis ab ortu.
Rupibus hæc celsis Asiæ sunt claustra potentis,

huic corruptum esse puto. Pap. *hinc* cod. Est. et omnes mei excusi. — *Medea huc fugiens*. Medea, ut quidam ferunt, ab Ægæo Athenarum rege cognita, filium genuit Medum, qui postmodum Mediæ imperavit. Aliorum sententia est, Medeam de veneficio accusatam, ex Trœzene Athenas transisse; verum pollicente Ægæo, se eam tuto, quo vellet, missurum, Phœniciam elegit; quo et delata est. Inde ad superiores Asiæ partes transiens, cuidam clarissimo hæsit regi, ex quo filium peperit Medum, qui post patris obitum regno succedens, et rex fuit egregius, et populos a se denominavit Medos. Diodor. Siculus, lib. V. Cam.

945. *Hinc Medi varios*. Medeam Œtæ (Æetæ) filiam fuisse magam et veneficam, scribunt omnes. Ovidius, Am. I, 8, 5: « Illa magas artes, Æææque carmina novit, Inque caput rapidas arte recurvat aquas ». Idem Ovidius, inter multa alia de Medea, Metam. VII, vs. 199: « quum volui, ripis mirantibus, amnes In fontes rediere suos, etc. » Horat. Epod. III, 9, existimat Medeam in suis veneficiis potissime usam allio: « Ut Argonautas præter omnes candidum Medea mirata est ducem, Ignota tauris illigaturum juga, Perunxit hoc Jasonem ». Hunc de Medis et Medea locum copiosius transtulit Avienus, v. 1215. C. — *Novere*. In uno e nostris MSS *movere*. Huds.

947. *Generat narcissiten*. Hic lapis a colore narcissi, qui lilii genus est, cujus flos, ut docet Plin. XXI, cap. 5, purpurei coloris est. Plinius, lib. ult. cap. 11: « Narcissites, inquit, venis etiam hederæ distinguitur ». Hinc ait poeta, « Qui lapis est fuscus ». Cam. — *Oriente sub ipso*. Hoc in textu Dionysii vulgato non invenio, ubi hæc verba exstant, vs. 1030: οἱ μὲν (ναιετάοντες) ἐπ' αὐτὰς Πέτρας, quod verti solet, alii quidem ad ipsas petras habitant. Sed et Avienus Orientis mentionem injicit v. 1224: « Pars gentis, rutilos Phœbi quæ spectat in ortus, Saxa habitant ». Unde manifestum est, Dionysii textum, quamvis sic omnia, quæ inspicere licuit, exemplaria legant, vitiosum esse, legendumque ἐπ' αὐγάς.

949. In MSS nostris *pecora prædita*. Huds.

950. *Caspiadas portas*. De portis his Caspiis lege Plinium, VI, cap. 14; Ptolem. tab. 5 Asiæ, eas depingit. Mela, I; Solin. c. 60; Strabo ubi prius. Avienus, 1230: « Caspia ut extento contingat cespite claustra. Hæc Asiæ dixere fores, hiet ore quod illo Porta quasi et longas bivium discedat in oras ». C.

951. *Rupibus excelsis* C. minus

Qua via sub Boream duplex se scindit et Austrum;
Hæc regit ad Persas, Hyrcanos ducit at illa.
Sub colles imos habitant, post Caspia claustra,
Martia gens Parthi, telis arcuque potentes,
Vivere qui spoliis gaudent, raptuque nefando :
Quapropter bellis homines vexantur in orbe,
Atque optata perit multo pax sanguine mundi.
Post hos est Persis, circumdata montibus altis,

bene : *hæc celsis* B. et T. Wd. — *Rupibus hæc celsis.* Videtur legendum *cæsis*, non *celsis*. Solinus : « Portæ Caspiæ, inquit, panduntur itinere manu facto, longo octo millibus passuum, etc. » C. — *Rupibus hæc celsis.* Non audeo hic cum Camerte *cæsis* scribere pro *celsis*, licet Solinus ab eo citatus dicat, Caspias portas pandi *itinere manu facto*. Potest enim iter manu factum esse per rupes natura apertas. Et diserte Plinius de portis Caspiis, lib. VI, c. 11 : « ingens naturæ opus, montibus interruptis repente ».

953. *Hæc regit ad Persas :* sic L. C. B. Male A. V. *Hæc regio Persas.* Pap. Sic male etiam Ve. 1 et 2, et C. B. At melius *Hæc regio in Persas* Vi. I. et T. quod fere prætulerim lectioni Papii. Wd.

954. *Sub colles imos.* Debebat *sub collibus imis :* sed hic mos est Prisciani. Vid. v. 892.

955. *Martia gens Parthi.* Quoniam de Parthia et ejus incolis plura congessi super caput 69 Julii Solini, hic tantum scriptores citasse contenti fuimus. Lege igitur de hac re Plin. cap. 15 et 25 ; Strabon. lib. XV ; Solin. cap. 69 ; Ptolem. VI, cap. 5. Cur *Martia gens* dicta sit, et de eorum sagittandi consuetudine, adfatim in adnotat. Solinianis. In Avieno, v. 1241, lego « Sica comes lateri est, manus aut hastilia vibrat ». Est enim sica parvus gladius, ut norunt omnes. C.

956. *Raptuque nefando :* sic L. C. B. Sed B. *raptoque nefando.* A. *raptuque superbo.* Pap.

957. *Quæ propter* C. B. Pap. Sic et Ve. 1 et 2, C. Vi. I. et hoc melius videtur. — *Quapropter bellis.* Hoc et sequente versu Priscianus perperam videtur Dionysii mentem cepisse, qui vs. 1046 ait, Parthos ita deditos bellicis exercitationibus esse, ut eorum terra perpetuo stridore emissorum jaculorum et cursu equitantium perstrepat ; quod Priscianus sic accepit, quasi bellicosa Parthorum natio in caussa sit, ut homines orbis terrarum toties bellis vexentur, et pax optata velut e mundo sublata sit. Hanc vero cogitationem suggessit Prisciano temporis et imperii, sub quo vivebat, status ; nam Orientis Imperatoribus perpetua et periculosa cum Parthis bella fuisse historia docet.

959. *Post hos est Persis.* Persidis terminos et situm describit Ptolem. lib. VI, cap. 4 ; Strab. lib. XV ; Plin. VI, cap. 23 ; Solin. cap. 68 ; Mela, lib. III. Quidam a Perseo Andromedæ et Persei filio dictam volunt. Vid. Herod. lib. VII. C.

Assiduis florens regnis et divite censu,
Ex quo perdomuit Lydorum mœnia Sardes.
Cingitur excelsis hæc undique collibus omnis,
Advergens Austros, post Caspia claustra, petensque,
Quod proprio pelagus celebrat cognomine latum;
Atque tripartitis habitatur finibus illa:

960. *Assiduis florens regnis.* A Cyro, primo Persarum rege, usque ad Darium duodecim intermedii reges numerantur. Simul autem omnes annis circiter 264 regnaverunt. Confirmant Eusebius; Justin. Hist. I; Herod. Augustin. Diodor. III. Item cæteri. C.—*Assiduis florens regnis.* Græcus Ἀσίης βασιλεύτατον ἔθνος, gens, quæ gentium Asiæ omnium maxime diutissimeque regum imperio addicta fuit. A Cyro inde usque ad nostra tempora Persarum regnum amplisssimum, quamquam diversis successionibus mutatum, viguit.

961. *Ex quo perdomuit.* Cyrus, Astyagis Medorum regis ex filia nepos, Harpago disponente, avum Astyagem prælio superavit, imperiumque a Medis in Persas transtulit. Nec multo post devicit cepitque Crœsum Lydorum regem, cujus opes ac divitiæ insignes ea tempestate erant. His itaque Cyrus potitus opibus, Persarum regnum locupletissimum effecisse dicitur. Hæc vide apud Herodot. lib. I; Justin. lib. I; Strab. lib. XIII; Euseb. lib. Temporum. Item cæteri.—*Sardis* autem urbs Lydiæ nobilissima, ac Cyri quondam sedes regia. Crœsum regem fuisse ditissimum, scribunt omnes. Plin. XXXIII, c. 3. Juven. Sat. XIV, 328: « Nec Crœsi fortuna umquam, nec Persica regna Sufficient animo, etc. » Ovid. ex Ponto, IV, 3, 37: « Divitis audita est cui non opulentia Crœsi? Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit ». In Avieni vs. 1254 lego « famosum qui Persam roboret usus ». Alludit, ut videtur, Avienus ad nobile dictum Cyri. Is enim Cyrus, quum montuosa Persarum regio asperaque esset, et suaderetur propterea campestrem ac mollem capere, ne id quidem est passus, inquiens, et plantarum semina, et hominum mores atque ingenia, regionum quoque similitudinem trahere. Plutarch. in Cyr. Avien. parum infra, v. 1258: « Dives in his mos est jam longi tempora sæcli, Ex quo Mœonii », ubi melius fortasse legeretur « longi tempore sæcli, Ex quo Mœonios ». C.

962. *Cingitur:* otiose repetere videtur versu 959 dicta. Wd.

964. *Proprio pelagus.* Intelligit mare Persicum. Strabo, lib. XV. Post Campaniam Persia est; multa patet in ora sinus, qui ab ea nominatur. Cam.—*Quod proprio celebrat cognomine*: pelagus, cui adjacens Persia suum nomen attribuit, Persicum mare. Vid. vs. 84.

965. *Atque tripartitis.* Strabo etiam, XV, p. 727, Persiam in tres partes dividit: unam inferiorem et mari Persico adjacentem dicit esse ventosam, et fructuum inopem, præterquam palmarum; superiorem et mediterraneam omnium rerum feracem, fluminibus et lacubus plenam esse; tertiam Aquilonem versus montanam et hiemalem.

Namque colunt alii, rigidæ sub partibus Arcti,
Terras quas Medi nemorosis montibus umbrant;
Ast alii mediæ vivunt regionis in arvis;
Litora postremi tangunt australia Persæ.
Prima parte Sabæ, mediusque Pasargada; post hunc
Tascorum telis habitat gens fortis et arcu;
Quique tenent populi divisos Persidis agros.
Amnibus hæc multis recreatur, et ubere pingui:
Hinc Coros immensus profunditur; inde Choaspis

967. *Terras, quas Modine morosis montibus umbras:* sic MS Estens. *Partes quas Medi.* C. Wd.

970. *Mediusque* L. C. B. Sed A. V. *mediisque*, male. Pap. *mediisque* omnes mei, uisi quod C. *mediis* siue copula scribit. *Pasagrada* cod. Est. — *Prima parte Sabæ.* De his locis et populis præter alios Plinius, lib. VI, cap. 23, 26 et 28. In Avieni v. 1277 lego « Nam cum brumali », et sequenti versu « Imbribus e cælo ». C. — *Prima parte Sabæ.* Sabas quidem profert Græcus, Eustathius etiam agnoscit, qui Sabas Arabicos æque ac Persicos inveniri ait; sed tamen Holsteuius contendit, sive Dionysii ipsius, sive librariorum errore Σάβαι scriptum esse pro Σάκαι. Sacas Persæ vocabant Scythas sibi confines, teste Herodoto, lib. VII, cap. 64. — *Pasargada* vel Pasargadæ, nomen urbis Persicæ, Plinio, VI, 23, s. 26, et Stephano, quæ hodie *Schiras* esse dicitur; Stephanus tamen et nomen incolarum esse dicit. Noster Pasargadas tamquam gentem nominat, cui procul dubio urbs nomen dedit. Et sic Curtius, lib. X, c. 1, 22: « Ventum est deinde Pasargadas; Persica gens est, cujus satrapes Orsines erat ». Ubi tamen alii legere malunt *Persagadas*. Pasargadas nobilissimos Persarum dici notat Eustathius.

971. *Tasci*, populus Persicus, vicini Pasargadis sunt, auctore eodem Eustathio; neque ab Avieno nominantur.

972. *Quique tenent:* sic L. C. B. Male A. V. *Quinque*. Pro *divisos* L. *diversos*. Pap. Ex meis *Quinque* legunt Ve. et Vi. cæteri *Quique;* et *divisos* omnes.

974. *Choaspes* in nostris MSS. Huds. Ex meis quidam *Choros, Chorus, Corus, Choaspes, Coaspes* scribunt. Wd. — *Hinc Coros..... inde Choaspes.* Utrique fluvii Persidis. *Cyrum* dicit Avienus, quomodo et exemplaria quædam Dionysii legunt, cum Strabone, qui lib. XV, p. 729, Cyrum ait per Persiam, quæ Cava dicitur, et circa Pasargadas fluere. Rectius nomen esse *Caron* adserit Casaub. ad Strab. l. c. et Salmas. ad Sol. p. 495. Quod autem *Hinc* Coros, *inde* Choaspes fluere dicitur, id Salmasius, l. c. p. 845, sic explicat, ut Dionysius velit, duobus bis fluviis Persidem includi: Choaspem per Susianen fluere, quæ ab occidente Persidi conterminat, Cyrum ad orientem in confinio Carmaniæ in mare provolvi. Hinc

Fonte cadens Indo, qui stringit gurgite Susa;
In cujus ripis præclarus fulget achates,
Pondere consimilis, volvit quos unda, cylindris.
Fertilis hæc tellus fecundis pascitur auris;
Nam ventis semper florescunt rura secundis.
Hæc eadem gemmis nimium decoratur honestis,
Quarum quis varias vires, quis nomina dicat?
Tecolithum memorem, justo cognomine dictum,

Κόριον, quem Ptolemæus nominet Carmaniæ fluvium, eumdem Corum vel Cyrum esse.

975. *Susas* L. C. B. sed A. V. *Susa*. Pap. *Susa* Ve. Vi. I. B. *Susam* C. T. Ego præfero *Susa*. Wd.—*Susa*. Hæc urbs nobilissima quondam, ac Persidis metropolis, quæ alio nomine, inquit Herod. V, Memnonis vocatur. Scribit idem Herod. in Clio, Persarum regem ex uno Choaspe ex omnibus fluminibus potare: lege plura ibi. Idem scribunt Plinius, XXXI, cap. 3, et Solin. cap. 51. C. —*Fonte cadens Indo*. Adscribam hic verba Salmasii, l. c. pag. 845: De Choaspe nondum potui satiare admirationem meam, quomodo fluvius Persidis dici queat aquam Indicam agere. Nicander Choaspem Indicum fluvium facit... Duo igitur hi fluvii cognomines, alter Indicus, alter Persicus; quos ita confundit Dionysius.

976. *Præclarus achates*. Lapis hic ab Achate Siciliæ flumine, ubi primum repertus est, nomen habuit, ut dicit supra poeta versu 502; de quo lapide Plin. XXXVII, c. 10; Solin. cap. 11. Alberto Agates, sed perperam, dictus C. — Avienus, vs. 1276: « Incola flaventem studio sectatur Achatem ». Ed.

977. *Consimilis* C. B. V. et L. nisi quod in hoc est *consimili*; A. *consimilem quem proterit unda cylindris*. Pap. In codice Langiano et uno e nostris *consimili*. Huds. *Consimilis* Ve. 1 et 2, Vi. *consimiles* C. et I. *consimilem quem proterit unda cylindris*, ut in Aldina, B. et T. — *Cylindris*. Cylindri lapides pretiosi a forma dicti. Cylindrum vocant oblongum atque volubile, qualis columna est, qua æquandis areis uti solemus, dicta a verbo græco κυλίνδειν, quod volvere significat. C.

980. *Hæc eadem*. Hæc omnia quæ sequuntur, usque ad versum 991, e Solini cap. 38, statim a medio usque ad finem. Pap. *gemmas decoravit* Camers. — *Decoratur honestis*. Id pro pulchris hoc loco positum observat Barthius ad Stat. Theb. II, 234, pag. 400. Ego malim pro pretiosis positum existimare. Vid. infra v. 1050.

982. *Te colythum* et *colithum* Ve. C. B.—B. C. *Techolithum*, adspirata secunda syllaba, præter linguæ græcæ regulam, in qua, a remedio, quod præstat, nomen invenit, ἀπὸ τοῦ τήκειν τὸν λίθον. Miror igitur esse, qui in Solino scribant *Techolithos*, non minus pæne vitiose, quam quod ipsemet reprehendit, *Tegolitus*. Pap. — *Tecolithum memorem*. Adpono pro more verba

Qui lapides renum tritus potusque resolvit;
Myrrhitenque, bonum nardi quum reddit odorem.
Hic aëtites est, sonitum cui spiritus addit
Arcanum crepitans, prægnantibus utilis ægris:
Nec non pyrites, digitos qui strictus adurit;
Gemmaque, quæ radios emittit candida solis.

Solini, cap. 37 Salm. « Tecolithos nucleo olivæ similis spernitur, quum videtur, sed remediis bonus, vincit aliorum pulchritudinem: solutus quippe et haustus, pulsis calculis renium dolores ac vesicæ levat ». Conf. Salmas. ad Sol. p. 501.

984. *Miritenenque* Ve. 1, 2, C. I. *Myrrhitenque* Vi. B. T. — *Myrrhitenque bonum nardi.* Hic lapis myrrhæ colorem habet, faciemque minimæ gemmæ, unguenti odorem, adtrita etiam nardi. Plin. XXXVII, cap. 10. Dicta enim a myrrhæ arboris colore, de qua arbore Plin. XII, cap. 16 et 17. Plura de hac gemma Solinus, cap. 50. C.—*Myrrhitenque.* Solinus paullo ante: « Myrrhites Parthis familiaris est. Hunc si visu æstimes, myrrhæ color est, et non habet, quo adficiat adspectum: si penitus explores, et adtritu incites ad calorem, spirat nardi suavitatem ».

985. *Hic aëtites est:* sic L. C. optime. Male B. *Hic Echites est.* Male et A. *Hic est Aëtites.* Pap. *Hic est aetites* Ve. 1, 2, C. *Aëtites* Vi. I. B.T.—*Aëtites.* Lapis is in aquilarum nidis reperitur, unde et ab aquila nomen habet, quæ græce ἀετὸς dicitur, de quo lapide Plin. X, cap. 3, et XXVII, 11; Solin. cap. 50. C. — *Hic aëtites est.* Solinus l. c. « Aëtites et fulvus est, et tereti positione alterum lapidem intrinsecus cohibens: cujus crepitus sonorus est, quum movetur, quamlibet tinnitum illum non internum scrupulum facere, sed spiritum scientissimi dicant. Hunc aëtiten Zoroastres præfert omnibus, maximamque illi tribuit potestatem. Invenitur aut in nidis aquilæ, aut litoribus Oceani: in Perside tamen plurimus. Subnexus spem uteri defendit a fluxibus abortivis ».

986. Pro *ægris* C. B. *ille.* Pap. Idem in MSptis Huds. *utilis ille* cod. Est. *utilis esse* Ve. 1, C. I. *esset* Ve. 2, Vi. *ægris* B. et T.

987. *Pyrrhites* Vi. I. B. T. Wd. — *Pyrrhites.* Græci plerumque ab effectu gemmas denominant. Hinc pyrrhites dictus, quod ignem in calefaciendo plurimum imitatur: de quo Plinius, XXXVI, cap. 19, et XXXVII, cap. 11; Solin. cap. 50. Alberto *Perithe* vel *Poridonius* dicitur, sed in rerum nominibus Alberto Magno parva est adhibenda fides. C. — *Nec non pyrites.* Solinus l. c. « Pyrites fulvus est, tenerique se vehementius non permittit: ac si quando arctiori manu premitur, digitos adurit ».

988. *Gemmaque, quæ radios.* A colore et solaribus radiis solis gemmam Plinius et Solinus, ubi supra, nominant. C. — *Gemmaque, quæ radios.* Solinus l. c. « Solis gemma percandida est ad speciem fulgidi sideris, rutilosque ex se jacit radios. — Pro *emittit* L. *imitatur.* Pap.

Atque selenites, lunaris imagine lucis,
Qui decus et minuit proprii splendoris, et auget.
Respice nunc reliquas Asiæ sub finibus oras.
Persidis ad pontum Carmani, solis ab ortu,
Litora pars habitant, mediæ pars limina terræ.
Gedrosi post hos tendunt orientis ad ignes,
Oceanum juxta : radiis propioribus inde
Est Scythiæ tellus australis, flumen ad Indum,
Qui ponto rapidus Rubro contrarius exit;
Gurgite nam celeri rectus decurrit ad Austrum,

Idem in suis Msptis invenit Huds.

989. *Atque selenites.* Lapis iste a lunæ similitudine nomen sumpsit. Ait enim, « Quod decus et minuit proprii splendoris, et auget », i. e. lunæ imago in hoc lapide simul cum luna crescit ac minuitur. De eo lapide Plin. XXXVII, cap. 10; Solin. cap. 50. Albertus sileniten nominat. C. — *Atque selenites.* Solinus, cap. 37, 21 : Selenites translucet fulgore candido melleoque, continens lunæ imaginem, quam juxta cursum astri ipsius perhibent diebus singulis vel minui vel augeri».

990. *Qui decus* L. C. B. Male A. V. *Quod.* Pap. Mei omnes *Quod.*

992. *Carmani, solis ab ortu.* De Carmania, quæ majoris Asiæ regio est, scribunt Plin. VI, cap. 23; Strabo, XV; Solin. c. 68; Ptolem. VI, cap. 9; Mela, III. Est etiam civitas apud Stephanum. Item Carmana insula apud eumdem. Apud Carmanos nulli uxorem licet ducere, nisi prius ad regem loci detulerit caput hostis. Rex tandem is linguam avulsam e faucibus defuncti capitis, ac minutatim concisam, permixto cum ea pane, ei primum degustandam porrigit, qui ad regem caput detulerat amputatum. Deinceps ex eadem lingua familiares regii degustant omnes. Solet præterea rex ille haberi præclarior, ad quem plurima occisorum hostium capita delata fuerint. De hoc vide Strabonis lib. XV. C.

994. *Gedrosi post hos.* Ordo est, Gedrusi post, juxta Oceanum, tendunt radiis propinquioribus usque ad ignem Orientis. (Errat Camers.) De his locis et populis Plin. VI, cap. 23; Strabo, XV. Late Ptolem. VI, cap. 21. In Avieni versu 1286 lego « Hos super ast tellus ». C. — Sed hanc Camertis emendationem Wernsdorfius refutabit. Ed.

995. *Propioribus usque* Ve. 1, 2, Vi. 1. *inde* C. B. T. — *Radiis propioribus*, i. e. magis ad Orientem. Vid. quæ notavimus ad vers. 526.

996. *Flumine ad Indum* C. — *Flumen ad Indum.* De Indu flumine, a quo India, tertia orbis pars, nomen habet, scribunt omnes. Plin. VI, cap. 20; Strabo, XV; Solin. cap. 65; Mela, III; Diodor. lib. III; Herod. lib. IV. Indus ab incolis Sandus adpellatus est. Is præterea secundus omnium fluminum crocodilos præstat. C.

997. *Contrarius exit.* Darius cupidus cognoscendi, ubinam Indus

Caucasiis oriens primum de montibus altis,
Dividua cujus Patalene cingitur unda :
Separat innumeras et vasto gurgite gentes,
Ad partem, rapidi qua vergunt lumina solis,
Oritas, Aribasque simul, linique Arachotas

mare influat, misit cum navibus alios quosdam, quos vera renuntiaturos confidebat, etc. Lege historiam ex Herod. lib. IV. Cam.

999. *Caucasiis oriens primum.* Sic edidimus Hudsonum sequuti, et Papium deserentes, qui dedit *oriens Orinum de montibus ;* quod nescio unde habere potuerit Papius. Nam libri veteres, quibus utor, scripti et impressi illud *Orinum* ignorant, et scribunt *oriens primum.* Sola Colon. antiqua transponit voces mendose *Caucasiis primum oriens de montibus.*

1000. *Patalene.* Indus plures insulas efficit, amplissimam unam, quæ Prasiane nominatur, et aliam minorem, quæ Patale. Huic triquetra figura est, CCXX millium passuum latitudine. Plin. VI, cap. 20 et 21. Dionysius Patalenen vocat. C.

1002. B. C. *ad partem.* Pap. — *Ad partem* legunt Mspti Lovan. et Leid. quod probo et præfero vulgatæ *partes*, quia hic auctor regionem vel latus regionis exprimere vult, quod aptius fit per singularem : nam cætera *qua vergunt lumina solis* accipienda sunt de sole occidente secundum textum græcum; *qua vergunt*, id est, qua inclinant ad occasum.

1003. *Aritasque* B. C. et L. Pap. *Horita, Saritasque* cod. Est. *Aribasque* Ve. B. T. *Erabasque* C. *Arabasque* Vi. I. — *Oritas*, etc. De his locis et populis Plin. lib. VI, cap. 23; Solin. cap. 67; Mela, lib. III; Strabo, lib. XV; Diodor. lib. III. Item cæteri. Plin. VI, cap. 20. Indus, inquit, Sandus ab incolis adpellatus, in jugo Caucasi montis, quod vocatur Paropanisus, adversus solis, etc. Videtur igitur de hoc monte hic sermo esse. Varia lectio in hoc loco reperitur : quædam exemplaria habent *Pampanii*, nonnulla *Parpausi.* Græcus codex, nisi in eo quoque mendum sit, *Parpanisi* habet, per syncopen, metri caussa. Avienus ejus montis (quod forte scriptoris vitio factum sit), non meminit. Versu 1298 « Et Sagam infidum » lege ex græco codice. Prisciano hic, ex Antonii interpretatione, « Satraidam infidum ». C. — *Oritæ*, et *Aribes*, qui Straboni Arbies, Plinio Arbii, aliis Arabies et Arabitæ, cum Ichthyophagis, quos præterit Dionysius, sunt populi Gedrosiæ ad Indum fluvium, et ordine recensentur a Strabone, lib. XV, p. 720. Dionysius Ἀριϐες pro Ἀρϐιες dixit metri caussa per metathesin, ut monet Cellar. vol. II, p. 850. *Arachotæ* et *Arachosii* Plinio, Ἀραχωτοὶ Straboni, populus Indiæ Drangianæ, et Gedrosiæ adjacens. Plinius, lib. VI, cap. 23, Arachosiam tradit oppidum et flumen ejusdem nominis habere. *Arachosia* urbs Stephano dicitur, et Arachotus fluvius ab eodem et a Ptolemæo. Quod Priscianus dicit Arachotas *lini lænis uti*, id confirmat Curtius, lib. IX, cap. 7, 12, qui « legatos duarum gentium, quæ Arachosiis tributa pendebant, li-

Utentes lænis, et Satraidas simul omnes,
Parpanei montis sub celsa rupe, Arianos
Nomine communi, qui terras ubere nullo
Florentes habitant : squalent nam sentibus aspris;
Curalii lapidem qui rubrum litore carpunt,
Sapphirique decus nigri flavique coloris
Saxorum cædunt venis, hac merce beati.
Indorum terras hinc Tethyos æquora claudunt,

neis vestibus anro intextis indutos » fuisse memorat. Atque Indorum nonnullos lineis aut laneis peplis vestiri, Mela testatur, III, 7, 34, et Solinus, cap. 52. Linum autem Indorum de lana arborum Indicarum accipiendum ostendit Salmas. ad Solin. p. 701.

1004. *Lænis* C. B. V. adjuvat et L. *lineis et Satrachitas*. Male A. *Chlænis atque Atraidas*. Pap. *Utentes lænis et Satraitus* MS Est. sic etiam Ve. 1 : *et Satraidas* Ve. 2, C. Vi. *lanis et Satraidas* I. deuique B. et T. ut Aldina. — *Satraidæ* ignota aliis, et soli Dionysio memorata, gens Arianæ in Indiæ.

1005. Mallem *Parpanisi*, vel *Parnissi* cum Salmasio in Exerc. Plin. p. 551, 829. Huds. *Pampanii* Ve. 1 et 2, C. *Parpasii* Vi. I. *Parnasi* B. et T. — *Parpanei*. Sic L. B. adjnvat C. in quo *Parpani*, et V. in qno *Pampanei* scribitur: nam Aldini codicis lectio *Parnasi* e græca quorumdam exemplarium scriptura Παρνησσίο fluxit. Pap. — Rectius omnino videtur, cum Salmasio hic *Parpanisi* scribere. Vide, quæ a nobis notata ad v. 716. Geutes omnes ad radices Paropamisi habitantes, Gedrosios, Arachotas, Drangas, Paropamisadas communi nomine Arios vel Arianos dictos esse, observat Plin. VI, 21; Strabo, lib. XV, p. 724.

1006. *Ubere nullo*. Plin. VI, cap. 23. Ariana, inquit, regio ambusta fervoribus, desertis circumdata. C.

1008. *Coralii lapidem*. De coraliis lege Plin. XXXII, cap. 2, et Solin. cap. 8. Græci per ο scribunt, ea propter prima corripitur. Dionysius scribit per ω. Quidam Latinorum producunt primam. Ovidius, Met. XV, 415 : « Sic et coralium, quo primum contigit auras ». Similiter lib. IV, 749 : « Nunc quoque coraliis, etc. » Claud. X, 169 de Nupt. Honor. corripit : « Mergit se subito, vellitque corallia Doto ». In MSS nostris *rubro*. Huds. *rubrum* omnes mei. — De *sapphiro* lege Plin. lib. XXXVII, cap. 9. Cam.

1010. *Hac merce* : sic C. B. pulcherrime. Male reliqui *ac*. Pap. Ex meis *hac* habent C. et T.

1011. *Indorum terras*. Postremo, tamquam postremam omninm regionem, describit Indiam, quæ ab Indo flumine nomen habet. Ea, ut idem Dionysius scribit, in quatuor latera distincta est. Quod ad Orientem, quodque ad Meridiem vergit, magnum mare circumdat; quod Arctos spectat, Æmodes mons ab eā Scythia, qnam habitant hi, qui adpellantur Sacæ, dividit; et quartum, quod est ad Occidentem, fluvius Indus terminat, omnium fere post Nilum maximus. Magnitudi-

Quas primo Titan adscendens lumine cernit.
Unde color populis niger est flagrantibus ortu,
Atque gerunt similes hyacintho fronte capillos.
Effodiunt alii terras, aurique metallum;

nem Indiæ ab oriente ad occasum scribunt stadiorum viginti octo millium; a septemtrione ad meridiem millium duorum ac triginta. Hæc tanta Indiæ magnitudo circulo æstivi tropici videtur subjecta. In multis locis Indiæ aiunt erectum lignum nullam a sole umbram reddere; nocte Arctos non videri; in ultimis vero minime adspici Arcturum, quo in loco umbras versus meridiem inclinare dicunt. India, ut scribit Ptolom. VII, cap. 1 et 2, bipartita est: unam intra Gangem, extra Gangem alteram sitam dicit. De ea scribunt Plin. VI, cap. 19, 20, 21; Curtius, lib. VII; Solin. cap. 65; Strabo, lib. XV; Mela, lib. III; Herod. lib. III; Diod. Sicul. lib. III. Plura Stephanus de Urbibus. Isidorus, Etymol. lib. XIV, de ea non aspernanda plura. C. — *Indorum:* sic L. C. B. Male A. V. *In quorum:* quod postea quidam in *si quorum* porro corruperunt. Pap. Ex meis *Indorum* habent Vi. I. T. *Ii quorum* B.

1013. *Unde color populis niger.* Indos præcipue nigros, coloratos, decolores, fuscos haberi a Veteribus, præsertim poetis, sat vulgatum est. Caussam nigri coloris in verbis *flagrantibus ortu* declarat, ex Veterum opinione, qui solem orientem flagrantiorem existimabant, quia propiorem gentibus Orienti subjectis: nam qui putabant, solem ex Oceano adscendere et illustrare orbem, debebant eumdem populis ad orientalem oram Oceani habitantibus maxime propinquum existimare. Hinc Seneca plane ad interpretandum Prisciani versum, in Œdip. v. 122: « Promit hic ortus, aperitque lucem Phœbus, et flamma propiore nudos Inficit Indos ». Idem in Thyest. vs. 602: « Medus, et Phœbi propioris Indus ». — Sic supra v. 995, « radiis propioribus », i. e. Orientis ». En. — *Ortu:* sic L. C. B. Male A. V. *ortus*. Pap. *ortus* præferunt omnes mei antiquiores: *ortu*, qui Papii recensionem sequuntur. Wd.

1014. *Similes hyacintho capillos.* Solinus, cap. 52: « Indis omnibus longa et promissa cæsaries, non sine fuco cærulei aut crocei coloris ». Ad hæc Salmas. p. 701: De hoc fortasse cæruleo colore intelligendi versus Dionysii, 1112 sqq. quum dicit Indos crines habere hyacintho similes: nam hyacinthus cæruleus. Græci κυανέους ὑακίνθους adpellant. Nigras vulgo interpretantur ἐθείρας hyacintho similes, quia Indi naturaliter μελανότριχες. Verum, ut dixi, nihil prohibet cæruleo colore infectas accipere.—Avienus, 1311: « effluа semper His coma liventes imitatur crine hyacinthos », ubi male Cusp. imitantur. De hyacintho et ejus colore Plinius, XXXVII, cap. 9. En.

1015. *Effodiunt alii terras.* Indorum populus in septem tribus distributus est. Prima philosophorum est, secunda agricolarum, pastorum tertia, artifices obtinent locum quartum, milites seriem quintam habere dicuntur: Ephorum est sextus ordo: locus ultimus et postremus his,

Ast alii texunt tenuissima tegmina lini,
Vel dentes stringunt elephantis ab ore revulsos:
Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta;
Atque aura viridi, legitur, quæ splendet iaspis,
Curaliique decus liquidi, gratique topazi,
Purpureoque amethystos inest suffusa colore.
Divitias magnas sic tellus illa ministrat:

qui publicis præsunt consiliis, datus est. Quæ diffuse prosequitur Diodorus, lib. III. C.

1016. *Tegmina lini:* sunt vestes lineæ: nam tegmen pro vestimento poni, observatum est ad carm. IX t. III, v. 3. Ed.—*Linum* autem Plinius, XIX, 1, tradit facere « Æthiopes Indosque e malis, Arabes cucurbitis, in arboribus genitis ». Idem, lib. XII, cap. 10, de Tylo, insula Rubri maris, et lanigeris arboribus ejus: « Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt ».

1018. *Scrutantur ripis*. Cod. Leid. legit *rivis:* sed Græcus habet ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων, cui *ripis* aptius esse videtur. Ed.

1020. *Aura viridi:* sic recte Papius dedit, quocum faciunt antiquiores Ve. B. T. Sed *aurum viridis* C. Vi. *aurum viridi* I. Wd. — *Aura viridi*, i. e. lumine vel splendore, ut explicat Barthius, Adv. XXXVII, cap. 5, qui recte quidem pro exemplo adducit Virg. Æn. VI, vs. 204: « auri per ramos Aura refulsit »; sed ubi Horatii locum, Carm. II, 8, 23, « tua ne retardet aura maritos », eodem trahit, et de splendore accipit, in eo fallitur. Mihi non dubium est, *auram* h. l. ita accipiendam, ut apud Virg. Georg. III, 251. Nempe *aura* generatim dici poetis solet, quidquid sensu aliquo tenui, visu, odore, auditu, quasi levi adflatu percipitur, ut apud Virg. Æn. VII, vs. 646: « Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura ». — Conf. quæ ipsi diximus ad Lactant. Phœn. v. 44, huj. operis nost. t. II, p. 353. Ed.

1021. *Curalli* in uno ex nostris MSS tam hic, quam supra. Huds. *Coraliique* Ve. 1, 2, Vi. I. T. *Coralii decus* C. — *Topazi*. De hac gemma, unde dicta sit et qualiter reperta primum, docet Plin. lib. ult. cap. 8.

1022. *Amethysos* Ve. 1 et 2.—De amethysto quoque Plin. XXXVII, cap. 9. Item Marbodeus, et Albert. Mineral. II. Hic lapis ab ebrietate nomen habet, a μέθυ et μεθύσκω, quasi ebrietatem inhibens. C.

1023. *Divitias magnas*, etc. India divisa est fluminum multitudine agros plurifariam irrigantium. Ista ex re bis in anno præbet fructus. Animantia varii generis producit præ cæteris magna ac robusta, partim terrestria, partim volantia. Elephantes insuper plurimos maximosque, qui Libycos robore excellant. Terra et domesticis fructibus opulenta est, variis multiplicibusque

Assiduisque rigant hanc totam fontibus amnes;
Arboribusque viget variis, milioque frequenti,
Et pretio rubræ perfloret arundinis illa.

metallis fecunda. Nascitur in ea ingens argenti aurique vis: non parum quoque æris ferrique et aurichalci. Hæc ex Diod. Sic. lib. III, et Herod. lib. III. Plura Q. Curtius, VII; et Mela, III. Avienus, vs. 1327, « Horum dives enim tellus est Indica semper ». C.

1024. *Assiduisque:* sic L. C. B. Absurde A. V. *assiduis rigant.* Pap. et sic Ve. C. — *Assidui amnes.* Habent, inquit Diodorus, Indi plura flumina ingentiaque, navigiis apta, quæ ex fontibus montium ad septemtrionem vergentium in campestria decurrunt. Horum permulti in unum coeuntes in Gangem defluunt. Indus præterea ingens fluvius, de quo dictum est, eodem quoque modo quo Ganges, ab Arcto incipiens inque Oceanum fluens, Indiam dividit, lapsusque per loca patentia augetur pluribus egregiis fluviis, qui in eum decurrunt: quorum præcipui Hypanis, Hydaspesque et Aresinus dicuntur. Sunt præter hos haud vulgaria flumina, Indiam interlabentia, quæ regiones eas hortis variisque fructibus uberes reddunt. C.

1025. *Milioque sequenti* Ve. 1, 2, Vi. I. *milioque crescenti* C. — *Milioque sequenti.* Potest legi *frequenti*, nisi *sequenti*, sponte nascenti, exponendum est. Inter alias segetes fit apud Indos plurimum milii, ac leguminum, aqua fluminum irrigante. Oryza quoque, et quod adpellant Bosporum, multaque alia ad cibum utilia. Diodor. ibidem. C. — Nihil Avienus de milio et de arundine rubra habet. Wernsdorfius ad hunc locum adserit hæc ab illo de industria fuisse prætermissa. Ed.

1026. *Rubræ arundinis.* Arundines saccaron ferentes intelligit. Saccaron et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum gummium modo, candidum, dentibus fragile, etc. Plin. XII, cap. 8. Hoc *sucre* gallice vocamus. Ed. — *Pretio rubræ perfloret arundinis*, h. e. floret perpetuo arundine illa pretiosa, cujus pretium est dulcissimus humor, quo abundat. Codex quidem Lovanens. *præfloret* exhibet, sed *perfloret* accommodatius græco, quo dicitur v. 1125, λειμῶνες ἀεὶ κομόωσι πετήλοις. Male autem Priscianus *rubram arundinem* interpretatur Ἐρυθραῖον κάλαμον· nam Erythræus calamus Dionysii est, qui aliis scriptoribus κάλαμος Ἰνδικὸς, et intelligitur arundo saccharifera, quæ in foliis mel candidum, saccharon nomine, radicibus autem vel partibus tenerioribus expressis succum dulcissimum præbebat. Hinc Lucanus de Indis, lib. III, vs. 237: « Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos ». Luculentius de arundine Indica loquitur Varro Atacin. versibus ab Isidoro servatis, quos inter alia ejus poetæ geographica fragmenta in hoc opere proferri curabimus. Addo tantum locum Solini, cap. 52, de India loquentis: « Quæ palustria sunt, arundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis, lembi vice vectitet navigantes. E radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem ». Quæ ab aliis de arundine

Hic alii superant procero corpore tantum,
Insiliant equitum faciles ut more elephantos:
Ast alii vivunt sapienti pectore nudi,
Luminibusque vident rectis, mirabile, solem,
Et radios solis et sacra mente retractant,
Signaque concipiunt arcana luce futuri.
Psittacus hic viridis, decoratus torque rubenti,

saccharifera commemorantur, item quæstionem super ea inter Salmasium et Vossium agitatam, explicavi ipse olim in Exercit. de Antiquitat. Balearicis, cap. 2, § 5, quem locum conferent, si tanti videbitur, lectores mei.

1027. *Hic alii:* sic B. C. Reliqui *Hinc* minus recte. Pap. *Hinc* omnes mei ante Papium excusi. — *Procero corpore tantum superant, ut*, etc. In India quidam populi adeo proceri, ut elephantos, velut equos facillima insultatione transiliant: Solinus quidem est auctor, ex quo hæc rursus traduxit, ut videre est c. 52. Mela, qui eamdem rem tangit, moderatior est lib. III, 7, 37: « Alii ita proceri et corpore ingentes, ut elephantis etiam, et ibi maximis, sicut nos equis, facile atque habiliter utantur ».

1028. *Insiliant:* sic L. C. B. et V. sed hoc *elephantis* habet. A. *Insiliant ut more equitum faciles elephantis*, falso. Pap. *ut more elephantis* Ve. 1 et 2, Vi. I. *elephantes* C. — Aldinæ edit. lectionem servant, ut solent, B. et T.

1029. *Sapienti pectore nudi.* Gymnosophistas intelligit, de quibus plura in Adnotatt. Solinianis congessimus, ex Plinio, Diodoro, et cæteris. C. — *Sapienti pectore nudi.* De gymnosophistis Indorum loquitur, e Solino, qui l. c. « Philosophos habent Indi, Gymnosophistas vocant, qui ab exortu ad usque solis occasum contentis oculis orbem candentissimi sideris contuentur, in globo igneo rimantes secreta quædam, arenisque ferventibus perpetem diem alternis pedibus insistunt ». Plinius, e quo sua haurit Solinus, lib. VII, cap. 2, *immobilibus oculis* Gymnosophistas *perstare* dicit, qui Prisciano sunt *oculi recti;* nihil vero ille de secretis, quæ rimautur in globo solis. — Mira horum similitudo, cum recentiori hominum ejusdem gentis secta, qui *fakirs* adpellantur. Ed.

1032. *Arcana luce*, i. e. intus recondita pectoris sapientia, interiore mentis lumine, ut Stat. Theb. II, 276, dicit « arcano florentes igne smaragdos ». Idem *diem animi* vocat sensum et conscientiam, in cæcitate oculorum, Theb. I, 52: « assiduis circumvolat alis Sæva dies animi ». Cf. hujus nost. ed. t. II, p. 17. Ed.

1033. *Psittacus hic.* De hac ave, quam nostrates vernaculo sermone *perroquet* nominant, legend. Plinius, X, cap. 42; et Solinus, cap. 65, ubi compluscula dictavimus. Adnotandum, Priscianum non ex Dionysio, sed e Solino et aliis scripsisse de sacchareis arundinibus, proceris hominibus, Gymnosophistis, psittaco. C. — *Psittacus hic viridis.* Solinus eodem capite: « Sola India mittit

Nascitur, humanæ simulat qui verbera linguæ.
Nunc age, te fluvios, montes, formamque docebo
Ipsius terræ, populos, gentesque beatas.
Marginibus ternis tellus hæc clauditur omnis,
Obliquatque latus per cunctas linea partes.
Hesperios fines immanis terminat Indus;
At Notios pelagus concludit gurgite Rubrum;
Sed Ganges Ortus, et Caucasus excipit Arctum.
Hanc homines habitant multi ditesque colendam,
Nominibus variis discreti et finibus amplis.
Dardanei ripas contingunt fluminis Indi,

psittacum avem, colore viridi, torque puniceo..... lingua ejus lala multoque latior, quam cæleris avibus : unde perficilur, ut articulata verba penitus eloquatur ». Quantis in deliciis psittaeus Romauis fuerit, siugulari earmine testantur Ovid. Amal. II, 6, et Slal. Silv. II, 4. *Viridis* elogium ejus proprium est. Statius l. c. « Psittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ »; et Ovidius, v. 21, « Tu poleras virides pennis hebetare smaragdos, Tincta gereus rubro punica rostra croco ».

1034. *Verbula* pro *verbera* Colon. vetus exemplar, non iuepte. Wd. Hæc omnia e Solini c. 53 descripta sunt. Pap. — *Verbera*, i. e. aeris reverberationes, nt sit quasi vocis definitio. Vox enim ex Tertull. de Anima, II, nihil alind esl, quam aeris verberatio. Quid si legas *verbula*. Camers. — *Simulat qui verbera linguæ*. Heinsius eonjiciebat *verba loquelæ*, quod fortasse *verbera linguæ* alias de eonvicio dici existimabat, ut ab Horatio, Carm. III, 12, 3. Sed sic etiam Statius, Silv. II, vs. 2 : « Humanæ solers imitalor psiltace linguæ ».

1037. *Marginibus ternis*. Priscianus hic aul supina negligentia, aul metri lege abreptus, *ternis* posuit pro *quaternis*. Nam Dionysii mens est vs. 1130, Indiæ totius figuram e quatuor lateribus, iisque obliquis omnibus, esse coagmentalam, ad formam rhombi (quod et Strabo tradil, XV, p. 689), quæ latera vel fines quatuor mox ipse Priscianus enarrat. Et miror correclorem Aldinum, quem toties incusat Papius versus ad græca verba refinxisse, hunc versum reliquisse intactum, qui facile sic refingi poterat : « Marginibus constat lellus hæc lota quaternis ». Similiter Libyen « meusæ formam » reddere dicebat supra vs. 166. — *Tellus conelauditur omnis* cod. Est.

1039. Hie ultimus est versus schedarum Buslidianarum. Pap.

1040. *At notios* : sic Pap. cum eoque B. et T. sed quatuor meæ vetustiores *Ad notios*. Wd.

1041. *Sed gentes* vitiose legunt Ve. 1, 2, Vi. *Ganges* reliquæ : *at Caucasus* B. et T. Wd.

1044. *Dardanei* : sic L. C. V. In A. esl *Dardanees*, e græco. Pap.

Hic ubi præcipitem scopuli fundunt Acesinem,
Hancque capax classis venientem volvit Hydaspes.
Tertius hos sequitur splendenti gurgite Cophes;
Taxilus inter quos habitat, cum gente Sabarum.
Hinc Scodri post hos sunt, Peucaleique feroces,
Gargaridæque truces : auri qua pondus honestum
Devolvens Hypanisque vehit, rapidusque Magarsus;

Dardanii Ve. C. Vi. I. reliquæ ut Aldina. — *Dardanii ripas contingunt.* De his locis et populis lege Plin. VI, capp. 18, 19, 20, 21, 22, 23; Strab. Solin. Melam et cæteros ubi prius. Acesinen Diodorus, ut parum ante recitatum est, Arisinum nominat. Plin. sicut Dionysius, VI, cap. 20. De Hydaspe et Cophete fluminibus Plinius, VI, cap. 20 et 21. C. — *Dardanei ripas.* Rectius videntur quidam editi scribere *Dardanees* e græco, i. e. Dardanenses, ut distinguantur a Dardanis, Troïcis. Populum Indiæ esse scribit Eustathius : descriptionem aliam non invenio.

1045. *Acesines* fluvius Indiæ, qui in Hydaspen cadit, magnus et navigabilis. Talis et *Cophes*, qui sequitur.

1048. *Taxilus :* sic L. C. In A. V. *Toxilus.* Pap. et *Toxilus* omnes mei. — *Taxilus* populus Indiæ, et *Taxila* urbs maxima inter Indum et Hydaspen, quam Strabo, lib. XV, p. 698, amplam et felicem et legibus optimis constitutam dicit.

1049. *Scodri :* sic C. V. adjuvat, quod in L. est, *Codri.* A. ut in quibusdam græcis, *Scothri.* Pap. *Scodri* quatuor antiquiores. *Scothri* B. T. Wd. *Peucaleique* dant A. C. Sed L. *Pencaleique.* V. *Peucaneique.* Pap. Cum Veneta Pap. conveniunt meæ 1 et 2, Vi. et ex parte C. quæ *Peucanee feroces :* cum Aldina B. T. — *Scodri,* obscura et ignota aliis gens ad Indum. *Peucalei,* qui et Peucanei, et Peucolaitæ Plinio, VI, 20, ab urbe *Peucela,* quæ non longe ab Indo. Explicat Cellar. vol. II, p. 861.

1050. *Gargaridæque :* sic L. C. In A. V. *Gangaridæque.* Pap. Ex meis *Gargaridæ* sola habet Vi. *Gangaridæ* Ve. I. B. T. *Sangaridæ* C. Wd. *honestum :* sic L. C. sed A. V. *onustum.* Pap. *onustum* habent omnes mei. — *Gargaridæque truces.* Dubia est scriptura hujus nominis. Quædam Prisciani exemplaria *Gangaridæ,* quædam Dionysii Γαγγαρίδαι. Utraque scriptura usurpata geographis. *Gangaridæ* Plinio dicuntur, VI, 19, haud dubie a Gange, cujus ad ostia vel supra habitabant; item Val. Flacco, qui Scythiæ populis adsignat, lib. VI, 67: « acies quem Martia circum Gangaridum ». *Gandaridæ* Diodoro Sic. II, c. 37; *Gandarii* et regio Gandarica Stephano; *Gandaritis* Straboni, XV, 697, quam dicit Choaspem flumen permeare. Ut bellicosos Gangaridas describit Flaccus, ita *truces* Priscianus vocare videtur. Dionysius tamen Bacchi cultores cognominat. — *Honestum* pondus auri Prisciano est pretiosum et splendidum. Vid. versus 980.

1051. *Vehit* Papius. In uno e MSS nostris *trahit.* Huds. Et *trahit* cod.

Quos capit Emodo missos Gangetica monte
Tellus, porrigitur quæ ad terræ Colidis Austros,
Oceani tangens pelagus sub collibus altis,
Quos volucres metûunt celeri contingere penna:
Unde locis Graii posuerunt nomen Aornin.
Hic via, quam celebrat nomen, Dionysia, Bacchi,

Est. habet, et omnes mei impressi ante Papium. Wd. *Magarsus:* sic C. sed A. *Megarsus*. L. *Nigricus*. Pap. Ex meis *Megarus* Ve. 1, 2, C. *Megarsus* Vi. B. T. *Megasus* I. — *Hypanis*. Plinius, nisi in eo mendum sit, Hypsin nominat lib. VI, c. 17; Solin. Diod. Dionys. Hypanin. Est in Scythia nominis ejusdem flumen. C. *Hypanim* quidem hunc fluvium Indiæ cum Dionysio vocat Strabo, XV, p. 700; sed *Hyphasis* est Diod. Siculo, XVII, 93, et Arriano Ind. cap. 4: *Hypasis* Plinio, et Curtio, lib. IX, cap. 1. Et sic apud omnes scriptores legendum monet Holstenius in not. quas Hudsonus dedit. Ultimum enim et itinerum Alexandri terminum dicunt Plinius et Arrianus. *Magarsus* Indiæ fluvius ex Emodo monte descendens. Dionysii exemplaria Megarsum dicunt, sed Eustathius ut Priscianus. Avienus, v. 1350, *Cymander* vertit, de quo suo loco.

1052. *Gangetica tellus* dicitur, quæ est inter Indum et Gangem.

1053. *Terræ Colidis*. Sic græcum Dionysii Κωλίδος αἴης vertit. Salmasius tamen ad Sol. p. 782 ἄκρης ibi legendum censet, quia promontorium est *Colis*, eamque lectionem agnovisse videtur Avienus, v. 1355, *Colidis arcem* vertens, et ipse Dionys. v. 591, κολώνην Κωλιάδα vocat. Est illud promontorium extremum Indiæ Gangeticæ versus meridiem, ex adverso Taprobanes insulæ. Colidis nomen Mela usurpat, III, 7, Coliacum vocat Plinius, VI, 22. Et accolas hujus promontorii Κωνιακοὺς apud Strab. XV, p. 690, Κωλιακοὺς legit Salmas. I. e. Hodiernum nomen ejus *le cap de Comorin*.

1054. *Oceani tangens*, etc. Vide Excurs. V ad calc. huj. carm. Ed.

1056. *Aŏrnin* Pap. et ex meis Ve. I. B. et T. *aornis* C. *aorni* Vi. — *Nomen Aorni*. Locus hic ab affectu nomen sumpsit: nam ab ὄρνεον avis, est ἄορνος, quasi sine ave. Latini Avernum dicunt. Hujus nominis lacus in Italia non procul a Cumis, qui silvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquæ sulphureæ odor gravissimus supervolantes aves necaret, unde et Avernus quasi Aornos. Servius, ad Æn. III, super illud *Divinosque lacus*, etc. C.

1057. *Quam celebrat:* sic L. C. neque differt V. nisi quod *quæ celebrat* habet. Vide notas Pap. *quæ celebrat* quatuor mei vetusti: sed *Hic via quæ nomen celebrat Nyssæa Lyæi* B. et T. — In Aldino libro et hic versus in græci vocabuli νυσσαίην gratiam temere immutatus est. Veram lectionem retinent reliqui libri L. C. V. plane consentientes: nisi quod V. pro *quam* habet *quæ*, minimi momenti discrimine. Quid enim refert, Bacchi nomen via celebrat, an, viam celebrat nomen Bac-

Cui statuas dederat victoria finibus illis.
Hic Tylos est, superans vastæ miracula terræ,
Insula: namque viret cunctis in partibus anni,
Nec foliis nudat ramos autumnus in illa,
Assidueque tenet flores genus arboris omne.
Hic adamas fulget lymphantia pectora sanans,

chi, dicamus? Pap.—*Hic via, quam celebrat.* Viam Dionysiam dicit, quam Dionysius Nyssæam, a Nyssa urbe Indiæ ad Gangem, festis Bacchi orgiis celebratam. Ad quam regio vocabatur Νυσσαίη κέλευθος, quia ibi Bacchus iratus in Indos, sacra sua despicientes, descendit, et Mænadibus Bacchisque in bellum concitatis eos orgia sua ducere docuit. Nyssam quidem urbem, quam fingebant a Baccho conditam, Arrianus, libro V ineunte, inter Cophetem et Indum fluvios ponit; sed secundum Dionysium multo ulterius, et ad Gangem quidem atque extremos fines Indiæ sita fuerit, necesse est, quia post Colidem nominatur, et propinqua columnis Bacchi dicitur.

1058. *Statuas* L. C. V. Sed A. ut solet, *stelas*. Pap. Ita et B. et T. pro more. — *Bacchi statuas.* De his statuis versu 617, supra dictum est. Plures versus de Bacchi sacris prætermittit hic interpres, quos lege apud Avienum, versu 1360, et inde per totum eleganter satis translatos. Camers.

1059. *Hic Tylos.* Quæ de hac insula scribit hic poeta non ex Dionysio, sed Solino sumpta sunt, c. 65, ubi plura adnotavimus ex Plinio et aliis, et disquisivimus cur folia non decidant in quibusdam arboribus. Cam. — *Hic Tylos est.* Mendose ibi codices Lovan. et Leid. scribunt *Hic tellus;* namque rursus hic exscribit et inserit Priscianus, quæ Solinus de Tylo insula refert cap. 52, Salmas. Idem adnotat Papius. Contra omittit, quæ hoc loco Dionysius de orgiis Bacchi in India celebratis memorat, more scilicet suo religiose detestans et ejiciens omnia, quæ paganas superstitiones redolent, et quæ vacua reliquit Dionysii loca, implens miraculis fontium, regionum, lapidum e Solino petitis. Sic autem hic Solinus: « Tylos Indiæ insula est: ea fert palmas, oleam creat, vineis abundat. Terras omnes hoc miraculo sola vincit, quod quæcumque in ea arbos nascitur, numquam caret folio ».

1062. *Flores C. florens genus* Pap. In uno e nostris codd. *Assiduusque tenet flos germen arboris omne.* Huds. —*Assidueque tenet.* Codd. Lov. et Leid. sic scribunt, ut ille Hudsoni, a nobis in var. lect. indicatus. Heinsius sic legi volebat: « Assiduumque tenet flos germinat, arbor et omnis ».

1063. *Hic adamas:* sic L. C. V. Falso A. *Hic fulget lymphata adamas qui pectora sanans.* Pap. Hanc lectionem Aldinæ sequuntur ex meis B. et T. sed *sanat* scribunt. Wd. Hæc de adamante habet ex Solino, c. 52. Huds.—*Hic adamas.* Græci ab hujus lapidis duritie nomen sumunt, ab α priv. et δαμάζω domo, vel supero, quasi lapis indomitus. «Quem, inquit

Et prohibens miseris occulti damna veneni:
Quem minime valeat ferrum superare, nec ignis;
Frangitur hircino maceratus sanguine tantum,
Sed tepido, fractis multis incudibus ante.
Hic juxta positus magnetem viribus arcet
Occultis ferri raptu; vel tractibus ante

poeta, minime valeat ferrum superare, vel ignis ». De eo plura Plin. XXXVII, cap. 4; Solin. cap. 65. Existimat Albert. Mineral. lib. II, adamanta sanguine vel carne hirci mollescere, præcipue si hircus aliquamdiu ante vinum biberit, ac petroselinum, vel suber montanum comederit. Quia talis, inquit, hirci sanguis etiam ad frangendum lapidem in vesica valet infirmis de calculo. Hæc ipse. Solvitur etiam, eodem auctore, plumbo, propter multum argentum vivum, quod in ipso est. Cam. — *Hic adamas fulget*. Solinus, cap. 52: « Indicorum lapidum in adamantibus dignitas prima, utpote qui lymphationes abigunt, venenis resistunt, et pavitantium vanos metus pellunt... Illi, quos primos significavimus, nec ferro vincuntur, nec igne domantur. Verum tamen si diu in sanguine hircino macerentur, non aliter quam si calido vel recenti, malleis aliquot ante fractis, et incudibus dissipatis, aliquando cedunt, atque in particulas dissiliunt: quæ fragmenta scalptoribus in usum insigniendæ cujuscumque modi gemmæ expetuntur ».

1068. Trium versuum, qui sequuntur, tertium *Admotum retrahit*, etc. solummodo habent Ve. C. quæ *Ad motum* scribit, I. et Vi. quæ tamen ci præmittit hunc uncis inclusum, « Hoc præsente nequit magnes adducere ferrum »; quem versum ipse Camers videtur composuisse, quod videret, excidisse aliquid, et desiderari mentionem magnetis. Reliqui mei B. et T. exhibent tres, ut in Langiano invenit Papius, hoc tantum discrimine, quod in secundo, fere ut Papius correxit, scribunt *Occultus raptu ferri*. Wd. — Horum trium versuum tertius tantum in V. exstat, hoc modo: « Admotum retrahi defendens robore miro ». In A. soli primus et tertius, ita: « Hic juxta positus Maguntini (f. magnetem) viribus arcet: Admotum retrahit defendens robore miro ». In L. sic omnes reperiebantur: « Hic juxta positus magnetem viribus arcet Occultis ferrum raptu: vel tractibus ante Admotum retrahit, defendens robore miro ». Quos collato Solini loco, quum plane perspexissem, emendavi in secundo *ferri raptu*; quod adprobavit C. in quo ad verbum, ut edidi habetur: « Hic juxta positus magnetem viribus arcet Occultis ferri raptu: vel tractibus ante Admotum retrahit, defendens robore miro ». Buslidianum nihil hic adjumenti nobis adferre potuit: in quo, quidquid a vs. 1039 sequitur, desideraverimus. Pap. — *Hic juxta positus*. Solinus pergit l. c. « Inter adamantem et magnetem est quædam naturæ occulta dissensio, adeo ut juxta positus non sinat magnetem rapere ferrum: vel si

Admotum retrahit, defendens robore miro.
Hic lychnis lucem simulat splendore lucernæ :
Hinc meruit nomen præclaro lumine dignum.
  Tot sunt per terras vulgatæ nomine gentes.
Nam reliquas quæ mens valeat mortalis in orbe
Dispersas numerare tibi sine numine magno,
Quod bene disposuit terras pontique profundum,
Sideribus variis decorans cælestia templa;
Et multis recreans gratisque coloribus arva,

admotus magnes ferrum traxerit, quasi prædam quamdam adamas magneti rapiat, atque auferat ».

1070. *Admotum retrahit.* Codex Leid. *Ammotum*, Dorv. *Ad motum.* Sed vulgatam lectionem adstruit lectio Solini. — *Admotum retrahit, defendens.* Ausim adserere carmen aliquod hic deesse, quod dicat adamautem juxta magnetem positum non sinere eum ferrum rapere, ut Solin. et Plin. testautur. Substitui igitur immediate ante versum *Admotum retrahit;* etc. carmen hoc, « Hoc præsente nequit magues adducere ferrum ». Mirum de magnete et ferro se vidisse adserit Augustin. de Civit. Dei, XXI, c. 21. Plin. in prol. Nat. Hist. 20, dicit, magnetem etiam allio impediri, ne ferrum trahat, vel tractum prohiberi quominus retineat; ferrum, inquit, ad se trahente maguete lapide, et allio rursus abigente a sese. Cam.

1071. *Hic lychnis :* sic Pap. *Hic lignis* Ve. 1, 2. *Hic ignis* Vi. et I. *lychnis* B. et T. Wd. — *Hic lychnis.* Solinus subjungit l. c. « Lychnitem periude fert India, cujus lucis vigorem ardor excitat lucernarum, qua ex caussa lychniten Græci vocaverunt, etc. » Vid. supra v. 326.

1072. *Lumine :* sic L. optime. Male C. A. V. *nomine.* Pap. Et *nomine* omnes mei : quod mirum, quum error tam manifestus, et lectio absurda sit.

1073. *Tot sunt per terras.* Terminos habitabilis terræ ex parte omni ponit Ptolem. VII, cap. 5. Anaximander « Immensum per inane volans, finemque perosus, Parturit innumeros angusto pectore mundos ». Hinc illud Satyricum pendet, « Unus Pellæo juveni non sufficit orbis ». C. — *Vulgato nomine* in uno e nostris MSS. Huds.

1074. *In orbe:* sic L. C. Male A. V. *orbem.* Pap. Sed *in orbem* omnes mei Papio vetustiores.

1078. *Et multis recreans.* Verba hæc idem sonant, ac si auctor arva multis herbarum et florum coloribus distincta, et grato adspectu recreantia velit dicere. Sed ea non mens est Dionysii, qui hoc loco enarrat, unamquamque terrarum peculiarem suam formam naturamque accepisse, ita ut alia alba vel candida, alia nigrior, alia rubra, alia aliter sit. — *Gratisque :* sic L. C. Male A. V. *variisque.* Pap. Idem *variisque* in meis omnibus, quæ Papium præcesserunt, attamen deterius et superfluum censendum est, quia *multis* præcessit.

Munera per populos tribuens diversa virorum.
Sed vos, terrarum tractus, gaudete per ævum,
Et quæcumque mari circumdatur insula vasto,
Oceanusque simul, necnon penetrabilis unda,
Quam gremio tellus sinuoso suscipit alma;
Et fluvii, montesque, lacus quos continet orbis.
Nam pelagi partes percurri carmine vastas,
Et terræ pariter regiones finibus amplis:
Omnipotens pro quo genitor mihi prœmia donet.

1079. *Munera diversa tribuens.* Quot et quanta sunt Dei erga homines beneficia, *Non orbis totus commemorare valet.* Beneficio enim Dei tribuendum est, quod sumus, quod vivimus, quod cælum terramque conspicimus, quod habemus mentem atque rationem, qua eum ipsum, qui orbem condidit inquiramus. « Quædam (inquit Plin. Hist. Nat. XXII, 14) animalium remediis nascuntur, locupleti divinitate ad generanda præsidia, ut non sit mirari satis ingenium ejus disponentis auxilia in genera, in caussas, in tempora, ut aliis prosit aliud horis, diesque nullus prope sine præsidiis reperiatur ». Notum carmen illud, quod Silianum puto: « Nam cui dona Jovis non divulgata per orbem? » Camers.

1080. *Nunc vos* habent codices Lov. et Leid. et unus Hudsoni *gaudete* græcum χαίρετε exprimit, sed rectius hoc loco fuisset *valete*: nam *gaudete* salutationi et acclamationi votivæ aptum, ut apud Calpurn. I, 36: « Vos o præcipue nemorum gaudete coloni, Vos populi gaudete mei ».—*Sed vos terrarum tractus.* Per prosopopœiam loca, de quibus loquutus est, adloquitur ut sit dictorum omnium brevis epilogus. C.

1082. *Necnon penetrabilis unda.* Intelligit varias partes et sinus Oceani, quibus hic illic terras intrat, et propter quos ipsum Oceanum *penetrabilem* dixit supra vs. 52. Idem vocabulum sæpius adhiberi a Prisciano vidimus de sinu maris ipsaque unda, quæ se aliis rebus insinuat et miscet. Vid. v. 607-621.

1084. *Et fluvii.* Ita C.V. In A. est, *Et montes, fluvii atque lacus:* falso. Pap. Ex meis Aldinæ lectionem tenent B. et T.

EXCURSUS I

AD PRISCIANI PERIEG. vs. 170-173.

Quem calidis juxta terris pascuntur Erembi.
Has pelli similes pardi dixere priores;
Namque solum squalens arces distinguit opacas.
Hac sitis, hac humor latos variatur in agros.

Mira de Erembis narrat Priscianus, e quibus me difficile expediam. Res quidem et sententia congruit cum Dionysio, qui v. 181 memorat, terram Africæ pardi tergori, vel pelli pantherinæ similem perhiberi, propterea quod arida et squalida, hinc inde nigris distincta squamis, sit, κυανῇσι κατάστικτος φολίδεσσιν. Atque hæc Eustathius de Erembis intellexit, quos Dionysius proxime nominat, et dicit in limite Africæ habitare; idemque fortasse Priscianum decepit; sed si Dionysium recte inspicimus, adparet, eum non de Erembis, sed de Africa universa loqui. Sane de Erembis si accipiamus, quæ Priscianus e Dionysio memorare videtur, non una ex ratione ea obscura et absurda videri possunt. Ipsum illud quid sit terræ Eremborum, quod nigris squamis vel maculis pardi adsimilet Dionysius, fateor, difficile perspectu esse. Fortasse foveas et subterraneos specus, in quibus habitabant, hinc et inde dispersos, quod opaci, nigri, obscuri erant, maculis pardi nigris comparavit. Sed hic aliorum Geographorum testimonia desidero, qui Troglodytarum regiones sic suffossas, et foveis obscuris tamquam maculis distinctas, perhibeant. Avienus, qui forte ipse sensum hujus loci Dionysii non adsequebatur, totam hanc descriptionem vel comparationem omisit. Eustathius rationem ejus comparationis adfert, quæ ad intelligendum minime sufficiat: διάφορος γὰρ ἀληθῶς ἡ τοιαύτη γῆ τοῖς χρώμασι, διὰ

τὴν τοῦ ἡλίου ἔκκαυσιν. Quomodo enim ob torrentem solem terra aliqua diversis esse coloribus possit, equidem non satis perspicio : nam idem multis aliis terris, quæ minus torrentur, ob diversam terræ naturam culturamque evenire potest. Quæsivit aliquam rationem comparationis Antonius Becharia, et in incolis ejus terræ, hominibus vario ingenio quasi maculosis invenit (1), nec tamen, quas ipsius terræ nigras squamas dicat Dionysius, ostendere potuit; quippe qui sic vertit : « Hæc enim terra quum homines gignat varii ingenii maculatos, ut pardi, etiam Græci eam παρδαλέην adpellaverunt : magna siquidem ex sui parte siticulosa est admodum et aspera regio, nigrisque passim quasi quibusdam obtecta squamis ». De Prisciano dubium est, ipse in sensu Dionysii exquirendo falsus fuerit, an falsa ejus lectione delusus; certe perperam vertit : *Namque solum squalens urbes distinguit opacas.* Squamis igitur vel maculis pardi, quas dicit Dionysius, similes ait esse urbes Troglodytarum, quibus solum squalens interjacet. In quo hoc primum absurdum est, quod urbes adscribit Erembis, quos Geographi et ipse Dionysius, v. 964 seq. confitentur, non nisi in petris suffossis habitare, omnibus carere possessionibus, et tantum more ferarum oberrare. Deinde si urbes Ereniborum distingui solo vel terra squalente dicit, quid hoc ad designandam proprietatem ejus terræ? siquidem agros urbibus distingui commune est omnibus terris orbis habitati. Denique, quum urbes Eremborum *opacas* dicit, inepte facit. Videtur quidem eo vocabulo græcum Dionysii κυανῆσι exprimere voluisse, et fortasse cogitabat de speluncis et foveis Eremborum, quas omnino opacas dicere poterat. Sed quis unquam urbes, ut ab agris distingueret, opacas dixit? et qui poterat Priscianus hic urbes nominare, quas Dionysius non dixe-

(1) Etenim παρδαλέην inveniens in græco, comparabat illud cum veteri proverbio, quo παρδαλέην ἐνεῖσθαι de homine versipelli, ingenio vario et vafro dicitur (vid. Erasmi Adag.); atque hic igitur de vario ingenio Eremborum cogitabat.

rat, aut specus Eremborum pro urbibus habere? Nulla fere excusandæ translationis illius ratio succurrit, nisi credamus, quod ipsum valde probabile ducimus, Priscianum in Dionysio pro φολίδεσσιν, quod in nostris exemplaribus habemus, legisse πολίεσσιν. Quam lectionem etsi duram et ineptam forte ipse sentiebat, neque tamen mutare aut corrigere audebat, vertit atque expressit, ut potuit, et adjectum κυανῇσι tolerabili pro re subjecta verbo *opacas* transtulit. Interim quum iis verbis rem obscuram et minime probabilem se sentiret e Dionysio referre, studuit eam deinceps molliore aliquo interpretamento exponere. Nam subjicit: *Hac sitis, hac humor latos variatur in agros.* Nam quia Dionysius antea terram Africæ dixerat esse διψηρὴν, siccam et sitientem, hinc varietatem ejus, quam ille pardali similem esse vult, conjiciebat quærendam esse in locorum aridorum et aquosorum interstinctione, atque igitur per *humorem* haud dubie lacus et paludes, aridis locis intermixtas, significat, quas hoc commodius intelligere poterat, quod lacuum cum squamis vel maculis pantheræ haud difficilis comparatio est, et aquosis locis vel lacubus epitheton κυανῇσι optime convenit. Quamquam igitur hæc interpretatio Prisciani, qua φολίδας Dionysii de paludosis locis, aliis aridis intermixtis, intellexit, satis speciosa est, et in Erembos vel Troglodytas, maris accolas, magis, quam illa de urbibus quadrat, urbes tamen ipsæ, quas nominavit, defendi aliorum Geographorum locis videntur, qui illam quarumdam Africæ regionum varietatem, cum maculosa pardi pelle comparatam, attingunt. Strabo inprimis libro II, pag. 130, de illo latere Africæ, quod ad Oceanum est, et ab Æthiopia Ægypto subjecta incipit, e narratione Cn. Pisonis, qui illam provinciam rexerat, refert, pardali similem esse, interpunctam habitationibus, quæ terra deserta et aquarum inopi circumdentur, additque hujusmodi habitationes ab Ægyptiis vocari Αὐάσεις, quomodo scribendum est auctore Stephano de Urbibus, qui totum locum Strabonis exscripsit. Ἔστι δὲ, inquit

Strabo, ἐοικυῖα παρδάλει· κατάστικτος γάρ ἐστι ταῖς οἰκήσεσι περιεχομέναις ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ γῇ· καλοῦσι δὲ τὰς τοιαύτας οἰκήσεις Αὐάσεις οἱ Αἰγύπτιοι. Locus hic Strabonis tam similis verbis est isti Dionysii, ut ab hoc usurpatus et exscriptus videatur. Atque ex ejus comparatione hoc primum intelligo, Dionysio, ut Straboni, sermonem esse de Æthiopia, et de parte Africæ, quæ Orientem spectat et Oceanum attingit, non de Erembis, quos quidem versu proximo, sed tamen in transitu, nominavit. Fallitur ergo Jos. Scaliger in notis ad Manil. p. 316, quum adserere videtur, totam Africam πάρδαλιν vocatam, quod loca habitata, desertis undique obsessa, tamquam maculas, habeat, et Dionysium de Libya loquentem id ipsum memorare. Idem vero adfirmat, quod verum est, Eustathium, quod de Libyæ parte Dionysius dixerat, ad γῆν Ἐρεμβῶν imprudenter retulisse, ejusdemque culpæ adfinem esse Priscianum. Quando igitur hic φολίδας Dionysii *urbes* vertere ausus est, excusari quidem eo potest, quod esse in Africa οἰκήσεις vel habitationes, desertis regionibus, tamquam maculas, distinctas legerat, eoque πολίεσσιν scriptum esse putaverat, sed in hoc tamen peccavit, quod de Erembis loquens, his aptas esse urbes credidit. Quod enim alii scriptores de Æthiopia et vicinis Ægypto terris recte tradunt, etsi hi non urbes integras, sed ædificia, οἰκήσεις desertis locis circumdatas memorant, id de Erembis, urbes et fixas habitationes ignorantibus, minime valebat. Quamquam adhuc magis vel excusari vel emendari Priscianus potest, si, quod editiones plurimæ præferunt, versu 171 legamus *Hos pelli similes*, et ad *Æthiopes*, quos versu 169 nominavit, referamus. Nam de Æthiopia hoc ipsum, quod Priscianus dicit, Strabonem memorare vidimus. Cæterum ut de nomine, quod Strabo tradit locis istis, solitudine et vacuo solo circumseptis, ab Ægyptiis datum esse, nonnihil addamus, nomen *Auasis*, ut Ægyptium, Bochartus in Phaleg. lib. IV, c. 29, ex Arabico derivat, et domum notare ait, quam loca siticulosa ambiunt. Sed Strabo alio loco, lib. XVII, pag. 791, hu-

lentius describit: Αὐάσεις δὲ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι τὰς οἰκουμένας χώρας, περιεχομένας κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις, ὡς ἂν νήσους πελαγίας. Tres ejusmodi Auases per Africam esse Ægypto vicinas, eodem loco scribit. Alii *Oasin* scribere solent, quod idem est, ut Herodotus, lib. III, 26, et Ptolem. IV, 5. Quo nomine duæ inprimis celebrantur, Oasis magna et parva, quæ et superior inferiorque dicuntur, erantque ipsæ quidem urbes satis magnæ, sed vastis solitudinibus et regionibus arenosis inclusæ, ut non nisi difficillime et multorum dierum itinere adiri possent. Describit circumjectos Oasis campos, desertos et arenosos, Zosimus, Hist. lib. V, cap. 9. Propterea et insulæ sæpe dicebantur, et in eas tamquam insulas deportari damnati solebant, cujus rei nonnulla exempla in historia prostant. Urbes igitur quum fuerint Oases, et præcipua exempla locorum ab aliis terris disjunctorum, quos propter παρδαλῆν vocatam Africam Strabo et Dionysius testantur, Priscianus quidem non prorsus erravit, qui urbes in iis locis nominavit, sed erraverit tamen haud dubie, qui omnes locos sic disparatos urbes fuisse existimet. Strabo enim quum οἰκήσεις fuisse scribit, quas Ægyptii Oases adpellabant, sine dubio habitationes singulares, et domos solitarias intelligit, quæ, quia per vastas et arenosas Africæ regiones raræ erant terræ culturæ aptæ, et integrarum civitatum capaces, propterea separatæ et passim dispersæ, in Æthiopia maxime, et in partibus Africæ calore solis damnatis, comparebant. Aliter enim vix satis convenerit his terris similitudo pellis pardi, maculis ubique distinctæ. Neque necesse est, ut tantummodo locos arenis circumseptos intelligamus. Nam etiam aquosi et paludibus cincti esse potuerunt, qui ita seorsum habitabantur. Certe Sozomenus, Historiæ Ecclesiasticæ scriptor, lib. VI, cap. 20, ubi Macarios monachos in quamdam Ægypti insulam, qua non alia, quam Oasis, intelligenda est, relegatos memorat, insulam fuisse scribit undique paludibus cinctam, ut in eam navigandum esset. Nec plures ejusmodi insulas in Africa fuisse dubitari potest, et Priscianus igitur haud

inepte fecit, quod agros pelli pardi adsimilatos dixit hac siticulosis, hac humidis locis variari.

EXCURSUS II

AD PRISCIANI PERIEGESIN, v. 194.

Exstinctis populis Nasamonum marte Latino.

Nasamones populus Libyæ, ad Syrtes, a Cyrenaica ad occasum, ut collocat Strabo, lib. XVII, p. 576. Illi prædari naves Syrtibus involutas, et rapto vivere soliti, ut testantur Lucanus, IX, 438; Curtius, IV, 7, n. 19; Silius Ital. lib. I, 408, et lib. III, v. 320:

> Hinc coit æquoreus Nasamon invadere fluctu
> Audax naufragia, et prædas avellere ponto.

Hos a Romanis deletos Dionysius versu 210, ex eoque Avienus pariter ac Priscianus indicant; sed quam Dionysius caussam interitus addere videtur, cultum Jovis ab iis neglectum, uterque interpres, quod mirum, omisit. Hunc quidem contemptum Jovis Eustathius declarare aliqua commemoratione de eorum religione videtur, quando refert, solere Nasamones singulari veneratione manes προγόνων suorum prosequi, ita ut monumenta eorum adeuntes inde responsa monitu somniorum petant; immo omnes, qui inter se justissimi vixerint, summopere honorare, et per mortuos tactis eorum tumulis dejerare. Quæ omnia Eustathius ex Herodoto hausisse videtur, qui libro IV, c. 172, hæc ipsa de Nasamonibus refert. Sed quod Herodotus Nasamonibus, id Augilis eorum vicinis tribuit Mela, lib. I, c. 8, 52, quem

Plinius et Solinus sequuti sunt. « Augilæ, inquit, manes tantum Deos putant : per eos dejerant : eos ut oracula consulunt, precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. » Errasse autem videtur Mela et Herodotum oscitanter legisse, qui ante de Nasamonibus narrat, solere eos sub æstatem relictis ad mare pecoribus ad locum Augila nominatum adscendere, decerptum palmulas, easque tum ad solem siccare, ut comedant. Quod igitur Herodotus dixerat Nasamones ad Augilas adscendisse, Mela, quæ ille deinceps narrare pergit de Nasamonum religione, de Augilis accepit (1). Similiter religionem eorum attingit Tertullianus, lib. de Anima, cap. 57 : « Nam et Nasamonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, ut Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus ». Neque vero satis accurate Mela et Plinius de Augilis sive Nasamonibus judicant, tantum inferos vel Manes Deos ab iis coli. Hoc enim Herodotus ipse non tradit, neque si Nasamones optimorum apud se virorum manes venerati sunt, propterea Deos superos contempserunt. Perperam igitur fecerunt, puto, qui quem Dionysius Nasamonibus contemptum Jovis tribuit, hunc declarari et confirmari adductis Herodoti, Melæ et Plinii locis existimarunt, e quibus Herodotus Nasamonibus nullum plane contemptum Deorum impingit, Mela autem cum Plinio sententiam Herodoti temere perverterunt. Neque omnino credibile est, Dionysium verbis hisce, Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας, Nasamones universe ut impios et contemptores Deorum designare, siquidem ea re caussam adlegat, cur armis Romanorum deleti sint. Constat enim, nullam Romanos curam cærimoniarum et rituum, quos gentes subjectæ sequerentur, habuisse, nullum cuiquam populo bellum movisse propter religiones. Meliorem

(1) Vossius tamen in Observ. ad Melam contendit, non errasse Melam, sed Augilas, quos ille dicat, esse Nasamones, et Augila vel Ægila oppidum Nasamonum.

itaque Eustathius verborum eorum interpretationem, et probabiliorem Nasamones delendi caussam adfert, quum ait, perditos esse armis Ausoniis ἀδίκων χειρῶν κατάρξαντας, quod injustum facinus ausi essent. Nam aliquando ducem Romanum ibi advenientem dolo interfecisse, et propterea a Romanis esse sub jugum missos. Quam narrationem Eustathii, quia manca et obscura est, ut satis illustremus, duo nobis quærenda videntur, quis dux a Nasamonibus et qua de caussa cæsus, et quando a quibusque expeditio contra eos suscepta; deinde, an verba Dionysii ad eventum eum respiciant, videndum. Nihil ea in re declaranda juvant veteres Dionysii interpretes. Avienum et Priscianum jam diximus verba ea, tamquam rem sibi difficilem explicatu, plane prætcriisse. Antonius Becharia fabulam antiquam e verbis Dionysii fingit, eaque inscite vertit: *perditis prorsus Nasamoniis, quos tradunt ab Ausonio Jovis filio fuisse interfectos, cujus patrem contemnerent.* Jo. Camers, ut verba Prisciani *exstinctis marte latino* explicet, adjicit: *Id autem factum est per Balbum Cornelium, eo quod Lentulum ducem trucidaverant.* Sed nullum facti ejus testem citat, unde plenior eorum, quæ brevissime significat, ratio et historia intelligatur; et plane adparet, Camertem, ne nihil omnino super re obscura dixisse videretur, Romanos aliquot illustres, quibus rem gestam attribueret, temere ex historia Romana abripuisse, quos sciret, si non de Nasamonibus, saltem de aliis et vicinis Africæ populis famam atque nomen retulisse. Cornelium Balbum, Gaditanum, sub Augusti principatu de Garamantibus triumphasse, auctor est Plinius, Hist. Nat. lib. V, cap. 5. Cn. Lentulum Cossum ob victoriam de Gætulis cognomen Gætulici tulisse, memorant Tacitus, Ann. IV, 44; Vell. II, 116; Florus, IV, 12, 41; idemque tenuit filius ejus Lentulus Gætulicus, quem Caius Cæsar jussit occidi. Dio Cass. lib. LIX. Neque vero aut Balbo huic et Lentulo, aut aliis ejusdem nominis viris, uspiam legi aliquid negotii cum Nasamonibus fuisse. Felicior in Eustathii narratione declaranda fuit Salmasius, qui in Exercitt. Plin. ad Sol. pag. 292 edit. Traject. Nasamones sub Domitiano propter

rebellionem a Flacco, prætore Numidiæ, cæsos esse, ex Eusebio et Zonara probat. Græca quidem Eusebii in Chronico, Olymp. 216, habent: Δάκες καὶ Νασαμῶνες ἐπαναστάντες Ῥωμαίοις διεφθάρησαν. Zonaras autem latius narrat, Annal. tom. II, p. 197, edit. Basil. 1557, gentes multas Romanis tributarias, et in his Nasamones, sub Domitiano rebellasse, exactores tributorum trucidasse, et Flaccum præsidem Numidiæ cum exercitu advenientem superasse, ita ut castra etiam diriperent. Postea ab eodem Flacco ad internecionem excisos esse. Ἐφ' οἷς ἐπαρθεὶς Δομετιανὸς εἶπε πρὸς τὴν βουλὴν, ὅτι ἐκώλυσα Νασαμῶνας εἶναι. Paullum quidem diversa hæc Zonaræ ab Eustathii relatione sunt, quæ tamen videntur haud difficulter posse conciliari, si præsertim alios scriptores idem memorantes haberemus. Cæterum Salmasius subjicit, propter rebellionem istam Dionysium Nasamones Διὸς οὐκ ἀλέγοντας dixisse. Quod mihi obscurius dictum, certa ratione non satis declaratum videtur. Si Dionysium putat impietatem et contemptum Deorum pro caussa rebellionis Nasamonum habuisse, nulla ratio adparet, cur Jovem solum nominarit. Et plenarium Deorum omnium contemptum Nasamonibus falso adscribi, supra ostendimus. Sed Jovem nominavit, eumque contemptum dixit, quod Nasamones majestatem Imperatoris Romani, jus hospitii, et legatorum sanctitatem violaverant, si quidem verba Eustathii significare videntur, ducem aliquem Romanum legati loco ad Nasamones venisse, ab iisque dolo interfectum esse. Solebat autem Jupiter pro tutore regum, pro vindice hospitum et legatorum haberi. Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, inquit Callimachus, hymn. in Jovem, v. 79, et de Jove Xenio vel Hospitali Homerus, Odyss. IX, vs. 270

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε, ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Dionysius igitur more poetarum loquutus est, et Nasamones dignitatem Principis Romani et legati ejus spernentes dixit Διὸς οὐκ ἀλέγοντας· nisi per τὸν Δία ipsum Imperatorem Romanum intellexit more poetarum sequioris ætatis, atque ejus,

cujus æqualis Dionysius fuit, Oppiani, qui in principio Cynegetici Antoninum Caracallam Αὐσονίου Ζηνὸς θάλος, propaginem Ausonii Jovis, adpellat. Confer adhuc de Nasamonum excidio sub imperio Domitiani Henr. Dodwellum, Diss. de æt. et patr. Dionysii, § 2 seq.

EXCURSUS III

AD PRISCIANI PERIEGESIN, v. 365-367.

Post hæc est Sybaris, periit quæ numinis ira,
Præponens hominum tumulos cælestibus aris:
Poscere qui Pisis ausi certamina soli.

Singulare et memorabile Sybaritarum fatum cum caussis suis indicat Priscianus, quas quia nec ab Eustathio, Dionysii interprete, nec a recentioribus eruditis, qui ad hunc locum delati sunt, satis cognitas et declaratas video, nunc ex Veterum monumentis paullo exponam diligentius. *Periit Sybaris*, inquit Priscianus, et *infelix Sybaris gemit incolas suos interemptos*, dicit Dionysius,

Δειλαίη Σύβαρις ναίτας στενάχουσα πεσόντας.

Cladem igitur magnam eorum et calamitatem exitiosam significat, quæ, si Strabonem et Diodorum Siculum (1), qui de Sybaritarum fatis inprimis retulerunt, consulimus, tanta omnino tamque pertinax fuit, ut civitas eorum, quum primum a Crotoniatis penitus cæsa et ad solitudinem redacta esset, mox cum reliquiis et auxiliis suis paullum renascens, sæpiusque ab aliis oppressa populis, per varias vicissitudines

(1) Strabo, lib. VI, pag. 263; Diodor. Sic. Bibl. Hist. lib. XII, pag. 294 seq.

opes, locum, ipsumque nomen perderet. Ubertate soli sui et abundantia omnium rerum beati, et in summam luxuriam æque ac superbiam prolapsi, quum Crotoniensibus trecenta armatorum millia ducentes bellum intulissent, ab horum exercitu multo minore ad internecionem usque deleti sunt. Qui ab ea clade supererant, et cum aliquot Thessalis in civitatem reverterant, denuo pulsi ejectique a Crotoniatis sunt. Post auxiliis et supplementis e Græcia petitis civitatem in alium vicinum locum transferre oraculo jussi, Thurium urbem nominaverunt; sed discordia intestina a civibus suis novis dissidentes, mox ab iis ipsis, quos in societatem adsciverant, Græcis protriti sunt. Hinc Thurii prospera per aliquod tempus fortuna usi, tandem a Lucanis in servitutem redacti sunt, mox etiam Bruttiis et Tarentinis eos opprimentibus, ad Romanos confugerunt, qui Thuriis valde attritis novos colonos miserunt, urbemque Copias vel Copiam nuncupaverunt. Sic continuis fere per multa tempora calamitatibus adflicti Sybaritæ, infortunatæ, ut Dionysius vocat, gentis exemplum fuerunt. Prima tamen clades a Crotoniatis accepta, ut superior omnibus et sequentium fons fuit, ita maxime a Dionysio respicitur. Modus autem, quo conflata eis pernicies, diverse traditur. Strabo scribit, quum eorum civitas duobus interjecta fluviis, Crathide et Sybaride, esset, Crotoniates captam urbem immisso flumine aquis obruisse. Diodorus autem narrat, ingente Sybaritarum exercitu, quo tota eorum juventus continebatur, in aciem educto, cæsos omnes quum in prælio captos, tum in fuga comprehensos, nec ulli vitam concessam; urbem deinde, fœde direptam, victores in solitudinem redegisse. Memorat præterea Eustathius, qui hoc fortasse ex Æliano habet(1), callidum Crotoniatarum consilium immani huic prælio adjunctum, quo adpareret, Sybaritas non modo ira hostium et ultionis furore, sed suo ipsorum ingenio suisque artibus periisse. Nam quum Sybaritæ inter alia luxuriæ et deliciarum inventa equos adeo suos saltare ad modos ti-

(1) De Animal. lib. XVI, cap. 23.

biarum adsuevissent, hoc scientes Crotoniatæ commissa acie tympana, cymbala, tibias, et quæcumque alia concitare saltandi furorem possunt, inter arma adhibuerunt, quibus auditis bacchari equi et choros agere cœperunt, sessoresque suos excutere et trucidandos hostibus præbere. Sed quæ de exitio Sybaritarum diverse tradi a Strabone et Diodoro videntur, copulanda potius et pro conjunctis habenda sunt, quemadmodum enarravit celeb. Heynius, qui quæ ad historiam et fata Sybaritarum pertinent, ex ipsis fontibus ducta accurate exposuit (1). Strabo enim eorum, quæ Diodorus memorat, eventum et complementum prodit, adeoque significat, Crotoniatas Sybaritis in prælio ad internecionem cæsis, urbem Sybarim, jam viris vacuam, adortos diripuisse, et solo æquasse, et ruinis demum flumen Crathim immisisse, ut ipsa adeo vestigia urbis delerentur. Atque hoc excidium Sybariticæ rei publicæ Strabo confectum esse scribit intra septuaginta dies, facto nempe initio a bello Crotoniatis indicto.

Caussam tantæ calamitatis, quæ Sybaritas oppressit, Dionysius adscribit iræ Jovis concitatæ, Διὸς μέγα χωσαμένοιο, v. 372. Priscianus simpliciter *numinis iram* adpellat, sive quod Jovis nomen, ut Christianus scriptor, aversatus est, sive, quod crederet, non solius Jovis, sed aliorum etiam, qui pro numine coluntur, indignationem Sybaritas meruisse. Certe ille statim contemptas ab iis cælestium aras pro caussa exitii memorat, quam Dionysius ipse non profert, Priscianus ex aliis scriptoribus contulit :

Præponens hominum tumulos cælestibus aris.

Quo flagitio talem contemptum cælestium prodiderint Sybaritæ, narrat Eustathius in commentario, et, e quibus ille hausit fortasse, Athenæus, lib. XII, p. 520, et Stephanus de Urb. v. Σύβαρις. Quod quum dudum ad hunc Prisciani versum Joannes Camers attulerit, ego nunc uberius exponere supersedeo. Respicit autem Priscianus verbis suis,

(1) Opusc. Acad. vol. XI, pag. 137.

et quodammodo repetit oraculum, quod Sybaritis olim, de fortuna sua per legatos consulentibus, ab Apolline datum fuerat, beatos fore atque opibus deliciisque suis perpetuo usuros, donec mortalem Deo præposuerint. In ea legatione Delphos missa fuit Amyris quidam, proverbio notus Ἄμυρις μαίνεται, de quo Suidas refert in h. v. quum conspicatus aliquando esset servum ad ædem sacram flagris cædi, ac post ad monumentum patris ejus, a quo cædebatur, confugientem absolvi, memorem oraculi, quod datum erat, et exitium, quod inde urbi immineret, præsentientem, venditis possessionibus suis in Peloponnesum abiisse, et propterea pro insano a Sybaritis habitum. Simile plane facinus Ælianus, Vet. Hist. lib. III, c. 43, memorat de citharœdo publico per seditionem Sybaritarum ad aram Junonis cæso. Quod nisi idem cum facto ab aliis memorato est, et servus cum citharœdo, in quo publicum adeo scelus commissum erat, permutatus, certe hoc eodem tempore evenit, et extremum superbiæ et contemptionis Deorum documentum est, qua Sybaritæ sibi et bellum cum Crotoniatis, et ultimum exitium adtraxerunt. Nam ut alii servum ad aram Junonis flagellatum, ita Ælianus citharœdi in eodem templo cædem, memorat, brevi post tempore insequutum esse bellum exitiosum. Stephanus de servo loquens, illico ait statuam Junonis aversam esse; Ælianus, facta citharœdi cæde, sanguinem in templo Junonis visum instar perennis fontis scaturire. Atque idem addit tum novum oraculum Sybaritis, Delphos mittentibus, a Pythia datum, quod vindictam Deorum certo adfuturam, et nulla ratione avertendam, comminaretur. Et sane bellum exitiosum a violatis Junonis sacris et accepto oraculi responso non longe abfuisse, velim equidem libenter cum Heynio l. c. exinde colligere, quod Amyris, qui in legatione supra memorata fuit, eventum responsi Delphis relati, ut ex Suidæ narratione perspici potest, videtur vivendo adtigisse. Itaque minus placet sententia Perizonii in Æliani l. c. qui existimat intestinum illum tumultum Sybaritarum, quo citharœdus occisus est, post cœptum jam bellum, et acceptam a Crotoniatis cladem

accidisse. Hac enim efferatos Sybaritas in Telyn, qui tyrannidem adfectaverat, et auctor ejus belli fuerat, ejusque satellites, impetum fecisse, et citharœdum, tum simul occisum, haud dubie in partibus et inter adjutores Telyos fuisse, quos constet sublata ejus tyrannide omnes, in ipsis etiam aris, ad quas confugerant, occisos esse. Etsi vero concedere velim, seditiones et tumultus post cladem a Crotoniatis acceptam oriri potuisse in urbe deserta et civibus vacua, et Telyn tum demum per factionem, non ipso bello, quod suaserat, periisse; nescio tamen, quæ ratio nos cogat statuere, seditionem populi, qua occisum esse citharœdum Ælianus scribit, non aliam fuisse, quam quæ post bellum infeliciter susceptum in Telyn ejusque partes coorta est. Ælianus nihil ejus rei memorat, contra scribit, propter ipsum citharœdum cives seditione commotos discessisse in partes, et arma adversus semet ipsos cepisse, quo facto ille in aram Junonis confugiens a partibus interfectus est. Constat autem, in civitate spectaculis et ludis publicis dedita, contraria populi in histriones, ludiones, citharœdos studia quot quantasque haud raro seditiones concitarint; et in urbe Sybaritica, quæ licentia, luxu et petulantia præ aliis infamis fuit, credere par est, haud minus crebros ejusmodi tumultus accidisse, quam Romæ, ubi factiones propter histriones sæpe exortas, et cædes adeo factas, hic locus Suetonii doceat, in Tiber. cap. 37: « Populares tumultus exortos gravissime coercuit; et, ne orirentur, sedulo cavit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum, et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit ». Seditionem igitur Sybaritarum, per quam periit citharœdus ab Æliano memoratus, verisimile est e discordia et dissidentibus populi in eum studiis ortam esse, atque adeo ante bellum eoque tempore accidisse, quo populus luxurians pro more conviviis et ludis, in quibus canebant citharœdi, plurimum indulgebat.

Alteram caussam exitii Sybaritarum, et commotæ adversus eos iræ Numinis, hanc Priscianus, præeunte Dionysio, refert, quod homines fuerunt,

Poscere qui Pisis ausi certamina soli.

Exprimit hunc versum Dionysii : Μηναμένους ὑπὲρ αἶσαν ἐπ' Ἀλφειοῦ γεράεσσι, tam quidem accurate et vere, ut, quum alios interpretes, Eustathium nimirum et Avienum, videam sensum ejus minus assequutos, tanto magis Prisciani dexteritatem et scientiam mirer. *Certamina Pisarum* vocat, quæ Dionysius Ἀλφειοῦ γέρατα, eo nempe sensu, quo certamina pro præmiis in certamine propositis dicuntur, ut factum a Virgilio, Georg. II, 530 : « Velocis jaculi certamina ponit in ulmo », quocum loco conferatur alius Æn. V, 66. Pro Ἀλφειοῦ Priscianus *Pisis* posuit, quia certamina Olympica, quæ significat, Pisis ad Alpheum fluvium celebrata. Quoniam Virgilius locis citatis *ponere certamina* dixit, hinc correctores quidam idem a Prisciano scriptum putaverunt, atque igitur ediderunt *Ponere qui Pisis.* Sed *poscere* omnino verius, quod libri manu exarati omnes, et præstantiores excusi habent, respondetque verbo Dionysii μηναμένους. Μαίνεσθαι autem, ut Latinorum *insanire*, quia improbum, enorme et impudens studium circa rem aliquam significat, in eum sensum verbo *poscere* Priscianus haud inepte usus est, quod ipsum Latini de voto immodico et improba flagitatione rei parum nobis aptæ usurpare solent. Quomodo Virg. Æn. XII, 350, de Dolone : « Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus ». Etenim hoc significare Dionysius vult, hoc insanum et superbum studium Sybaritarum fuisse, ut ludorum Olympicorum magnificentiam non modo æmulari, sed et poscere sibi et vindicare vellent, majoribus apud se, quam Pisis fiebat, præmiis in certamine propositis, quasi in Jovis, cujus honori ibi instituebantur, contemptum et injuriam. Sensus hic Dionysii Eustathium ejus interpretem plane fugit, qui γέρατα Ἀλφειοῦ explicat ἀναθήματα vel κειμήλια in templo Alphei fluvii in Peloponneso recondita, quibus diripiendis atque usu profanandis Sybaritæ sacrilegium commiserint. Ubi quoniam Ἀλφειοῦ Dionysii quo spectaret, non intelligebat, nec de Pisis fluvio isti adjacentibus cogitabat, absurde commentus est aliquod templum Alphei fluvii, quod fortasse nusquam exstitit; e

γεράισσι finxit donaria, quæ in isto templo reponerentur; denique ut doceret, cur propterea Jupiter iratus Sybaritis diceretur, necesse habuit, donaria ista sacrilegio ab iis compilata prodere. Hæc, quamvis falsa et inepta, adoptavit tamen et repetiit paraphrastes Græcus, ab Hudsono ad calcem Dionysii editus, ita ut alter alterum exscripsisse videatur. Utrique fortasse ansam talia fingendi vel opinandi præbuit illud, quod apud Pausaniam, lib. VI, c. 19, legitur Sybaritarum thesaurum donariorum vel cimeliarchium, ut aliarum gentium, quæ ibi memorantur, Olympiæ fuisse. Hoc itaque forte donariis majorum refertum, ut crimen aliquod Jovis ira dignum reperiret, credidit a Sybaritis luxu et avaritia perditis expilatum esse (1). Non melius sensum Dionysii percepisse videtur Avienus, cujus certe interpretatio tam concisa et obscura, forte etiam corrupta est, ut videatur hunc locum, quod eum ipse non satis intelligebat, quam brevissime levissimeque perstringere voluisse. Ita vero ille, v. 520,

> Nec minus (sic lego) exciti post flumina dira tonantis
> Infortunatæ Sybaris vicina ruina est.

Horum versuum perplexam sententiam si quodammodo explicare conamur, videmus, Avienum, quod Dionysium non intelligeret, singulares excidii Sybaritarum caussas adferre, ab aliis scriptoribus, non ab ipso Dionysio memoratas, aut ipsum finxisse plane falsas. Sententia, verbis non mutatis, hæc esse videtur: Prope etiam est urbs Sybaris, quæ nunc in ruinis jacet, infortunata olim et perpetuis calamitatibus oppressa, postquam flumina dira experta est, quæ ei, exciti, ad ultionem provocati, Jovis iram denuntiabant. *Flumina dira* intelligi possunt aut ea, quæ Strabo memorat a Crotoniatis victoribus immissa ad urbem penitus delendam, aut flumina sanguinis, quæ auctore Æliano, post cædem citha-

(1) Obiter adjungimus interpretationem Antonii Becharlæ, qui verba Dionysii rursus alium in sensum flexit: « Infelix Sybaris deplorasse dicitur, ob iratum Jovem adversus ipsius cives, quod fuissent admodum debacchati in Alphei sacris ».

rœdi in templo Junonis factam, ibi prorupisse feruntur, et Sybaritis diras imprecari visa sunt. Facile est, et tentarunt nonnulli, dubium illud et obscurum *flumina* mutare in *fulmina*, nec improbabilis hæc conjectura, quia de Jove sermo est, isque *excitus* dicitur, quod de Jove Elicio potest accipi. Fortasse enim credidit Avienus, quod iratum Jovem legebat Sybaritas perdidisse, voluisse hos pro arrogantia petulantiaque sua tonitrua Jovis vanis quibusdam artibus imitari aut provocare, et propterea Jovem veris eos fulminibus perculisse, ut de Salmoneo, Elidis rege, alias fabulantur poetæ. Sed si ita scripsisset Avienus, consequeretur inde, voluisse eum poetico more diffingere facta contra historicam veritatem. Nam igne cælesti deletam esse Sybarim, nemo scriptorum veterum memoravit; nisi velis per fulmina Tonantis metaphorice quamlibet Jovis irati et destruentis vim designari. Ego vero nolim temere mutare *flumina*, idque verbum arbitror præsidium aliquod in textu Dionysii ab Alpheo fluvio ibi nominato habere. Nam Avienus, qui fluvii nomen ibi videbat, cætera a Dionysio dicta non capiebat, videtur existimasse, prodigia aliqua vel in ipso flumine Alpheo, vel a Jove Olympio, qui apud Alpheum colebatur, evenisse, quibus ira ejus adversus Sybaritas esset patefacta; quæ opinio hoc facilius obrepere Avieno potuit, si fortasse pro γεράεσσι legit, aut legendum putavit τεράτεσσι. Quocumque autem modo locum hunc vel interpretari, vel emendare velimus, manet quædam obscura ambiguitas, quæ prodat, Avienum, qui mentem Dionysii non intelligeret, torsisse se, et nonnulla subobscure et obiter dixisse, quæ verba Dionysii qualicumque modo reddere viderentur. Mirum autem est, veram irati Jovis et exitii Sybaritarum caussam tantopere ignorari Dionysii interpretibus potuisse, quum non obscuram aliis, nec parum celebratam fuisse, facile locus Scymni Chii in Periegesi, v. 349 seqq. ostendat, qui tam aptus sententiæ Dionysii explicandæ est, ut hæc tamquam compendio reddere narrationem vetustioris Periegetæ videatur. Narrat vero Sybaritas adfluentia omnium rerum et felicitate sua supra humanum modum elatos fuisse,

ut studerent adeo certamina Olympica et Jovis honores, alio certamine gymnico apud se instituto, tollere. Quod enim illud eodem tempore, quo Elei, et majoribus etiam præmiis propositis, peragerent, voluisse eos hac ratione efficere, ut iis adlecta multitudo ad se concurreret, deserta Græcia. Eadem Athenæus ex Heraclide Pontico refert libro XII, p. 521 extr. Et his testimoniis satis declaratum Dionysii et Prisciani locum esse arbitror.

EXCURSUS IV

AD PRISCIANI PERIEGESIN, v. 682.

Hic Camaritarum gens est, carissima Baccho.

Nomen Camaritarum ignorant, quantum ego rescire potui, Geographi alii. Eustathius id datum genti putat ob naviculas vel lembos leves et exiles, quibus ad prædandum in mari utebantur, quasque Græci καμάρας vocabant. Describit eas, et Heniochis ante memoratis tribuit Strabo, lib. XI, pag. 495: describit etiam Tacitus, et in usu Ponticarum gentium esse memorat Histor. lib. III, cap. 47 (1). Sed Dionysius Camaritas ab Heniochis manifeste distinguit v. 700 seqq. neque eos nomine tenus confudisse videtur, qui Camaritas dicat Bacchum, olim ab Indis redeuntem, hospitio excepisse, eique choros celebrare, et ab eo valde

(1) Verba Taciti hæc sunt: « Quin et Barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus (*camaras* vocant) arctis lateribus, lata alvo, sine vinculo æris aut ferri connexa: et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur ».

amari. Hæc enim vix videntur Heniochis, genti feræ et tantum e prædationibus maritimis viventi, convenire. Igitur ob Bacchi cultum Camaritis a Dionysio tributum Jo. Camers probabilius eos ad fluvium Callichorum coluisse putat, quem adducto loco Valer. Flacci, Argon. lib. V, v. 74 seqq. demonstrat maxime celebratum ea fama fuisse, quæ ad ejus ripas Bacchum, ab Indis devictis redeuntem, primos agitasse choros et thyasos ferebat. Addamus Ammiani Marcellini verba, lib. XXII, cap. 8, p. 339 : «Prætercursis partibus memoratis, Aulion antrum est, et fluenta Callichori ex facto cognominati, quod superatis post triennium Indicis nationibus, ad eos tractus Liber versus, circa hujus ripas virides et opacas orgia pristina reparavit et choros : Trieterica hujusmodi sacra quidam existimant adpellari». Idem statim pergens «Post hæc confinia Camaritarum pagos celebres», et Phasin fluvium, et Colchos esse dicit : mox Dioscuriada civitatem, ejusque auctores Spartanos, denique et Achæos, Cercetas et Cimmerios ordine fere eodem, quo Dionysius, nominat. Qua in relatione Ammianus uti Dionysium habuisse ante oculos videtur, ita ejusdem commemorationem haud leviter illustrare, simul et Camertis conjecturam de Camaritis quodammodo adjuvare potest. Nam quod Ammianus Bacchi cultores, Callichori accolas, in confiniis Camaritarum collocat, hinc videmus non absurde Camertem judicasse, qui Dionysium putavit Camaritarum nomine ipsos illos Callichori accolas indicasse. Contra tamen, quod eos distinguit Ammianus, nec Camaritis eos ritus in Bacchi orgiis celebrandis tribuit, quos Dionysius, videmus illum veriora tradere, et Dionysii hac in re erratum notare voluisse. Hactenus quidem ille cum Dionysio errat, quod Camaritas populum nominat, qui nullus fuisse videtur ; interim quum fluvium Callichorum, ad quem actos Bacchi choros dicit, quos Dionysius Camaritis tribuit, ea in regione collocat, quæ longe disjuncta a gentibus est, quibus Camaritas accenset Dionysius, ea re rationem aperit, qua cognoscere errorem ab ipso Dionysio commissum, et inquirere ejus caussas possimus. Dionysius Camaritas, ho-

spitio Bacchi celebres, in isthmo Caspii maris et juxta Iberos collocat; Ammianus Callichorum fluvium inter eas terras ponere videtur, quæ inde a Bosphoro Thracio in dextra ora Ponti Euxini (vel latere Asiæ) versus ortum jacent; et alii, qui ejus mentionem fecerunt, diserte eum dicunt esse in Paphlagonia, circa Chersonesum Acherusiam, et urbem Heracleam, ut Scylax, Scholiast. Apollonii ad lib. II, n. 43, et, quem supra citavimus, Valer. Flaccus. Quo pacto quum error Dionysii satis adpareat, qui Callichorum ad Iberos usque versus Orientem promovit, ejusque accolas Camaritas finxit, jam ejus caussas adferre convenit, quas si quærere diligentius volumus, fortasse has reperiemus veras aut verisimiles. Scilicet quia ad fluvium Callichorum terminus et requies Bacchi ab expeditione Indica statuebatur, hinc videntur etiam nomina quædam locorum et gentium ex India in has regiones translata. In ora maris Erythræi et ad sinum Gangeticum nonnulla loca et emporia memorantur, quæ nominibus imitantur alia ad Pontum Euxinum. In his nunc maxime nomino *Colchos* urbem, cum sinu Colchico, et promontorium Indiæ *Camara*. Arrianus, qui in Periplo maris Erythræi, pag. 33 seq. vol. I. Geograph. min. Huds. hæc memorat, post factam mentionem emporii Camaræ cum aliis, hoc inprimis subjicit, in iis locis certorum quorumdam navigiorum usum esse, quibus usque Limyricam, quæ est regio Indiæ mercatu frequens, navigetur. Dionysius igitur, sive hoc ipse primus statuit, sive ab aliis constitutum reperit, quum in India sciret Colchos et Camaritas esse, singulari navigiorum genere ad mercatum usos, pariterque in Ponto videret esse Heniochos, Colchis vicinos, navicularum genere, quas καμάρας vocant, ad prædandum usos; præterea alium populum ad Pontum Euxinum nosset memorari, apud quem fama esset, Bacchum ab Indica expeditione redeuntem primos choros duxisse; putavit esse eum populum Indicæ originis, atque ab iis descendere, quos Bacchus ex Indis devictis secum duxisset: camararum nomen, quod celebrari in Ponto noverat, ad Indicam originem et Camaram Indiæ retulit, et populum olim in India

navigationi et mercatui adsuetum, nunc degenerem inter feros populos prædationibus maritimis se dedisse credidit. Hunc igitur Camaritas adpellavit, eosque cum Heniochis piratis, qui camaris utebantur, commiscuit aut conjunxit; simul autem, quæ de Baccho hospitio recepto et de orgiis ejus celebratis ferebantur, ad eosdem trahenda censuit. Sic certe explicanda ratio videtur, qua factum sit, ut Dionysius Camaritas inter gentes Ponti Euxini memoraret, quos nemo alius scriptorum veterum nominavit, præter Ammianum Marcell. qui de gentibus istis referens ipsum Dionysium, aut eum, quem Dionysius sequutus est, scriptorem exscripsisse videtur.

EXCURSUS V

AD PRISCIANI PERIEGESIN, v. 1053-1056.

Tellus, porrigitur quæ ad terræ Colidis Austros,
Oceani tangens pelagus sub collibus altis,
Quos volucres metuunt celeri contingere penna;
Unde locis Graii posuerunt nomen Aornin.

Quando Priscianus hoc loco promontorium Colidis dicit collibus tam altis tangere vel ingredi pelagus, ut *volucres* illos *metuant celeri contingere penna*, vix quidquam aliud videtur, quam summam ejus altitudinem velle designare. Nam *metuunt contingere* poetice dixit, pro contingere non possunt, quemadmodum Horatius ait, Carm. II, 2, 7:

Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Sic etiam accepit et luculentius declaravit Avienus, v. 1357:

..... tantoque jugo subit ætheris auras,
Arceat aliluum subducta ut rupe volatum.

Quomodo et Maleæ promontorii altitudinem descripsit Statius, Theb. II, 39:

> .... medium cava nubila montis
> Insumpsere latus: summos nec præpetis alæ
> Plausus adit colles, nec rauca tonitrua pulsant.

Sed quando idem Priscianus cum Dionysio scribit, promontorium hoc *Aornon* vel *Aornin* cognominatum esse, hæc adpellatio tam mira, utpote aliis Geographis ignota, esse videtur, ut dimittere eam sine singulari disquisitione non possimus. Etenim celebratissima in India fuit *Petra Aornos*, quam ab Hercule olim frustra obsessam, et ab Alexandro denique expugnatam captamque memorant Strabo, XV, p. 688; Curtius, VIII, c. 11; Arrianus, de Exped. Alex. lib. IV, c. 28; sed iidem scriptores ad Indum fluvium et prope Indi fontes, non procul ab urbe Ecbolima sitam fuisse tradunt, adeoque tam immani spatio a promontorio Coliaco dissitam, ut ea huc transferri, aut cum Colide misceri sine immani hallucinatione, quæ in Dionysium vix cadat, non potuerit. Avienus, quasi hoc aut non legisset in Dionysio, aut erroneum esse perspexisset, adpellationem Aorni prætermisit. Ab aliis Geographis nullam tam insignem promontorii Colidis altitudinem memorari video, quæ adpellationem Aorni mereatur; et Dionysii verba si recte considero, non ea videntur sublimitatem promontorii, avibus inaccessam, diserte indicare, sed aliam ejus naturam, quam a Plinio verius explicatam, atque ea ratione descriptam reperio, ut inde audeam ipsius Dionysii verba interpretari, et ad verum sensum, qui interpretes hactenus latuit, revocare. Sic vero Plinius, lib. VI, cap. 22, ex Eratosthene de insula Taprobane refert, cui proximum esse ait promontorium Indiæ Coliacum: « Incipit ab Eoo mari, inter ortum occasumque solis Indiæ prætenta..... Mare interest vadosum, senis non amplius altitudinis passibus, sed certis canalibus ita profundum, ut nullæ ancoræ sidant: ob id navibus utrimque proræ, ne per angustias alvei circumagi sit necesse..... Siderum in navigando nulla obser-

vatio. Septemtrio non cernitur: sed volucres secum vehunt, emittentes sæpius, meatumque earum terram petentium comitantur». Hanc de Taprobane relationem repetiit, et subinde luculentiorem fecit Solinus, cap. 53. Subjungemus statim versus Dionysii, eosque cum narratione Plinii conferemus. Sic ille, v. 1148:

. . . . παρὰ τέρματα Κωλίδος αἴης·
Ἣ δ' ἤτοι προνένευκεν ἐπ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Ἠλίβατος, ταχινοῖσι δυσέμβατος οἰωνοῖσι.

Ubi primum observemus Colidem prominentem in Oceanum dici βαθυδίνην, profundos vortices habentem, quod convenit cum Plinio, qui mare illud adfirmat tam profundum esse, ut nullæ ancoræ sidant. Ἠλίβατος plerumque vertunt excelsa, ardua, atque hinc, altitudinem maxime promontorii a poeta laudari, sequentiaque verba de sublimi avium volatu agere putant; ego tamen animadverti eum usum vocis ἠλίβατος esse, ut difficilem aditu, vel eum, qui sine periculo et offensione adiri nequeat, significet, ducta ejus origine ab ἀλιτεῖν· atque adeo, ubi de rupe vel monte usurpatur, non tam altitudinis ejus rationem haberi, quam inviæ et inaccessæ asperitatis. Probant hoc facile Homeri loci, ubi πέτρα ἠλίβατος occurrit, ut Iliad. XV, 273 et 619, XVI, 35. In primo sermo est de cervo, a canibus rusticisque agitato, quem petra ἠλίβατος et densa silva servat: in altero conferti homines dicuntur impetum sustinere, ut excelsa petra fluctibus maris exposita: in tertio denique de Achille propter ejus asperitatem et sævitiam dicitur, non matrem Thetin eum peperisse, sed cæruleum mare et petras ἠλιβάτους. In omnibus his exemplis palam est, in voce ἠλίβατος non tam altitudinem petræ, quam potius duram et inaccessam asperitatem spectari. Neque aliter fit a Dionysio, qui propterea sequentibus verbis non sublimem quarumvis avium volatum respicit, sed earum, quas Plinius dicit in transeundo mari versus Colidem a navigantibus adhiberi, tamquam comites et regendi cursus administras. Equidem uon diffiteor, verba Dionysii ταχινοῖσι δυσέμβατος οἰωνοῖσι facile admittere sensum, quem interpretes

veteres et recentiores statuerunt, verticem promontorii tam altum esse, ut eum alites vix adtingere volatu possint; sed ut ille sensus maxime ab interpretatione præcedentis vocis ἠλίβατος pendet, quam dixi de sola sublimitate montis falso intelligi, ita et alio sensu verba ea explicari posse contendo, ubi, qui volatus et accessus avium hoc loco significetur, e narratione Plinii tenemus. Scilicet navigatio inter Coliacum promontorium et insulam Taprobanen hoc habebat singulare et memorabile, quod, quamvis periculosa ob incerta profundi, tamen non siderum et Septemtrionis observatione regebatur, sed volucrum, quas navigantes secum vehebant, sæpiusque emittebant, meatu. Ex his adparet ratio, cur Dionysius ταχινῶν οἰωνῶν, velocium avium, mentionem faciat. Dicit promontorium illud esse δυσέμβατον, ob cæcas voragines maris difficulter adiri et intrari posse, et quidem ταχινοῖσι οἰωνοῖσι, quum scilicet non siderum signis, sed volucribus subinde emissis, tamquam ducibus, uti necesse babeant navigantes, nec tamen celerem earum volatum, nisi summa cum cautione, sequi possint. Hoc pacto alius plane sensus illius versus emergit: sola promontorii asperitas et difficilis adnavigatio, non altitudo, avium volatu superior, declaratur. Sed, inquis, Dionysius tamen subjicit statim, propterea promontorium illud ab hominibus cognominatum Aornim esse, quæ adpellatio non aliud, quam altitudinem montis vix avibus adtingendam, potest respicere:

Τοὔνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνιν.

Ego vero profiteor, errorem hunc aut ipsius Dionysii esse, aut aliorum, qui eum corruperunt. Fortasse Dionysius, qui apud Eratosthenem de avibus versus promontorium Coliacum in navigatione volantibus legisset, nec rationem ejus rei satis intelligeret, ambigua locutione usus est, quæ posset etiam de sublimitate ejus promontorii accipi, atque adeo montis Indiæ, quem Aornon sciret ob sublimitatem dici, adpellationem temere promontorio Colidis adplicavit. Fortasse immunis ab errore Dionysius est, et alius, qui falso putaret Dionysium de Colidis excelsitate, avium vo-

latu non adtingenda, loqui, et Aorni adeo nomen promontorium illud mereri crederet, hunc versum rei declarandæ caussa addidit, et Dionysio snpposuit. Quod Avienus eum non transtulit, hinc ne legisse quidem videtur, et occurrunt in Dionysio plures versus, quorum de sinceritate eruditi dubitant. Priscianus, qui vertit, exemplari Dionysii interpolato usus est, sed ita vertit, ut cautius loqui videatur, et, quasi sciret, nomen Aorni promontorio Coliaco non plane convenire, plurali numero dicat, loca quædam id nomen a Græcis adepta esse:

Unde locis Graii posuerunt nomen Aornin.

Cæterum poterat hic receptum a Latinis et usitatius nomen *Averni* usurpare, quod auctore Salmasio ad Sol. p. 46, e græco *Aornos*, inserto digamma Æolico, et mutato *o* in *e*, formatum est. Plura ejusmodi loca variis in regionibus eo nomine insignita, sed aliam ob rationem, traduntur, quia ob noxias exhalationes aves supervolantes non transmittant, sed illico perire faciant. Meminit eorum locorum, et rationem nominis explicat Lucretius, lib. VI, v. 738 seqq.

Nunc age, Averna tibi quæ sint loca cumque, lacusque
Expediam, quali natura prædita constent.
Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis, etc.

Eustathius ad nostrum Dionysii locum nonnulla alia loca aorna, pestifero spiritu noxia et avibus invia, ut circa Adiabenen, et Hierapolin Asiæ, memorat, quibus plura adjungit V. C. Jo. Beckmannus in comment. ad Aristotel. de Mirabil. pag. 220. Nullus vero locus Aornus magis celebratus est olim, quam lacus Cumanus in Italia, propterea *Avernus* Latinis dictus. Cujus naturam quum multi Veterum, inprimisque Aristoteles l. c. cap. 108, et Virgil. Æn. VI, 237 seq. descripserint, plura de eo dicere supersedemus. Petronium etiam in carm. de Mutat. Reip. hanc ejus naturam adtingere, ipsi observavimus ad ejus vers. 71 (vid. huj. op. tom. II, p. 97. Ed.)

EDITIONES

CARMINIS

DE PONDERIBUS ET MENSURIS,

QUOD NONNULLI RHEMNIO FANNIO, SED PERPERAM, TRIBUUNT.

I. In vetustissima Operum Prisciani editione Veneta, 1475, in-fol. carmen hoc libello Prisciani de Numeris et Ponderibus ad Symmachum subjungitur, nullo alio nomine nec titulo præposito.

Et sic in plerisque antiquis sæculi XV, tum Venetis, tum aliis, fieri suspicor, quas omnes requirere et inspicere nolui, nec potui.

II. Remi Favini de Ponderum deque Mensurarum vocabulis. Lipsiæ 1494, in-4. P. Æolicus in prologo *scholares suos Persianos*, uti vocat, adloquens, profitetur se hoc opusculum edere, *quo Persii codex iis facilior fieret.* Remum Favinum dicit *virum undecumque peritum, qui carmine rem aggressus ita perfecerit, ut Phidiæ opus adpareat.* Ejus versus, adfirmat, *quanta licuerit emendatione castigasse*, nec scholares suos terrere id debere, quod duos ejusdem versus mancos reperturi sint. Sic enim singula exemplaria, quæ ipsi in manus venissent, habere.

Unica hæc est carminis editio seorsum facta : constat foliis 6, in-4. Describitur etiam a Pol. Leysero in Hist. poet.

IV. 28

med. ævi, pag. 2057. Hanc ego habui e biblioth. Ducali Guelferb.

III. Prisciani de Eloquentia libri XVIII. Item de duodecim carminibus, et de Ponderibus et Mensuris liber, cum expositione Joannis *de Aingre*. Venetiis, 1500, fol. Alii annum 1509 ponunt.

IV. Cum Prisciani Grammatici libris omnibus, excusis per Eucharium Cervicornum Coloniæ, 1528, fol. Ibi libello de Ponderibus et Mensuris, pag. 342, subjungitur sub Rhemnii Fannii nomine. Est in biblioth. Acad. Helmst.

V. Dionysii Alexandrini philosophi de situ orbis translatio per Priscianum grammaticorum principem. Inscriptio ipsius carminis hæc est: « Prisciani cesariens. interpretatio ex dionisio d' orb' situ ». In fine: « Impressum Vienne a Joanne Winterburg. Emendatū aūt a L. Joanne Cuspiniano, artium et humanitatis profess. qui publice hūc libellum in studio Viennensi interpretatus est ». Annus impressionis non adjectus est, sed Mich. Denisius, qui eam edit. in Histor. typograph. Vienn. p. 197 memorat, ann. 1493 vel 1494 ei vindicat. Ego serius et post Avienum a Cuspiniano editum existimo, quia ejus editi mentionem nullam facit in præfatione ad Rufum Avienum.

VI. Dionysii Afri Periegesis, Græce, cum Latina Rhemnii interpretatione, et Cœlii Calcagnini adnotationibus. Jo. Maciochus Bondenus imprimebat Ferrariæ, 1512, in-4. Maittarius, t. II, pag. 238.

VII. Sequatur Editio Jo. Camertis, Viennæ 1512, quam descripsi.

VIII. Gerh. Listrii Rhen. Art. ac Medic. Doctoris, Græcar. Latin. ac Hebraicar. literarum Professoris, Oratio in Enarratione Dionysii Halicarnass. « cum Dionysii Orbis Expositione e Græco, Prisciano interprete ». Nomen loci,

typographi et anni non additur. Sed quædam carmina Listrii, eodem volumine conjuncta, excusa dicuntur Daventriæ in offic. literatoria Alberti Pafræd. an 1516, in-4. Oratio Listrii docta mire commendat studium Geographicum. Alia ejusdem scripta Suollæ dicuntur impressa, et Suollæ Professor fuit Listrius.

Memoratur hæc editio a Jo. Ludolph. Bunemanno in Catalogo MSS et librorum rariss. pag. 81.

IX. Editio Pomponii Melæ cum Dionysio de Situ orbis, interprete Prisciano, curata ab Ant. Francino, Florentiæ apud Juntam, 1519, in-8, memoratur in Catalogo Bibl. Pinellii, t. I, p. 362; memoratur etiam a Fabricio.

X. Sequitur edit. Ingolstad. 1519, pag. 244.

XI. Editio Basileensis, 1522. Tum

XII. Pomponius Mela, Julius Solinus, Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester, P. Victor de Regionibus Urbis Romæ, et Dionysius de situ Orbis ex Prisciani metaphrasi. Florentiæ apud Juutam, 1526, in-8. Retulit hanc Fabricius inter Solini editiones, Biblioth. Lat. lib. II, cap. 13, t. II, p. 242. Proxime hanc sequitur editio Torchilli, pag. 244.

XIII. Cum Q. Sereno Samonico de Medicina, per Jo. Cæsarium a mendis probe et diligenter emaculato, « Q. Rhemnii Fannii Palæmonis de Ponderibus et Mensuris liber utilissimus », edit. Haganoæ 1528, in-8, per Joannem Secerium. Eam editionem recudit Joannes Soter, Salingiaci, an. 1538.

XIV. Cum Q. Sereno Samonico, Parisiis apud Colinæum, 1533, in-8.

XV. In editione omnium operum Prisciani, quæ prodiit Basileæ apud Bryling, 1545, in-8.

28.

XVI. Cum Corn. Celso et Sereno Sammon. Lugduni apud Joannem Tornæsium et Guil. Gazeium, 1549, in-8.

XVII. A. Corn. Celsi et Q. Sereni Sammon. Medica. it. Fannius de Ponderibus et Mensuris. Patavii 1563, in-8. Erat in bibliotheca Fabricii.

XVIII. Prisciani Cæsariensis, Rhemnii Fannii, Bedæ Angli, Volusii Metiani, libri de Nummis, Pond., Mensuris, Numeris eorumque notis, et de vetere Computandi per digitos Ratione, ab Elia Vineto Santone, emendati. Parisiis, in ædibus Rouillii, 1565, in-8. Vid. Labbeus, biblioth. numar. part. II, p. 61.

XIX. Ad calcem Celsi et Sereni cum notis Rob. Constantini. Lugduni, typis Guil. Rouillii, 1566, in-8.

XX. In collectione Medicæ artis principum Latina Henr. Stephanus dedit, Paris. 1567, fol.

Funccius quidem de vegeta L. L. senect. cap. 3, § 17. Fannium de Pond. etiam in Aldina medicorum collectione Venet. 1547 exstare adfirmat, sed in recensione ejus operis apud Fabricium eum non video nominari. Nec Labbeus hoc tradit.

XXI.* Prisciani Grammatici Cæsariensis libri omnes. Basil. 1568, in-8. Libro de Pond. et Mens. pag. 859, subjungitur carmen sub *Remii Fannii* nomine.

XXII. Rhemnius Fannius de Ponder. et Mens. post Lucæ Pæti de Mensuris et Ponderibus, Romanis et Græcis, cum his, quæ hodie Romæ sunt, collatis, libros V, cum ejusdem Variarum lectionum libro unico, qui sextus numeratur. Venetiis 1573, in-4. Indicat Phil. Labbeus, Bibl. numar. Part. II, p. m. 89.

XXIII. Fr. Hotomannus libro de Re nummaria populi Rom. addidit Volusium Mætianum, Jurisc. « Rhemnium Fannium », Priscianum Cæsariensem, de Asse, Ponderibus et

Mensuris. Omnes ad Vineti editionem expressit, cujus et notas adjecit. Carmen ille æque ac Vinetus inscribit: « Remi Favini, sive, ut quidam volunt, Rhemnii Fannii Palæmonis Carmen de Pond. et Mens. » Prodiit, urbe non notata, apud Guillelmum Leimarium, 1585, in-8.

XXIV. A. Corn. Celsus et Serenus, Rhemnius et Vindiciani carmen. Lugd. 1587, in-12. Erat in biblioth. Fabricii.

XXV.* Inter Epigrammata et Poematia vetera P. Pithœus carmen de Ponder. et Mens. subjecit Prisciani Periegesi, pag. 397 edit. Paris. 1596, et pag. 527 edit. Lugd. 1596, qui titulo addit: « Plures Prisciani, nonnulli Remi Favini, seu Q. Rhemnii Fannii Palæmonis esse volunt ». Nonnullas carmini emendationes et notulas adjecit.

XXVI. In Choro Poetarum lustrato et illustrato. Lugd. 1616, in-4.

Labbeus quidem l. c. monet, etiam in Corpore poetarum Genevensi legi, sed e recensione ejus operis Fabriciana id certum esse non intellexi.

XXVII.* Inter Veterum quorumdam bonorum scriptorum libros et reliquias singulares de materia et re medica, ab Andr. Rivino editas, post Q. Serenum Samon. et Marcelli seu Vindiciani carmen de Medicina, hujusque epistolam ad Valentinianum, legitur « Priscianus de Ponderibus et Mensuris ». Isque inscribitur: « Q. Rhemnii Fannii Palæmonis carmen de Pond. et Mens. quod plures Prisciani esse volunt ». Lipsiæ 1654, in-8.

XXVIII. Prisciani Cæsariensis, Rhemnii Fannii, Bedæ Angli, Volusii Metiani, Balbi ad Celsum libri de Nummis, Pond. etc. ut num. XVIII, ab Elia Vineto Santone emendati, ut et J. F. Gronovio. Hoc titulo opus Vineti Grævius, tomo XI Thesauri Antiqq. Rom. repetiit, additis Gronovii ad Volusium Metianum et Balbum notis. Traj. ad Rhen. 1699, fol.

XXIX. In corpore Poetarum Latinorum minorum tomo II, cum Rutilio Numat. Sereno Samm. Vindiciani seu Marcelli carmine de Medicina, et Sulpiciæ Satyra, Q. Rhemnium Fannium Palæmonem de Ponderibus et Mensuris edidit, et doctorum virorum suisque notis illustravit P. Burmannus. Leidæ 1731, in-4.

XXX. Eumdem exhibent Poetæ Latini minores ex editione Petri Burmanni fideliter expressi. Glasguæ, 1752, in-8.

XXXI. In Collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, etc. exhibetur hoc carmen tomo IV, qui ethnicos poetas, minores et minimos, cum carminibus incertorum continet, pag. 252. Pisauri 1766, in-4.

DE AUCTORE

CARMINIS

DE PONDERIBUS ET MENSURIS,

(qui plerisque, sed falso, dicitur Rhemnius Fannius).

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. ISIDORUS, Hispal. Origg. lib. XVI, cap. 24, tres priores versus carminis de Pond. et Mens. fere ad verbum exscripsit, et repetiit hoc modo.

Ponderum ac mensurarum juvat cognoscere modum: nam omnia corporalia, sicut scriptum est, a summis usque ad ima in mensura et numero et pondere disposita sunt atque formata. Cunctis *corporeis rebus pondus natura* dedit. *Suum regit omnia pondus.*

II. LIL. GREG. GYRALDUS, Histor. Poet. dial. IV, pag. 253.

Fuit et per hæc tempora, Rhemnius Fannius, Grammaticus et poeta Latinus, qui perperam, ut videtur, Fanius vel Favinus a nonnullis dictus, ab aliis Palæmon cognominatus est, qui alter ab hoc, et eo etiam longe antiquior, ut supra meminimus. Hic quidem Arnobii discipulus fuit, ut scribit Hieronymus, et Constantini Augusti primi tempore, de Medicinalibus librum, eleganti carmine, ad Lactantium Firmianum misit. Exstant quædam hujus de Ponderibus et Mensuris carmina, quæ huic ipsi Fannio a doctis plerisque

merito adscribuntur, tametsi quidam inepte Prisciano. Nec desunt, qui huic eidem Dionysii Punici de Orbis situ Latinam interpretationem, quæ vulgo Prisciani Cæsareensis nomine circumfertur, attribuant. Sed ignoscant mihi Prisciani manes, si eum non poetam ego fuisse credo.

Ex hoc loco Gyraldi repetiit, quæ de Remio Fannio memorat Jo. Glandorpius, Onomast. histor. Rom. pag. 743.

III. GUILLELMUS BUDÆUS, de Asse ejusque partibus lib. II, p. m. 253.

Hoc etiam legimus in versibus illis, qui apud Priscianum leguntur, et Favini esse dictitantur:

Cecropium superest post hæc docuisse talentum, etc.

IV. ELIAS VINETUS in Præfat. de auctoribus a se editis.

Remus Favinus, sive, ut aliis adpellatur, Rhemnius Fannius Palæmon, quis fuerit, et quibus vixerit temporibus, nemo novit hodie, quod sciam.

Vide etiam primam ejus adnotationem ad carmen.

V. CASP. BARTHIUS, Advers. lib. XXI, cap. 6.

Auctor carminis de Ponderibus, sive Priscianus, sive Rhemnius:

Drachmam si geminas, erit is, quem dicier audis,
Sicilicus.

Alio loco Advers. lib. I, cap. 15, hoc carmen negare videtur Prisciano, idque simul confundit cum Prisciani libello de Numeris et Pond. quem nemo unquam ei abrogare voluit.

VI. IDEM, commentar. ad Claudianum, pag. 128.

Rhemnius Fannius sive Favonius Priscianus:

Nam quod dimidium superat, pars esse negatur, etc.

VII. GER. JO. VOSSIUS, de Poetis Latinis, cap. 4, p. 54.

Sub Constantino M. claruit Rhemnius Fannius, Grammaticus et Poeta, Arnobii discipulus, ut ait Hieronymus, qui aliis Favinus, et cum Fannio Palæmone, de quo in Claudianis dictum temporibus, confunditur a nonnullis. Fannius iste elegans carmen de Medicinalibus misit ad Lactantium Firmianum. Ac ejusdem videtur liber carmine hexametro exaratus de Ponderibus ac Mensuris. Perperam Prisciano attribui solet.

VIII. JO. FRID. GRONOVIUS, de Sestertiis, lib. IV, c. 17, p. m. 850.

Atque eo magis ignoscendum sive Prisciano, sive Palæmoni, neganti sescuncia dempta reliquo nomen esse. Hoc enim vult, quum ait:

> Sed nullum reliquo nomen semuncia certum
> Dempta dabit: namque est hujus sescuncia triplex.

Taceo plures ejusdem libri locos, nec non alios scriptores similis argumenti prætereo, ut Georgium Agricolam de Mensuris et Ponderibus, et Jo. Rhodium de Pond. et Mens. veterum medicorum, qui carmen hoc sæpius citare, sed sub Fannii nomine, solent.

IX. THOM. BARTHOLINUS, de Medicis poetis, pag. 122.

Q. Rhemnius Fannius Palæmon, aliis Remus Favinus, de ponderibus et mensuris medicinalibus libellum mancum et cauda truncatum procudit, multum lucis rei medicæ adferentem... Sunt, qui Prisciano hoc carmen attribuant; sed nescii ipsi sunt, an Cæsariensis ille fuerit, an Theodorus Priscianus, cujus librum medicum manibus versamus.

(B.)

PRISCIANI

(VEL, UT ALIIS PLACET, RHEMNII FANNII)

CARMEN

DE PONDERIBUS ET MENSURIS*.

PONDERA Pæoniis Veterum memorata libellis
Nosse juvat. Pondus rebus natura locavit
Corporeis : elementa suum regit omnia pondus.

* Sunt, qui hujus opusculi Prisciauum auctorem esse putent : sed reclamat eruditorum magna pars. CÆSARIUS. *Remum Favinum* adpellant imperfecti poematis auctorem vetusta exemplaria ; sed corrupta nomina existimantes Politianns, Lilius Ferrariensis, et alii quidam, *Rhemnium Fannium Palæmonem* pro *Remo Favino* adpellavere. Prostitit autem aliqnamdiu sine titulo inter Prisciani scripta carmen hoc ; unde ejusdem Prisciani opus esse mnlti putaverunt. VINETUS. Hottomaunus sequutus Vinetum titulum edidit, « Remi Favini, sive, ut qnidam volunt, Rhemnii Fannii Palæmonis carmen de Ponderibus et Mensuris ». In codice Thuan. erat, « Incipiuut versus Prisciani de Ponderibus ». In codice Reginæ Sueciæ, « Prisciani liber de Pouderibus et Mensuris, ex opere Rufini vel Faviani ». Iu S. Germaui codice nulla erat inscriptio. BURM. In codice S. Germani Nic. Heinsins Rhemnio Fannio de Pouderibus subscripta tria ejusdem argumenti epigrammata, « de Libra, de Uucia, de Scripulo et partibus ejus », invenit, quæ P. Burmannus, ne perirent, ut ait, Anthol. Lat. lib. V, ep. 126, 127 et 128 vulgavit. Nos autem confereudi ea cum nostro carmine caussas nou satis graves habuimus. Wd.

1. *Pæoniis libellis*. Id est, a medicis conscriptis, nnde Pæoniæ artes et similia obvia. *Pæonis* cod. S. Germani. BURM. *Præoriis* edit. Veneta, 1475, vitiose.

Pondere terra manet : vacuus quoque ponderis æther
Indefessa rapit volventis sidera mundi.
Ordiar a minimis, post hæc majora sequentur :
Nam majus nihil est aliud, quam multa minuta.

SEMOBOLI duplum est obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, scriplum nostri dixere priores.
Semina sex alii siliquis latitantia curvis

4. *Manet.* Id est, firma et immota subsistit. CÆSAR. Respicit illa Ovid. Met. I, 13 : « Nec circumfuso pendebat in aere tellus Ponderibus librata suis »; ubi vide : postquam ergo instabilis antea, pressa gravitate sua locum accepit, manet pondere suo stabilis. Deinde Cæsar. edidit *vacuus neque ponderis æther :* in Thuaneo erat *pondera terra manet.* BURM. *Vacuus neque ponderis* præter Cæsarium edidit Rivinus. Quamquam hoc contra omnes libros statuunt, sententia tamen auctoris sic poscere videtur, qui vult ostendere, ut omnia elementa regantur pondere, ita nec æthera eo vacuum esse, quia sidera perpetuo rapiat. W. — Atque hoc plane confirmat Avienus in Phænom. vs. 83 : « Mobilis en etiam mundi se machina versat; Ponderis et proprii trahit inclinatio cælum ». Sed magis convenit locus Germanici in Arateis, v. 17 : « Cætera quæ toto fulgent vaga sidera mundo, Indefessa trahit proprio cum pondere cælum ». Plane hæc expressa videntur a Prisciano. ED.

5. *Indefessa rapit.* Sic Ovid. Met. II, 70 : « assidua rapitur vertigine cælum, Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet ». W.

7. *Minuta : minora* cod. Regin. B.

8. *Semoboli.* At *Semioboli*, vel *Semi oboli* exhibent scripti et editi plerique. *Semi obolum* Cod. Regin. B.

9. *Scriplum nostri.* Quia primam syllabam *scripulum* producit, ut in citatis ad Priscianum de nummis illis tribus locis Martialis, id debet dissyllabum legi in hoc poemate, per eam quam syncopen vocant grammatici. VIN. De *scrupulo* accurate agit Agric. in fine lib. IV, et dixisse Veteres *scriptulum, scripulum, scribulum* et *scrupulum* docet : quum vero in *scrupulus* prima sit brevis, et quum a græco γράμμα deberet duci *scriptum*, maluerunt *scriptulum* quod mox *scripulum* vulgus dixit : *scrupulum* vero longe quid diversum esse, calculum nempe, docet : quare censet vel *scriplum* vel *scruplum* in versu esse enuntiandum. Rhodius de Ponder. pag. 26, *scriptlum* scripsisse Fannium ait, vel *scriplum*, ut edidit Pithœus et Vinetus, et Constant. in margine. Vid. et Sammon. cap. 49. BURM. *Scrupulum* et *scrupulo* semper legit Ven. Lips. et Colon. 1528 : item vetus codex Prisciani membran. in bibl. Duc. Guelf. Alius ejusdem bibl. *scripulum* et *scripulo : scriptum* Riv. Wd.

10. *Semina sex alii.* Georgius Agricola libro de restituendis Ponderibus et Mensuris. VIN. — *Siliquis latitantia.* Semina latitantia in siliquis, hoc est, gramina siliquæ, quæ sena scrupula singula pendent,

Attribuunt scriplo, lentes veraciter octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
Bis duo; sed si par generatim his pondus inesset,
Servarent eadem diversæ pondera gentes.
Nunc variant: etenim cuncta hæc non fœdere certo
Naturæ, sed lege valent hominumque repertis.
Scripla tria drachmam faciunt, quo pondere doctis

hoc est, diobolum. Cæs. *Latentia* Cod. S. Germ. B.

11. *Lentes.* Vide Agricol. de restituend. Poud. et Mens. p. 237: *Lentes vergantur in octo.* Thu. Lips. et Venet. Caietani. B.

12. *Tristesve lupinos.* Barthius, Advers. XXI, 6, ex hoc loco adparere putat, « lupinos, aurum illud comicum, monetam tamen alicujus pretii fuisse ». Sed falso hoc ille colligit e Prisciano, qui lupinos non monetæ genus, sed legumen ipsum dicit, cujus quatuor grana perhibet a quibusdam pro pondere scripli haberi. *Tristes* lupinos, i. e. amaros habet e Virg. Georg. I, 75. *Ferules* vocat Calpurn. III, 82. W.

13. *Generatim.* Dant *generandi* editiones Cæsar. et Ven. et ita citat Agricol. de restit. Poud. p. 238. Burman. *Generandi* habent vetustæ Ven. et Lips. posteriores *generatim*, quod significat naturaliter, genere et natura sua.

15. *Etenim cuncta non fœdere certo.* Sic habuerunt omnia nostra exemplaria, syllabamque brevem hic producunt; quum ita legi possit, si quis malit: « etenim non certo fœdere cuncta ». Agricola vero Georgius, libro de restituendis Ponderibus et Mensuris, legit, *etenim non omnia fœdere certo.* Vin. Et ita edit. Cæsar. *etenim nunc fœdere cœpto* cod. S. Germ. *etenim nunc fœdera cœpto* Thuan. sed a manu secunda. Cod. Reg. *etenim cuncta hæc non federe certo;* sed a pr. m. *cepto* erat. *Fœdus certum* ex Virgilio, Æn. I, 62, habet: est vero lex et perpetuus ordo naturæ. Vid. ad Val. Flac. I, 213, et II, 357. Ovid. Met. X, 353: « naturæ pollue fœdus ». *Hominum reperta* dixit Lucretii imitatione. Burm. *Cuncta non fœdere certo* duo codd. Guelf.

17. *Scripla tria drachmam faciunt.* Sic fuit in antiquo libro, pro *In scripulis ternis drachmarum.* Potest autem *a* in *tria* ideo productum videri, quod sequatur muta cum liquida. Vin. *In scrupulis trinis drachmam, quæ* Venet. *drachma est, quo pondere* Constant. marg. *qua pondere* Agricol. pag. 105. Si illa lectio *Scripla tria drachmam faciunt*, quæ sensum rotundiorem facit, sit ab auctoris manu, malim primam in *drachmam* corripere, quam *a* in *tria* producere, et legere, *Scripula trina drachmam faciunt.* Ut ita in *cygnus*, *Prognes*, *Tecmessa*, et similibus passim occurrit. Vid. Ovid. Met. VI, 468, et Fast. V, 9, et alibi: in Thuan. erat *In scrupulis trinis dragmam, quam ... signatur numus aenis;* in Regin. *Scrupula tria drachmam, quam pondere doctus Argenti facilis signatur pondus aenis.* Semper vero *dragma* est in cod. Regin. Deinde *signatur pondus Athenis* Ed. Ven.

Argenti facilis signatur nummus Athenis;
Holceque a drachma non re, sed nomine differt.
Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis,
Siciliquus: drachmæ scriplum si adjecero, fiet
Sextula quæ fertur; nam sex his uncia constat.
Sextula quum dupla est, Veteres dixere duellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum
Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in se
Uncia habet: tot enim formis vox nostra notatur,

Lips. *signatur pondus* Cæs. Gryph. Tornæs. sed duæ hæ in marg. *nummus*, sine dubio rectius; *facilis* enim *nummus* est quotidiano in usu, non *facile argentum*: ita *cibus facilis*, vid. ad Petron. cap. 93: sic *facile pretium* Martialis, X, 36; *facilis potus* Samonic. cap. 46, et ita ille sæpius. Burm. *Scripula tria dragmam quam pondere* est in duobus codd. Guelf. *signatur nummus* jam habet antiqua Colon.

19. *Holceque*. Ὁλκὴ apud Galenum et alios. Vin. *Oleaque* ed. Ven. Lips. *Holce quæ a* cod. S. Germ. De Holce vid. Agric. lib. V, pag. 131. Burm. *Hocceque a drachma* edit. Col. 1528.

20. *Aderit, quem*, etc. Ed. Pith. *erit is quem;* cod. S. Germ. *erit quem;* Reg. *erit is, quem dicier audes*. Corrupte ed. Ven. et Lips. *aggerit, quem*. Burm. Ego corruptam hanc lectionem in mea Ven. et Lips. non inveniu, sed *aderit quem*, sicut nec ea quæ ad vers. 25 ex Lipsiensi citat Burm. Neque tamen alia vetusta Lipsiana mihi innotuit præter illam P. Æolici, 1494. W.

21. *Siciliquus*. *Sicilius* cod. Reg. *siliquus* ed. Ven. et Lips. deinde, *drachmæ scriplum si adjecero, fiet*, scripti codices et edit. Pith. De siciliquo et sextula vid. Agricol. lib. IV, p. 98 et seq. *Sextola* cod. Regin. Burm. *Scrupulum si adjectio fiet* habent Ven. et Lips. et inde Burm. *scripulum si adjecero, fiet*, Col. Hut. et Riv. cum altero cod. Guelf. quod præfero.

22. *Nam sex his*. Sextulis. Vin.

23. *Duellam*. *Duvellam* cod. Reg. Burm.

25. *Grammata dicta*. Græci γράμματα dicunt; quas Latini *literas*, et viginti quatuor habent, quot diei civilis horas numeramus. Vin.

26. *Vox nostra notatur*. Ego *vox Græca* sane legendum conjectu, ut sit singulare positum pro plurali, et hic sensus sit: *Vox Græca*, id est, voces Græcæ tot formis *notantur*, id est, scribuntur; tot enim literis Græci utuntur, nempe quatuor et viginti. Cæs. *Viginti quatuor* cod. S. Germ. in quo sequens versus desideratur. Sed in edit. Venet. et Lips. hic deerat: in cod. Regin. post versum 27 relictum spatium unius versus vacuum: præterea in illo et Thuan. erat *vox nostra notatur*. Ut Constant. in marg. etiam *vox namque notatur* Venet. et Lips. sed recta est vulgata. *Formas* vocat literas Alphabeti Græci diversas figura et forma numero XXIV: sic *ebur-*

Horis quot mundus peragit noctemque diemque;
Unciaque in libra pars est, quæ mensis in anno.
Hæc magno Latio libra est, gentique togatæ;
Attica nam minor est: ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam. 31
Accipe præterea, parvo quam nomine Graii
Mnam vocitant, nostrique minam dixere priores:

neas literarum formas Quintil. I, de Inst. Orat. I. Recte Cæsarius *notatur* explicat scribitur: ita Ovid. Met. IX, 522: « scribit, damnatque tabellas, Et notat, et delet », ubi vide notas, nost. ed. t. IV, pag. 127. *Graia vox* est tota lingua Græca, quæ XXIV literis absolvitur, ut ita *Graia* et *Latina vox* Ovid. Trist. III, 12, 39, et V, 11, 67. Burm. *Vox namque* Ven. *vox nostra*, i. e. Romana, Lips. Col. Hot. cum utroque cod. Guelf. *Græca*, quod Burmannus cum Pith. et Riv. usurpavit, e sola Cæsarii conjectura est, nec scriptis libris nixum. W.

28. *In anno: in annum* cod. Thu. Ed. Venet. et Lips. B.

29. *Hæc magno Latio.* Latina, Italica, Romana libra est ex duodecim unciis; quæ sunt drachmæ nonaginta sex. Vin. *Hæc magna Latio* S. Germ. et Regin. *hæc major Latio* Cæsar. Venet. Hotom. Gryph. et Const. et Agricol. pag. 121: quam vocem adripuisse credo, quia in seq. versu legebatur, *Attica nam minor est* in edit. Venet. Lips. sed mihi *magno in Latio* placet, ut intelligat totam Italiam, et per *gentem togatam* Urbem; hanc libram esse urbis Romæ et totius Latii, sub quo Italiam comprehendit, unde toties apud scriptores Italicæ mensuræ et pondera memorantur apud Græcos medicos; ne confunderentur cum Græcis, ut in Amphora et Metrete ostendit Agricola de Mens. Græc. p. 48: certe *major* in nullo codice exstat. *Hæc magno Latio* tenent omnes meæ antiquæ cum utroque Mspto Guelf. *Hæc major* intulit Hotom. et Burmannus contra sententiam suam edidit.

30. *Attica*, etc. His omissis illis, *nam minor est*, legebatur in cod. S. Germ. *Attica ter quinque faciens hanc denique drachmis:* pro *hanc* in Thuan. *hac:* sed in Regin. vox illa deerat. Vide de libra Attica Agricolam d. l. ubi *libram* improprie hic Atticam dici ostendit. Burmannus. — *Ter quinque hanc.* Ter quinque, quindecim, et ter viginti, sexaginta; septuaginta quinque. Vin. — Minor vere dicitur quippe una et viginti drachmis a Latina distabat. Ed.

31. *Vicenis: vigenis* Thuan. Ed. Venet. Lips. Cæs. B.

32. *Quam.* At *quem* Regin. *patrio* Vinet. Constant. nescio, quid præstet. *Parvo*, id est, contracto in unam syllabam *mnam:* labi vero in his vocibus scribas, indicio est locus Ovidii, Met. XV, 34: « patriumque simul transferre parabat In sedes penetrale novas »; ubi in codice Regio legebatur *parvumque.* Quædam editiones hic Græcis formis præferunt Μνᾶν. Burm. *Parvo* habent Ven. Lips. Pith. Riv. et unus

Centum hæ sunt drachmæ : quod si decerpseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram ;
Attica quæ fiet, si quartam dempseris hinc, Mna.
Cecropium superest post hæc docuisse talentum,
Sexaginta minas, seu vis, sex millia drachmas,
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis;
Nam nihil his obolove minus, majusve talento.

cod. Gnelf. *parvo eognomine grandi ;* Col. Hotom. *patrio.*

34. *Quod si decerpseris.* Ex centum drachmis si quatuor drachmas subduxeris, reliquæ erunt nonaginta sex drachmæ, quæ Romana libra est. Vin. *Centum erunt drachmæ* cod. S. Germ. *Quad si descripseris illis* Constant. quod nescio, unde petierit, vel præferre potuerit. B.

35. *Quatuor, effieies hane nostram.. Nostram,* id est, Rumanam, quæ nonaginta sex draebmas continebat, sicut Attica septuaginta qninque, quemadmodum et id a Leonardo Portio adnotatum est. Hinc paullo superius auctor Romanam majorem, Atticam minorem appellavit libram, quæ efficitur (ut bic tradit) ex Mna, si quartam partem dempseris, hoc est, viginti quinque ex centum drachmis. Cæs.

36. *Si quartam dempseris hine.* Id est, si ex centum drachmis, quæ Graia mina est, detraxeris quartam partem, quæ drachmæ sunt viginti quinque, fiet Attica mna : quam dixit ex septuaginta quinque draehmis constare. Vin. *Demseris enam* Regiu. *emnan* Thuan. *si quartam indempseris ennam* S. Germ. B.

37. *Cecropium.* Atticum, Atheniense talentnm. Vin. Hoc est, Atticum a Cecrope Atheniensium rege. Cæs. *Nune superest magnum* Regin. *nam superest magnum* S. Germ. B.

38. *Sexagiuta minas.* Sexaginta minæ Graiæ sunt sex millia drachmarum, postquam mina centum drachmas valet. Si quis autem contendat, *a* longum semper esse in fine horum nominum *triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta :* id ut *a* hic quoque producatur, *mnas* pro *minas* legere potes. Vin. — *Seu vis.* Regin. et S. Germ. *seu bis*, et ed. Ven. Lips. *seu vix ;* sed vulgata recta : *si vis* enim utimur, quum sententiæ alicujus accedimus; si potius numerare velis per drachmas, sunt sex millia : illustrabimus hæc ad Suet. Tiber. LIX. Σολοικίζει vero hic versus ; non enim dicimus, *sex millia drachmas*, sed *drachmarum*, ut post summi Gronovii sententiam omnes fatentur loquendnm esse, quem vide lib. I de Pecunia Vet. cap. 9 ; si dixisset *sex millia drachmum*, pro *drachmarum*, tolerari potuisset. Burm.

39. *Athenis.* Et hic *aenis* cod. S. Germ. Reg. et Thuan. B. — Hic fere repetitur versus supra expressus, v. 27. Ed.

40. *Nam nihil his obala.* Budæus, Porcius, Alciatus, Agricola de his quæsierunt diligentius ex Polluce, Galeno, Suida et aliis. Vin. *Majusve talentum* S. Germ. *obolo minus est* Venet. Reg. B.

Nunc dicam, solidæ quæ sit divisio libræ,
Sive assis : nam sic legum dixere periti.
Ex quo, quod soli capimus, perhibemur habere,
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.
Uncia nam libræ si deest, dixere deuncem;
At si sextantem retrahas, erit ille decuncis.
Sed nullum reliquo nomen semuncia certum
Dempta dabit; neque enim est hujus sescuncia triplex.
Dodrantem reliquum vocitant quadrante retracto;
Quumque triens desit, bessem dixere priores.
Iidem septuncem dempto quincunce vocarunt.
Post hæc semissis solidi pars maxima fertur:
Nam quæ dimidium superat, pars esse negatur,

41. *Solidæ libræ*, i. e. totius vel integræ, ut « partem solido demere de die » dixit Horatius, Carm. I, 1, 20. W.

42. *Seu assis*. Heinsius legebat, *sive assis*. B. — *Nam sic :* scilicet Assem, de quo leges Romanæ. Vin. *Dixere priores* Thuan. B.

43. *Ex quo*, sc. asse. Nempe *ex asse heredes* dicebantur, qui totam hereditatem capiebant. Wernsdorf. — *Quod soli. Quid soli* Thu. marg. Const. *cæpimus* Regin. *prohibemur* Venet. Lips. Hactenus *soli* lectum est : sed legi potest *solidi*. Burm.

44. *Pro partibus hujus*. Cod. Guelf. *pro partibus usus*. W.

45. *Uncia nam libræ si deest*. Reg. S. Germ. *Uncia si libræ deest*. B.

46. *Erit ille decuncis*. Quo casu *decuncis?* Pro *decuncis*, legitur et *decunces*. Vin. *Deuncis* pro *decuncis*, qui et dextans dicitur, positum esse videtur. Cæs. *Erit illa* Regin. *Ac si* Thuan. *detrahas* Regin. *decunces* Thuan. *decuntes* Venet. Lips. B.

47. *Sed nullum reliquo*. Semunciam, id est, dimidium unciæ, si ex asse sustuleris, restabunt undecim unciæ et semis. Vin. *In reliquo* S. Germ. Regin. B.

48. *Dempta dabit. Tenta* Venet. Lips. *namque est* Regin. et S. Germ. et marg. Constant. et edit. Vineti, quod refutat Gronov. de Pecun. IV, 17, qui in veteri editione, *neque est* reperit : Villalp. *neque enim est*. Gron. legit, *quæque est hujus sescuncia triplex*. S. Germ. *semuncia*. Burm. *Neque enim est* habent Venet. Lips. Col. Pith. *neque inest* cod. Guelf. Impedita autem hujus loci sententia est, sive *neque enim est*, sive *namque est* legamus, nisi cum Gronovio corrigamus *quæque est hujus*, sive, quod e veteri scriptura *neque est* facilius emergit, *nec quæ est hujus*. Wernsd.

50. *Bessem dixere*. Regin. *bissem ;* Thuan. *bessen* B.

51. *Quincunce vocarunt*. S. Germ. et Regin. *cincunque*. B.

53. *Nam quæ dimidium. Nam qui*

Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa.
Cætera dicta prius quibus est semuncia major.

DE PONDERIBUS ET MENSURIS

HUMIDORUM ET FRUGUM.

Hæc de ponderibus : superest pars altera nobis,
Humida metiri, seu frugum semina mavis,
Cujus principio nobis pandetur origo.
Pes longo spatio, atque alto, latoque notetur :

Venet. Lips. *quod* ed. Pith. Vin. B.

54. *Tenui scribens in pulvere.* Geometriæ peritus. Sed quis hic? Vin. Dubitari potest, an hic *Musa* medicus ille fuit Augusti Cæsaris, cujus meminit Celsus uno alteroque loco, et post hunc Plinius, et inter Græcos scriptores Galenus, an alius quispiam. Cæs. *Scribens e pulvere* Venet. et Lips. Burm. *e pulvere* etiam mea Venet. et Lips. reliquæ omnes *in pulvere.* Frustra autem quæritur, Musa medicus, an alius hic laudetur. Nam *Musa scribens in pulvere* est mera descriptio artis Geometricæ, ut infra, v. 102, *mechanica Musa* laudatur. Mathematici dicuntur lineas et figuras suas in pulvere ducere. Docet Barthius ad Claud. de Cons. Mall. v. 126, ubi et hunc Nostri locum adducit. — Et conf. quæ notata sunt ad Carm. Licentii, huj. op. t. III, p. 421. Ed.

56. *Et de ponderibus. Hæc de* script. et ed. Pith. et marg. Const. Burm. *Hæc de* etiam unus cod. Guelf. et sic Vinet. Hot. Pith. dederunt, recte. W.

58. *Pandetur origo. Pandatur* S. Germ. et Regin. a manu secunda. Burm. *Origo,* ipsa nempe amphora, quæ erat principium et basis mensurarum apud Romanos, et e quadrato pede formabatur, quamvis deinceps commodioris usus gratia forma externa vasis ansata facta, atque hinc amphora vocata est. W.

59. *Pes.* Hic te non pigeat recurrere, lector candide, ad quintum doctissimi Budæi librum de Asse et partibus ejus, ut in quo horum versuum ille luculentam explanationem tradit et breviter, et eleganter. Cæs. — *Latoque notetur (in anglo).* Ineptus fuit, qui hoc *in anglo* subjecit ad complendum versum, quem sic mancum invenerat : *Pes longo spatio atque notetur.* Petrus Daniel Aurelianensis codicem antiquum miserat, in quo etiam mutilus erat hic versus, sicut in omnibus aliis nostris. De hoc ergo eum rogaveram, scripseramque, sic potius legi posse, *Pes longo spatio latoque notetur et alto;* quum ille rescripsit, se codicem habere ex impressorum antiquissimis, in quo sic legeretur : *Pes longo spatio, atque alto, latoque notetur.* Vin. *Longo spatio latoque notetur in anglo.* Regin. et S. Germ.

Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex,
Quatuor et quadris medium cingatur inane:
Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.
Hujus dimidium fert urna, ut et ipsa medimni
Amphora, terque capit modium: sextarius istum
Sex decies haurit, quot solvitur in digitos pes.

qui *angulo*. In ed. Venet. et Lips. relicta lacuna erat, *pes longo spncio...lntoque notetur*. Vineti lectionem Coust. in marg. habet et Pithœus. Burm. Lacuna hæc etiam in duobus codd. Guelf. conspicitur: *notetur in nnglo* habet ed. Col. Ego præferendam duxi Vineti lectionem, quam Hot. Pith. et Riv. adsciverunt, quia lacuna vett. editt. ostendit, in medio deesse vocem, non in fine, et quia, quæ versu seq. dicitur, *linea triplex* tres dimensiones nominandas docet. W.

60. *Angulus ut par sit*. Ut angulus sit æquabilis, et rectus: quem jungunt tres lineæ trium dimensionum, longitudinis, altitudinis, et latitudinis. Sed de fabrica amphoræ, quadrantis, cubi, lege Bndæum libro V de Asse, et Georgium Agricolam de restituendis Ponderibus et Mensuris, in fine. Vin. *Et par sit, quem claudat* Thuan. *ut pars sit, quam* S. Germ. *par sit quam* Venet. Lips. Burm. *Angulus et pars sit* MS Guelf. *et par sit* alter cod. Guelf.

61. *Quatuor ex quadris* Ven. Lips. Cæs. et Const. *et medium quadris* Regin. S. Germ. Burm. *et medium quadris cingatur* cod. unus Guelf. alter *et quadris medium*. Wernsdorf.—*Quatuor et quadris*. Quadra dicitur figura quatuor lineis vel lateribus inclusa, ut Auson. in Mos. 312, pyramis dicitur « quadro cono surgens in fastigia ». Et vide Sercui Moretum, v. 49. Quoniam amphora Romanorum constabat quatuor quadris, æqualibus angulis, pedem Romanum in longum, latum et altum habens, hinc etiam dicebatur quadrantal, et cubus. Wd.

62. *Fit cubus. Cujus* Thuan. *cibus* Reg. *Amphora fit cubus... ne violare liceret* Venet. et Lips. Burm. *quem ne* dedit Burm. sed Col. Vinet. Pith. et reliqui *quam ne*. W. — *Quam ne violnre liceret*. Locum hunc explicavit Georgius Agricola libro primo de Mensuris Romanis. Vin. Et vid. Excursus primus ad calcem hujus carminis.

63. *Tarpeio in monte*. In monte Capitolino, ubi fuit arx Tarpeia et Jovis Capitolini templum. Vin. Vid. Agric. lib. I de Mens. p. 18. B.

64. *Fert urna. Fertur nam ut* S. Germ. et Regin. *fertur velut ipsa* Thuan. Venet. Lips. Burm. *fertur nam ut ipsn medimni* duo MSpti Guelf. W.

65. *Terque capit modium*. Amphora. Vin. *Sextarius istum*; hoc est, modius capit sextarios sedecim. Idem. *Sestarius* Reg. ed. Cæsar. semper: *sextarius unum* Thuan. B.

66. *Sex decies. Sedecies* Pith. et marg. Const. B. — *Quot solvitur in digitos pes*. Pedem, quo res metimur, in sedecim partes æquales dividimus, quas adpellamus digitos.

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus,
Qui quater adsumptus fit Graio nomine chœnix.
Adde duos, chus fit, vulgo qui est congius idem,
A quo sextarî nomen fecisse priores
Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.
At cotyle cyathos bis ternos una receptat :
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmæ, si adpendere tentes:
Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad istas.
At mystrum cyathi quarta est; ac tertia mystri,

Dividitur idem et in duodecim, quas vocamus pollices. Vin.

68. *Heminas.* Ἥμισυ significat dimidium ; unde *heminam* dictam putant. Festus : *Hemina* ex græco ἥμισυ· quod est dimidia pars sextarii. Vin.

70. *Adde duos.* Ad quatuor sextarios, qui χοίνικα faciunt, adde duos sextarios, fient sex sextarii : qui χοία complent. Vinetus. Χοῦς *fit* Pith. distinctionem mutavi, *chus fit, vulgo qui est congius idem.*. Χοῦς Græcis, Romæ vulgo *congius* dicebatur. Burm.

71. *A quo.* Ita omnes, præter Pith. qui *e quo :* eadem diversitas apud Ovid. Fast. IV, 80, ubi vid. et Amor. I, 8, 3. Idem. *E quo* habent duo codd. Guelf. Idque rectius videtur.

73. *Cotyle. Cotyla* S. Germ. et Reg. *Cotylas* Thuan. B.

74. *De abaco. De bato* S. Germ. Regin. *nobis pondus quoque sæpe* Regin. *sed pondus nobis de vato sæpe notatur*, Thuan. Burm. *Id pondus*, nempe cyathorum, sæpe a *nobis notatur*, usurpatur, quando *de abaco*, mensa vinaria, poculum vini poscimus. Nam olim cyathis vinum metiebantur, atque hi positi erant in abaco. Horat. Sat. I, 16, 116: « et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet ». Et Juvenal. Sat. III, 204 : « urceoli sex, Ornamentum abaci ». W.

75. *Bis quinque.* Docuit Agricola, hoc intelligendum de pondere olei. Sensus ergo hujus loci erit, cyathum olei pendere decem drachmas. Vin. *Bis quinque* Cæs. Const. Burm. *Bis quinque* Ven. Lips. *Bis quinæ* Col. Hot. et Riv. — *Hunc.* Deest Pith. et S. Germ. deinde, *si adpendere velis* scripti et Pith. *velles* Venet. Lips. B. item Col. Hot. sed *tentes* Riv.

76. *Oxybaphus. Oxybatum erit si quinque addantur ad ista* Thuan. *Oxybaphum* S. Germ. *ad ista* Regin. a m. s. *ad illas* Cæs. Const. Gryph. Torn. Burm. *Oxybaphum* Col. Riv. *ad istas* Venet. Lips. Hot. Riv. — *Si quinque addantur.* Si quinque drachmæ ad decem addantur, fient quindecim drachmæ : quod continet cyathus semis. Vin.

77. *At mystrum cyathi. Ad mystrum cyathi quarta est ad tertia* Regin. *ad*

Quam vocitant chemen, capit hæc cochlearia bina.
Quod si mensuræ pondus componere fas est,
Sextarî cyathus pars est, quæ est uncia libræ :
Nec non oxybaphi similis sescuncia fiet :
Siciliquumque tibi mystro simulare licebit.
Cochlear extremum est, scriplique imitabitur instar.

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus : hanc facies, nostræ si adjeceris urnam.
Est et, bis decies quem conficit amphora nostra,
Culleus : hac nulla est major mensura liquoris.
Est etiam terris, quas advena Nilus inundat,
Artaba, cui superat modii pars tertia, post tres,

mystrum, cæteræ ; *ac tertia* Venet. Lips. *at tertia* Thuan. B.—E græco μύστρον, grande cochlear. Ed.

78. *Quam vocitant chemen*. Χήμη est rectus hujus ; quod varie corruptum fuit in nostris exemplaribus. De *cheme* et *mystro* Agricola libro III. Vin. *Chiam* Thuan. *gamen* Regin. *cyamen* Cæsar. B. *cyanem* Ven. Lips. Col.

80. *Sextarî cyathus*. *Sextario cyathus pars est, quam uncia librat* S. Germ. *sextario* Regin. *quæ est* et *unica libræ* Cæsar. Burm.

81. *Oxybaphi similis*. *Exobaphi* Regin. *Exobasi* S. Germ. *sexcuncia* Thuan. Regin. B.

82. *Simulare licebit*. *Similare* Ven. Lips. Pith. Vinet. *similare* vel *adsimilare* marg. Const. B.

83. *Scriplique imitabitur*. *Scrupulique* Ven. Lips. Col. W.

84. *Dicenda est*. *Discenda* Regin. S. Germ. et ed. Venet. Lips. Pith. Vinet. B. item Col. Hot. Riv. W.

85. *Hanc facies*. *Hunc* Regin. S. German. Videatur Agricola, de Mensuris Græcis, pag. 37. B. — *Nostræ*. Romanæ amphoræ, quæ continere duas urnas dicta est, si unam urnam addideris, fiet Attica amphora, tres complectens urnas. Vin. *Nos* et *nostra* quum Latini sint scriptoris, de Romanis capiendum, si Græci sint, de Græcis intelligendum ; videatur Rhod. Lex. Scribon. in *nos*. B.

86. *Amphora nostris*. *Nostro* Ven. Lips. *nostra* ed. Vinet. Pith. B. item Col. Hot. Riv.

87. *Hac* deest Thuan. *major nulla est* Thuan. Regin. S. Germ. B.

88. *Advena Nilus*, hoc est, ripas egrediens. Sic *advena Nereus* Claudiano, VI Cons. Hon. v. 496, et de Nilo Calpurn. VII, 68 : « Qui sata riparum venientibus irrigat undis ».

89. *Artaba*. Ἀρτάβη. Hesychius, ἀρτάβη, inquit, μέτρον Μηδικὸν σίτου· Ἀττικὸς μέδιμνος. Suidas item. Cæs. Ἀρτάβη, mensura Ægyptiaca, Persica, Medica : de qua plura Georgius Agricola in libro priore de externis Mensuris. Vin.

Namque decem modiis explebitur artaba triplex.

DE PONDERIBUS

VARIORUM LIQUORUM ET AQUARUM.

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores.
Nam libræ, ut memorant, bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ labentis olivi,
Selibramque ferunt mellis superesse bilibri.
Hæc tamen adsensu facili sunt credita nobis:
Namque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent; non denique vina,
Quæ campi aut colles nuperve aut ante tulere:
Quod tibi mechanica promptum est deprendere Musa.

90. *Namque etiam :* sic Venet. et Lips. *Namque decem* scripti et ed. Pith. Vinet. et Hotom. B.

91. *Illud præterea.* Idem Agricola libro tertio de Ponderibus. Vin. In ed. Venet. Lips. et Cæs. *Illud præterea... cohibere memento*, relicta lacuna : nec Thu. vocem *tecum* exhibet. *Illud præterea Veteres perhibere memento* Regin. non male: ita vs. 123, « Ex ipsis Veterum poteris cognoscere chartis »; et ita sæpe medici. Vid. Rhod. Lexic. Scrib. in voc. *auctores antiqui*. B.

92. *Finitum.* Hic versus deest in Venet. et Lips. B.

97. *Bessem sextarius. Bissem* Regin. *bessen* Venet. et Lips. B. *addit* Hot. Riv. Hunc locum et reliqua hujus carminis, quæ de ponderibus liquidorum, item auri et argenti comparandis et examinandis agunt, uberius declarata a G. S. Klügelio, V. C. quem super ea re consului, invenies in Excursu II ad calcem hujus carminis.

95. *Labentis olivi.* Ita scripti et editi plerique : *liventis* ed. Pith. Vinet. forte *flaventis* Heinsius. *Labens oleum* in palæstræ mentione sæpe occurrit, sed hic locum vix habet. Burm. *Liventis* etiam Col. et Riv. præferunt.

96. *Selibramque. Sed libramque* Thuan. B.

99. *Puteis. Putei* Thuan. Regin. B.

101. *Nuperve aut ante. Nuper dant tanta tulere* Reg. a m. pr. Burm. His verbis vina discernit juxta ætatem, recentia, inquit, aut vetustiora. W.

102. *Promptum est depromere. Est promptum* Thuan. *deprendere* Regin.

Ducitur argenti, tenuive ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
Cui cono interius modico pars ima gravatur,
Ne totus sedeat, totusve supernatet undis.
Lineaque a summo tenuis descendit ad ima,
Ducta superficie : tot quæque in frusta secatur,
Quot scriplis gravis est argenti ærisve cylindrus.
Hoc cujusque potes pondus spectare liquoris.
Nam si tenuis erit, majori mergitur unda :

S. Germ. uon male Burm. *Deprehendere* vet. cod. a Pithœo citatus, et *deprehendere* ed. Col. Etsi Burmannus cnm plerisque editis *depromere* habent, ego præoptavi *deprendere*, quia *promptum est* et *depromere* male junguntur, el auctor eo verbo simili in re sæpius utitur. Vid. v. 126 et 156. W. — *Mechanica Musa.* Id est, operoso ingenio, μηχανικῇ. Cæs. Τῇ μηχανικῇ τέχνῃ, mechanicæ artis instrumenti artificio et experientia. Const.

103. *Ducitur argenti. Dicitur* Regin. *cylindris* Thuan. Regin. et ita mox v. 109. Burm. *Ducitur argento* Hot. Pith. Riv. Sic plane describit Synesius hydroscopium, sive βαρύλλιον, quod sibi mitti ab Hypatia magistra petit Epist. XV: Σωλήν ἐστι κυλινδρικὸς αὐλοῦ καὶ σχῆμα καὶ μέγεθος ἔχων, etc. W.

104. *Quantum*, id est, quantum aruudinis interuodium. Const.

105. *Cui cono.* Conus e ligno cylindrum snbiens basin obturat. Vide in nostro Lexico βαρύλλιον. Const. *tono* Venet. Lips. B.

106. *Sedeat.* Heins. malebat *sidat*: ul marg. Constantin. B.

107. *A summo.* Sic habent hic scripti calamo codices, et sic legendum, non *a summa*. Vin. Lege, *a summa* ...*ad imam Ducta superficiem, quæque in tot frusta*: frusta ἀκύρως pro segmentis, interstitiis, ac intervallis distinctæ lineæ. Const. *Descendat* Regin. dein *super facie totque quam* idem: *secetur* Thuan. *tot quæqua* S. Germ. Burm. a *summo* Ven. Lips. Col. Hot. Pith. Riv.

108. *Tot quæque*, etc. Et quæ linea ducta in superficie cylindri secundum longitudinem a summo ad imum ejus in tot partes dividitur, quot scripula pendit cylindrus. Vin.

110. *Hoc.* Hac re, cylindro. Id.— *Potest. Potes* ed. Pith. Vinet. *peccare* S. Germ. B. *cujusque potes* Col. Hot. Riv. et hoc rectum. In *spectare* exprimit græcum ejus instrumenti vocabulnm ὑδροσκόπιον. W.

111. *Si tenuis.* Si liquor tenuis rarique corporis atque consistentiæ, plus immergitur, siditque cylindrus : sin densioris spissiorisque substantiæ, is ipse liquor magis resistit ponderi, magisque hoc sustinet, pluresque moduli (id est, partitæ lineæ distinctiones) exstant extra liquorem. Const.—*Majori immergitur*, subaudi, pondere. Cæs. Legitur et *majori mergitur*. Sensus autem est : Si aqua, in quam cylindrum injeceris fuerit tenuis et levior,

Sin gravior, plures modulos superesse notabis ;
Aut si tantumdem laticis sumatur utrimque,
Pondere præstabit gravior ; si pondera secum
Conveniunt, tunc major erit, quæ tenuior unda est.
Quod si ter septem numeros texisse cylindri
Hos videas latices, illos cepisse ter octo,
His drachma gravius fatearis pondus inesse ;
Sed refert æqui tantum conferre liquoris,

ea cedet oneri ; et in eam cylindrus altius descendet, majoreque pondere. Sed confer hnc, qnæ de aqua marina et fluviali disputat Aristoteles in Problematibus, et Macrobius septimo Saturnaliorum. Vin. *Major submergitur* Thuan. *major mergitur* Regin. *major immergitur* Ven. Lips. *majori mergitur* Cæsar. Gryph. *immergitur* Vinet. Pith. Burm. Etiam antiqua Col. habet *majori mergitur unda*. Atqne hanc lectionem præfero alteri, *majori immergitur, unda*, quæ *majori* intelligit de pondere majore cylindri. Nam *major unda* est copiosior, majoris modi, et plus spatii occupans, quemadmodum mox ipse auctor dicit v. 115. Sensus itaque est : Si tenuis erit liquor, tum cylindrus profundius descendet, et majore undæ copia tegetur. W.

112. *Plures modulos*, id est, partes, in qnas cylindrus intelligitur divisus. Cæs. Plura, quæ dixit, frusta et partes cylindri, super aquam exstabunt. Vin.

113. *Aut si tantumdem*. Ut cyathum aquæ fontanæ, verbi gratia, et cyathum pnteanæ. Quamquam scribit Plinins, libro XXXI, levitatem deprehendi aliter, qnam sensu, vix posse, nullo pæne momento ponderis aquis inter se distantibus. Vin. *At si* Regin. Thuan. B.

114. *Gravior*, id est, densior. Const. *perstabit gravior* Lips. W. — — *Si pondera secum. Pondere* pro *pondera* quædam exemplaria, sed eodem sane, puto, sensu. Si aquarum et aliorum liquorum pondera inter se conveniunt, aut si aquæ pari inter se conveniunt pondere ; ut si fuerit, exempli causa, aquæ pluviæ libra, et libra aquæ fluvialis, major erit quantitas aquæ pluviæ, quam alterius ; quod aqua pluvia sit tenuior et levior. Vin. *pondere* S. Germ.

115. *Major erit*. Loci plus occupabit. Const. — Vide supra notata ad vers. 111. Ed.

116. *Ter septem numeros*. Viginti unam earum partium, in quas divisa sit linea longitudinis cylindri. Vin. *Ac si ter* Regin.

117. *Illos*. Alteros latices, alterum liquorem. Vin.

118. *His drachma gravius*. Longitudinem cylindri divisit in scripula. Sunt autem tria inter viginti unum et viginti quatuor, quæ drachmam faciunt. Idem. *Levior* liquor, in quo plus pondus mergitur ; *gravior*, cui minus. Const.

119. *Sed refert æqui*. Difficiliorem sensum hujus loci, quem sicco pede transeunt priores interpretes, explicatum vide a Klügelio. W. — Scilicet in Excursu II ad calcem hujus carminis subjecto. Ed.

Ut gravior superet drachma, quantum expulit undæ
Illius aut hujus, teretis pars mersa cylindri.
Hæc de mensuris, quarum si signa requires,
Ex ipsis Veterum poteris cognoscere chartis.

DE INVENTIONE

ARGENTI AURO IN UNA MASSA PERMIXTI.

Nunc aliud partum ingenio trademus eodem.
Argentum fulvo si quis permisceat auro,
Quantum id sit, quove id possis deprendere pacto,
Prima Syracosii mens prodidit alta magistri.
Regem namque ferunt Siculum, quam voverat olim
Cælicolum regi, ex auro statuisse coronam:
Compertoque dehinc furto (nam parte retenta,

122. *Quarum si signa*. Mensurarum, ponderum, numerorum notæ exstant, sed corruptæ pleræque, apud Cornelium Celsum, Valerium Probum, Volusium Metiannm, Scriboninm Largum, Prisciaum, Bedam, Paulum Diaconum, al. Vin. *requiris* Thuan. et Regin. a manu secunda. B.

125. *Argentum fulvo*. Scribitur et *flavo*. Vin.

127. *Prima Syracosii*. Archimedem Syracnsanum, Mathematicum, significat. Habes antem hujus rei historiam apud Vitruvium, lib. IX, cap. 3, cujus initium hnjusmodi est: « Archimedis vero qunm multa miranda invenla varia fuerint, etc. » deinde sequitur: « Hiero Syracusis auctus regia potestate, rebus bene gestis, qnum auream coronam votivam Diis immortalibus in quodam fano constituisset ponendam »: reliqua apud ipsum Vitruvinm quære, ac lege. Cæs. *Syracosio* snnt, qui scribere maliul in Sileno Virgilii, quam *Syracusio*. Syracusanus autem Archimedes quomodo deprehenderit argenti in aurea corona mistionem, et manifestum artificis furtum exponit pluribus Vitruvius libro IX. Vin. *Syracosii* sine dubio scribendum, si metri ratio sit habenda. Vide ad Ovid. Fast. VI, 277. Burm.

128. *Siculum*. *Siculo* S. Germ. *Siculam* Venet. Lips. et Gryph. Const. Keuch. nescio, quo sensu; nam *Siculam coronam* dicere ineptum videtur: *quam moverit* Regin. et S. Germ. *noverat* male Venet. Lips. Burm.

130. *Compertoque dehinc*. *Comperto dehinc* Reg. *dein* S. Germ. mox

Argenti tantumdem opifex immiscuit auro),
Orasse ingenium civis, qui mente sagaci,
Quis modus argenti fulvo latitaret in auro,
Repperit, illæso, quod Dîs erat ante dicatum.
Quod te quale siet, paucis, adverte, docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc adpendere mos est,
Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet; hasque
Submittes in aquam: quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat pars hæc, quæ sustinet aurum;
Densius hoc namque est, simulari et crassius unda.

retenta Argenti tantumdem ed. Vinet. Pith. et marg. Const. *tantumdem argenti* Regin. Burm. *parte retenti Tantumdemque argenti* Venet. Lips. Col. W.

134. *Illæso, quod Dîs erat.* Corona illa aurea, jam facta. Vin. *Illæsum quod* Constant. Keuch. *in læso quod Diis erat ante dicato* Thuan. S. Germ. B.

135. *Quale siet. Fiet* Regin. *sciet* Venet. Lips. B. — *Paucis, adverte, docebo.* Est hemistichium Virgilii, Æn. IV, 116, et VIII, 50. W.

136. *Adpendere. Perpendere* Thu. Reg. *hoc perpendere* S. Germ. B.

137. *Quod edax. Quæ edax* Regin. mox, *imponens libras neutro ut* Thu. *neutro* etiam S. Germ. *imponens libras neutro præponderet* Venet. Lips. mox, *summistis* Thuan. *summittens in aqua* Venet. Lips. *quam pura* Thuan. Venet. Lips. Burm. Lectio antiquæ Ven. et Lips. falso notata a Burmanno. *Summittis in qua quam pura* Ven. 1475. *Sumitis iniqua quam pura ut* Lips. *Summittes in aquam quam pura aut* Colon. W.

141. *Densius hoc.* Hic quædam exemplaria P pro D habent, et *Pensius* pro *Densius.* Sunt autem hæc magis etiam corrupta apud Palladium in libro de Architectura. Vin. *Pensius* Venet. Lips. Cæsar. Gryph. Ridicule Keuchen. ad Sam. cap. 15, quasi primus hoc prodidisset, emendare se ait *Densius:* an ergo nullas editiones, in quibus ita diu ante eum natum jam legebatur, vidit? *simulari gressior* Regin. *simulare crassius* Venet. Lips. *similari et crassius* Const. *similari crassius* Pith. Vin. Burm. Nolim ego spernere, quod antiquiores edd. habent, *Pensius.* Quamquam hoc de æstimatione animi, sive de eo, quod æstimio, non lance, prævalet, usitatius dicitur, idem tamen a sensu, quo, quod ponderosius est, notat, non excludendum est. Probat compositum *propensior*, quod infra, vs. 150, idem est ac præponderans, et similiter Ciceroni, Paradox. III: « Caussa hæc, non natura, distinguit, quæ quando utro accessit, id fit propensius; si utroque adjuncta sit, paria fiant necesse est ». Ceterum *simulari crassius unda* explico: crassius est, quam ut unda simulari, hoc est, æquari vel comparari

At tu siste jugum, mediique e cardine cenlri
Intervalla nota, quantum discerpserit illinc,
Quotque notis distet suspenso pondere filum.
Fac drachmis distare tribus. Cognovimus ergo
Argenti atque auri discrimina : denique libram
Libra tribus drachmis superat, quum mergitur unda.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta est, .
Argentique meri par pondus, itemque sub unda
Lancibus impositum specta : propensior auri
Materies; subsistet enim, furtumque docebit.
Nam si ter senis superabitur altera drachmis,
Sex solas libras auri dicemus inesse,
Argenti reliquum : quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.
Hæc eadem puro deprendere possumus auro,
Si par corrupto pondus pars altera gestet.
Nam quoties ternis pars illibata gravarit

cum unda queat. Sic supra, vs. 82 : « Siciliquumque tibi mystro simulare licebit ». W.

142. *Siste jugum*, tempera trutinam et ab inclinatione revoca, quod *examen castigare* dicit Persius, I, 7. *Jugum* pro hasta vel scapo libræ : ut de Libra cælesti Manil. I, 609 : « Et juga Chelarum medio volitantia cælo ». W. — *Mediique e cardine*. *E* deest Regin. B.

143. *Discerpserit* incommodum verbum hoo sensu et loco. Rectius paullo Hotomannus *descerpserit* edidit, quemadmodum supra, v. 34, *decerpseris* dictum est. Fortasse aptius sit, si scribas *quantum discesserit illinc* : cui et convenit, quod sequitur, *distet*. Idem videbatur Cl. Klügelio. W.

144. *Quotque*. *Quodque* Regin. Venet. et Lips. quæ et *distat*. B.

147. *Denique libra... supera quum mergitur unda* Lips. W.

148. *Sume dehinc*. *Sume hinc* Regin. Buam.

149. *Meri per pondus*. Ven. Lips. W.

150. *Specta*. *Exspecta* Regin. cum S. Germ. Venet. Lips. B.

151. *Materies*. Alias *sub aquis fiet*. Cæs. sic Pith. et Riv. W.

153. *Dicemus inesse*. Omnino legendum arbitror *discemus*, quod miror nullam editionum veterum præferre, ut supra, v. 84, *discenda est* perhibuerunt. W. — *Dicere* enim et *discere* sæpe mutata vide in Anthol. Burm. V, ep. 143, 1 : « Quis volucrum species numeret, quis nomina discat », ubi vult *dicat*. En.

157. *Corrupto*. *Corrupti* scripti et Venet. Lips. Pith. Vinet. *correpto* marg. Const. B. *corrupti* etiam Col. Hot. Riv.

Corruptum drachmis sub aquam, totidem esse notabis
Argenti libras, quas fraus permiscuit auro.
Pars etiam libræ quævis si forte supersit,
Hæc quoque drachmarum simili tibi parte notetur.
Nec non et sine aquis * * *

159. *Corruptam. Correptam* Venet. Lips. Cæsar. Gryph. *eorruptum* Vinet. *sub aquis* Regin. a m. pr. *sub aqua* Cæsar. Pith. Burm. *Correptam* etiam Col. *corruptum* Vin. et Hot. quod præfero: *sub aqua* Riv. Sed hoc haud dubie a correctione editorum est, et *sub aquam* vera lectio. Nam Priscianum solere *sub* cum quarto casu jungere, multis locis Periegeseos vidimus. W.

160. *Permiscuit. Promiscuit* Regin. S. Germ. Vinet. B.

162. *Simili. Simili* S. Germ. et Regin. in quo deerat *parte* B. *similis tibi* Pith. Riv. W.

163. *Nec non et sine aquis.* Extremum hoc carminis hemistichium in omnibus nostris exemplaribus. Quod autem per aquam docuit, id etiam sine aqua deprehendi posse, deinceps docebat Fannius, si forte carmen absolvit, quod ad nos venit imperfectum. Vin. *Nec non sine aquis*, omisso *et*, Ven. et Lips. W. — Facile finiri potest versus: *poteris deprendere furtum*. Aliam solutionem problematis promittit. Ed.

EXCURSUS I

AD PRISCIANI CARM. DE POND. ET MENS. vs. 62 et 63.

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.

Amphoram Capitolinam hic memorat Priscianus, eamque dicit, tamquam exemplar justæ legitimæque mensuræ, Jovi sacratam et in Capitolio adservatam, ut quasi lex et norma omnium mensurarum esset, quam excedere vel violare negotiatoribus, venditoribus, exactoribus non liceret. Hac de Amphora, et universe de ea cura veterum Romanorum, quam ponderibus et mensuris publice proponendis et servandis, ad mensuras privatorum exigendas et reprimendas fraudes, adhibuerunt, hac occasione paullo agemus diligentius, si quidem plures docti viri hoc Prisciani vel Fannii loco pro argumento istius rei demonstrandæ usi sunt, nominatim Georg. Agricola, de Mens. et Pond. lib. I, p. 45, edit. Basil. 1533; Lucas Pætus, de Mens. et Pond. Rom. et Gr. libri III initio; Is. Casaubonus ad Capitolini Maximin. cap. 4; Jac. Gothofredus ad Cod. Theod. lib. XII, tit. VI de susceptor. leg. 19 et 21. *Capitolinam amphoram* vocari non alio loco invenio, præter illum modo citatum Julii Capitolini, ubi Maximinum seniorem ait *bibisse sæpe in die vini Capitolinam amphoram*. Quo quidem, ipsum amphoræ Capitolinæ vas ad bibendum adhibitum, significare non potest, sed mensuræ amphoram legitimæ, cujus est illa in Capitolio servata. Credibile est, scriptorem illum idcirco Capitolinam dixisse, ut justæ amplitudinis, et vulgaribus

mensuris majorem significaret. Observat Casaubonus ad l. c. mensuras Capitolinas vel urbanas, aut Italicas dictas esse, quæ majores essent aliis, quarum vulgo usus, saltem in certis rebus, etiam Romæ, nedum in provinciis, esset. Probatque hoc ex verbis Symmachi, qui libro X, epist. 33: « Mille sexcentas auri libras decennalibus imperii tui fastis devotus Ordo promisit, urbanis ponderibus conferendas », id est, trutinæ largioris examine. Et ipse Priscianus hoc carmine, v. 29, docet, libram urbis Romæ et totius Italiæ majore fuisse pondere, quam Atticam. Quamquam Priscianus Amphoram tantum, pro exemplo mensuræ legitimæ in Capitolio servatam, nominat, hoc tamen ita accipi non debet, ac si solum vas amphorale ibi exstitisset. Sed amphoram nominare videtur pro generali mensurarum nomine, quia hæc basis omnium habebatur, atque ea mensura constituta facile cæterarum capacitas deprehendi poterat: siquidem amphora duabus urnis constabat, urna quatuor congiis, congius sextariis sex, etc. Et congium Capitolinum exstitisse, docet inscriptio vetus in vase ejus mensuræ æreo reperta, quod in promptuario Farnesiano adservatum, et a Luca Pæto in calce operis sui depictum proponitur. Inscriptio autem hæc est:

IMP. CAESARE
VESPAS. VI COS.
T. CAES. AVG. F. IIII
MENSVRAE
EXACTAE. IN
CAPITOLIO.
P. X.

Intelligimus ex hac inscriptione, factum fuisse certis temporibus Romæ, ut mensuræ urbanæ publice examinarentur, et ad amussim exemplarium in Capitolio servatorum exigerentur, aut etiam nova mensurarum ejusmodi exempla ad explorandas alias in Capitolio reponerentur. Nam ipsum

congium, ea inscriptione insignitum, ex eorum numero fuisse patet. Neque vero hæc exactio publica Vespasiani ævo primum facta, aut in solis mensuris exercita est; sed, pondera quoque legitima in Capitolio servata et exacta esse, ex inscriptione multo antiquiore intelligitur, quæ in exemplari ponderis apud Sponium, Miscell. erud. antiq. p. 303, exstat:

EXAC. IN CAPIT
Q. FABIO MAXIMO IIII
M. CLAVDIO MARCELLO
P. XX.

Consules hi fuerunt A. U. 539, atque hoc igitur tempore videmus publicas mensurarum et ponderum formas in Capitolio exstitisse servatas. (Wernsd. in Addendis.)

Sacrata Jovi dicitur Amphora, ut esset inviolabilis, et quasi sanctitate aliqua munita perpetuo conservaretur, tamquam regula aliarum mensurarum. Nam ad perpetuam conservationem subinde vasa sunt in templis consecrata. Cujus rei exemplum memorat Plinius, qui lib. XXXV, cap. 12, de fictilibus agens dicit: « Erythris in templo hodieque ostenduntur amphoræ duæ, propter tenuitatem consecratæ discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret ». Sed ad firmitatem et durationem eorum vasorum etiam de materia provisum est publice. Valentinianus et Theodosius Augg. lege caventes, ut per singulas imperii Romani civitates pondera et mensuræ publicæ essent, hac de caussa æneas et lapideas fieri jusserunt. Sic enim illi edicunt Cod. Theod. lib. XII, tit. VI de susceptor. l. 21: « Modios æneos vel lapideos, cum sextariis atque ponderibus, per mansiones singulasque civitates jussimus collocari, ut unusquisque tributarius sub oculis constitutis rerum omnium modis sciat, quid debeat susceptoribus dare ». Et congium Capitolinum a Luca Pæto descriptum, idem testatur, ex ære vel orichalco esse. Quando vero sacrata et sancta erant vasa Capitolina, exigendis mensuris destinata, distinguendæ ab iis et alio significatu accipiendæ sunt, quæ subinde *sacræ urnæ*

templorum memorantur. Hæ enim aquæ hauriendæ et in templum portandæ serviebant, ad abluenda sacra. Sic Plautus, Rudent. Act. II, sc. 5, 16, *sacram urnam Veneris* nominat, et mox:

> Metuo, hercle, ne illa mulier mihi insidias locet,
> Ut comprehendar cum sacra urna Veneria:
> Nempe optimo me jure in vinculis edicet
> Magistratus, si quis me hanc habere viderit.
> Nam hæc literata est: ab se cantat, cuja sit.

Ex eo loco discimus, urnas sacras nomina habuisse inscripta, cujus fani aut Dei essent, ut sacrificiis eas inservire significaretur. Tali urna Ilia dicitur aquam petiisse ad sacra Vestæ lavanda. Ovidius, Fast. III, 11, seqq. *Ilia Vestalis*,

> Sacra lavaturas mane petebat aquas.
> Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
> Ponitur e summa fictilis urna coma.

Idem de Amymone refert Ovid. Amor. I, 10, 5. Et de Tarpeia Propertius, IV, 4, 15:

> Hinc Tarpeia Deæ fontem libavit: at illi
> Urgebat medium fictilis urna caput.

Antiquitus ædilium munus fuisse videtur, amphoras et modios ad mensuram Capitolinæ examinare, si opus esset. Hinc *ædilitium modium* a Varrone apud Nonium (pag. 271, voc. *convenire*, *similem esse*) dici arbitror, ut Capitolinum, qui sit æquus et legitimus: nam ædiles de mensuris cognoscebant, et ipsi æquas justasque habebant, ad quas exigerent alias, frangebant iniquas. Persius, Sat. I, 130:

> Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
> Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

Juvenalis, Sat. X, 101:

> Et de mensura jus dicere, vasa minora
> Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris.

Seriore ævo imperii Romani, quum pondera et mensuræ pu-

blicæ per singulas civitates essent distributæ, par munus concessum videtur Defensoribus civitatum. Certe lege aliqua Honorii et Theodosii (quæ est 3 tit. de superexact. lib. XI Cod. Theod.) hæc Defensoribus cura et solertia contra susceptores tributorum, qui subjectis majoribus mensuris et ponderibus possessores damno adfecerint, injungitur, ut deprehensos cum indicio fraudis commissæ ad judices dirigant. Aristides, ut adnotavit Casaubonus l. c. in tertio Sermonum sacrorum, p. 316, vol. I, edit. Jebb. mentionem facit mensuræ vini, cujus nomen ἡμίνα βασιλική. Namque narrat, quum propter valetudinem vino diu abstinuisset, monitum a Deo suo esse, ut heminam regiam sive imperatoriam vini biberet. Hæc hemina βασιλική Casaubono videtur esse Capitolina, sive urbana. Cui sententiæ hactenus adsentior, ut existimem, βασιλικὴν ab Aristide mensuram dici publicam, Imperatorum Rom. auctoritate in provinciis constitutam, ad tributorum et pensionum publicarum modum definiendum. Quæ ipsa tamen an cum urbana et Capitolina convenerit, nunc equidem certum non habeo. Sed majores provincialibus urbanas et Italicas mensuras videri, supra jam monuimus.

Etsi, quo tempore Romæ institui et servari mensurarum et ponderum normæ in Capitolio cœperint, incertum est; id tamen dubitari nequit, jam antiquis rei publicæ temporibus mensuras et pondera legitimam definitionem et publicam regulam habuisse (1). Et quum Suetonius, cap. 8, memoret, Vespasianum magna industria restitutionem Capitolii conflagrati aggressum esse, atque inprimis æréarum tabularum tria millia, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, restituenda suscepisse, sane credibile est, in rebus Capitolii a Vespasiano restitutis fuisse etiam publicas mensurarum et ponderum formas, ad pristinam legitimamque rationem exactas. Olim autem in re publica legibus singularibus non solum mensuræ et pondera definita,

(1) Hanc periodum sic correxi ex ipso Wernsdorfii monitu, qui ob correctionem sup. p. 461 et seq. factam supervacua quædam hic deleri jubet. Ed.

sed et cura custodiaque eorum certis magistratibus mandata et sancita est. Servavit Pomp. Festus in *Publica pondera* plebiscitum antiquum, quod duo Silii P. et M. Tribuni plebis rogarunt, in quo post definitum quadrantalis, congii, sextarii, modii numerum librarum, hæc additur sanctio: « Si quis magistratus adversus hæc D. M. (dolo malo) pondera modiosque, vasaque publica, modica, minora, majoraque faxit, jussitve fieri, dolumve adduit, quo ea fiant, eum quis volet magistratus mulctare, liceto, etc. » Quum in hoc plebiscito cum mensuris *vasa publica* nominentur, videntur omnino vasa significari publice aliquo loco proposita, ad normam justæ et legitimæ mensuræ tuendam; etsi in Capitolio an tum fuerint servata, non liquet. De magistratibus ibi memoratis non dubium est, Prætores inprimis et Ædiles intelligi, quibus venditionum, mercium et mensurarum curam mandatam fuisse constat. Sub Imperatoribus quum Præfecti Urbis fierent, quorum veluti conflata ex prætorio et ædilitio munere potestas erat, hos legimus inprimis de ponderibus publicis cognovisse. Quamquam exstabant in Capitolio mensuræ et pondera publica, non poterant, in urbe tam magna, privatorum pondera ubique et semper ad Capitolinum exemplar exigi; neque ratio hæc ad tuendam ubique ponderum legitimam æqualitatem, fraudesque venditorum avertendas, sufficere visa est. Itaque sequioribus temporibus legimus Præfectorum Urbis provisione multiplicata per urbem ponderum et mensurarum exemplaria, ipsosque Imperatores sæpe eorum examinandorum vel exigendorum curam ad se revocasse. Profert Raph. Fabrettus, Inscriptt. antiq. VII, 380, pag. 528, inscriptionem vasis ænei antiqui amplo ore, et latis labris, Neapolim in Musæum Andreinum perlati, quæ, exstitisse mensuras in Capitolio, et ad exemplum earum per regiones Urbis missas esse, testatur, quo Cæsare Augusto auctore, non liquet:

MENSVRAE AD EXEMPLVM
EARVM. QVAE. IN. CAPITOLIO SVNT
AVCTORE SANCTISSIMO AVG. N.
NOBILISSIMO CAES
PER REGIONES MISSAE CVRA. D. SIMONIO
IVLIANO PRAE. VRB. C. V.

Sub Valentiniano sen. circa ann. Chr. 368, Vettius Agorius Prætextatus, Præf. Urb. cujus insigne elogium monumento publico proditum exstat in Burmanni Anthol. Lat. lib. IV, ep. 201, « pondera per regiones *Urbis* universas instituit, quum aviditati multorum, ex libidine trutinas componentium, occurri nequiret », teste Ammiano Marcell. lib. XXVII, cap. 9 extr. Ut ipse Valentinianus edicit leg 4, tit. IV *de suariis, pecuariis*, lib. XIV Cod. Theod. Prætextati decessor Turcius Apronianus anno superiore jam instituerat, ut in carnibus vendendis « æstimandi licentia suariis denegata, pondus porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quæreretur », sive, ut in ipso Aproniani edicto enuntiatur, quod etiamnum tabula marmorea servatum exstat, et in Corpus Inscript. Gruter. pag. 647, n. 6, relatum est, « ut consuetudine æstimandi submota sub exagio potius pecora venderentur,... carne sub conspectu publico fide ponderis comprobata ». Valentinianus jun. et Theodosius lege 19, tit. *de susceptor.* A. C. 383, jubent « in singulis stationibus et mensuras et pondera publice collocari, ut fraudare cupientibus fraudandi adimant potestatem ». Theodosius jun. Novella XXV edicit : « De ponderibus ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia, quæ sine fraude debeant custodiri ». Et Majorianus Imp. Novell. I, « fraudibus obviandum existimans, quas in varietate ponderum exactorum calliditas facere consuevit, *jubet* a prætoriana sede ad singulas non solum provincias, sed etiam civitates, pondera examinata mitti, quibus tam omnis exactor, quam negotiator, utatur ». Quæ præterea eam in rem constituta a

Theodorico rege sunt, adnotavit Gothofredus ad dictam legem 19 tit. *de susceptor.* Hoc tantum extremo loco, Gothofredo et Casaubono monentibus, observamus, moris fuisse postea, ut acceptas ab Imperatore mensuras et pondera servarent vel Papa, vel Senatus. Exstat enim Justiniani pragmatica sanctio, cujus cap. XVIII jubentur dari vel suscipi species vel pecuniæ « in illis mensuris, inquit, vel ponderibus, quæ beatissimo Papæ, vel amplissimo Senatui nostra pietas in præsenti contradidit. » Immo etiam in Ecclesiis eodem fine adservata esse pondera, testis est Justiniani Novella 128, c. 15. Quo pacto servatus quodammodo est ritus Amphoræ Capitolinæ Jovi olim sacratæ, ut, quemadmodum veteres Romani solerent mensuras et pondera publica, intemeratæ custodiæ caussa, sacrare Jovi, et in Capitolio, loco sancto, deponere, ita Christiani Imperatores vellent eadem in sacrariis templorum servari.

EXCURSUS II

AD PRISCIANI CARM. DE POND. ET MENS.

a versu 93 ad finem.

Hujus Excursus loco ponere placuit observationes nonnullas, quibus loca hujus carminis difficiliora, quæ de ponderibus diversis liquidorum, et de auri argento permixti exploratione agunt, ex hydrostaticis rationibus luculentius explicare, meo rogatu invitatus, voluit vir harum rerum intelligentissimus, amicissimusque collega, Georgius Simon *Klügel :*

V. 93-96. Libet comparare rationes pondcrum hic traditas cum iis, quas recentiorum experimenta suppeditant. Pondus sextarii aquæ puræ hic perhibetur $1\frac{2}{3}$ libræ, et olei olivarum $1\frac{1}{2}$ libræ. Ratio ergo gravitatum specificarum aquæ et olei est 10 : 9. Hæc satis exacte convenit cum ea, quam Musschenbroeckius adsignat in Philos. Natur. t. II: nempe 1000 : 913. Pondus sextarii mellis hic dicitur esse $2\frac{1}{2}$ librarum. Itaque ratio gravitatum specificarum seu densitatum aquæ et mellis est $1\frac{2}{3} : 2\frac{1}{2}$, sive 2 : 3, sive 10 : 15. Musschenbroeckius hanc rationem tradit 1000 : 1500, vel etiam 1000 : 1450, quarum prior exacte eadem est, quæ auctori nostro.

V. 105, 106. Conus modici ponderis, e plumbo vel alio metallo conflatus, cylindri cavi basi inferiori insidet, eumdemque hac parte graviorem efficit, quo fit, ut cylindrus erectus in fluido natet. Absque enim cono hoc, vel alio corpore, cylindri partem extremam alteram gravante, instru-

mentum totum aquæ innataret, basi utraque prominente; addito pondere quodam exiguo ad superficiem aquæ inclinaretur; sed nimis gravatum, si aqua ponderosius fiat, ad fundum vasis pertingeret, eique insisteret. Quare pondus coni ita temperandum est, ut tum in levioribus, tum gravioribus aqua liquoribus cylindrus erectus hæreat. Pondus liquoris expulsi, cujus locum cylindrus occupat, æquale erit ponderi cylindri, et densitates liquorum diversorum sese habent reciproce, ut portiones cylindri liquori immersæ. Cæterum coni loco aliud quoque corpus satis grave cylindro immitti posset, sed conus situm stabilem obtinet, ita ut non timendum sit, ne *baryllion* inclinetur, dummodo basis coni cum basi cylindri fere conveniat. Cylindrus aliquis solidus, ejusdem cum cono ponderis, et ex eadem materia confectus, idem præstaret, quod conus. Sed auctor conum fortasse eam ob caussam adhibet, ne de duplici cylindro loquens obscurus fieret.

V. 107, 108. Superficiem hic sumo pro basi cylindri. Ducenda est linea a basi superiori ad inferiorem. Legendum existimo *imam* loco τοῦ *ima*.

V. 111. *Majori immergitur unda*, h. e. altius immergitur; majorem liquoris portionem expellit. Legendum autem *undæ*, sive *mergitur* loco *immergitur*. Res ipsa ex Hydrostaticis satis patet. Densitates seu gravitates specificæ corporum sunt inter se, ut pondera eorum, si volumina sive spatia ab ipsis occupata sunt æqualia. Sed sumptis ponderibus æqualibus, uti hoc loco fit, densitates sunt reciproce ut volumina, sive reciproce ut partes cylindri immersæ.

V. 113-115. Ad aliam rationem explorandæ densitatis transire videtur auctor. Si duo vasa æqualia diversis liquoribus replentur, liquor densior pondus majus habebit. Si vero duorum liquorum æqualia pondera sumuntur, tenuior majus spatium occupabit, ita ut v. g. aquæ et olei olivarum æqualia pondera repleant spatia, quæ sunt ut 9 : 10, si den-

sitates sunt ut 10 : 9. Loco vasis, liquore implendi, adhiberi quoque potest cylindrus immergendus, ea ratione, ut in densiore liquore, pondere addito, altius descendat, et quidem ad eamdem notam, ad quam in tenuiore subsistit, quo facto æqualis portio liquoris utrimque examinatur, et densitates sunt ut pondera cylindri utrimque reperta. Forsitan auctor hoc innuere voluit, quia versibus sequentibus ad explicandum usum instrumenti cylindrici redit.

V. 116-121. Versus tres posteriores enuntiatum trium priorum restringunt. Oportet nempe, ut utriusque liquoris volumina æqualia accipiantur, et pondus utriusvis tot scripla contineat, quot partes divisionis in cylindro alteri liquori immerso teguntur. E. g. si cylindri aquæ immersi partes 21 teguntur, et oleo cuidam immissi partes 24, sumantur aquæ scripla 24, et volumen olei æquale volumini aquæ pondus habebit 21 scriplorum, quod drachma minus est pondere aquæ.

V. 136-147. Hi versus obscuritate laborant. Sensus autem ex Hydrostaticis facile declaratur. Aurum, ut quodvis corpus solidum, aquæ immissum ponderis diminutionem patitur, quia ab aqua ambiente sursum agitur eadem vi, qua massa aquea, cujus locum aurum occupat. Libra auri puri (12 unciarum) sub aqua amittit pondus 4 Drachm. 2 $\frac{1}{4}$ Scripl. et libra argenti puri pondus 8 Dr. 2 Scr. Argentum nempe, quod majus spatium explet, quam idem pondus auri, majore vi sub aqua sursum premitur. Pondera utrimque amissa differunt 3 Dr. 2 $\frac{1}{4}$ Scr. Secundum auctorem nostrum differunt tantum 3 Drachmis, quod facile condonabitur. Eadem differentia intercedit inter libram auri et argenti, quum aqua merguntur. Suspendantur a brachiis bilancis, vel a brachiis stateræ Romanæ, in æqualibus ab axe vel centro distantiis, libra auri et libra argenti puri, vel imponantur lancibus æqualibus. Utraque in aquam immersa, æquilibrium turbabitur, et aurum in aqua præponderabit, quia minorem ponderis diminutionem patitur,

Brachio, e quo argentum suspensum est, tantum ponderis addatur, in puncto suspensionis lancis vel argenti, quantum ad restituendum æquilibrium inter utramque massam requiritur, quod ergo 3 Dr. 2 $\frac{1}{2}$ Scr. reperietur. Vel etiam accipiatur pondus unius drachmæ, et quæratur in brachio longiori stateræ Romanæ, e quo argentum suspensum esse pono, punctum illud, e quo pondus hoc suspensum situm libratum jugi reducit. Comparetur distantia hujus puncti ab axe cum distantia puncti suspensionis argenti vel auri ab eodem axe, atque innotescet excessus ponderis ab argento amissi. Invenietur nempe ista distantia 3 $\frac{5}{6}$ vicibus major, quam hæc, quæ puncto suspensionis auri vel argenti tributa est. Hinc excessus ponderis ab argento amissi est 3 $\frac{5}{6}$ Dr. sive 3 Dr. 2 $\frac{1}{2}$ Scr.

V. 148-155. Data jam massa, quæ aurum argento mixtum continet, sumatur massa argenti puri pondere isti æqualis, et utraque lancibus bilancis imposita aquæ immergatur, quo facto prior massa præponderabit, ob aurum argento mixtum, minus tamen, quam idem pondus auri puri argentum sub aqua superaret. Notetur, quantum pondus ad reducendum æquilibrium in brachio, e quo argentum suspensum est, requiratur, quod differentiam ponderum utrimque amissorum indicat. Hæc divisa per differentiam ponderum libræ auri et libræ argenti sub aqua constitutorum, ostendet libras auri in massa commixta contenti. Ita, si posterior differentia secundum auctorem ponatur 3 Dr. et prior differentia sit 18 Dr. concludendum est, sex libras auri puri massæ inesse, quæcumque sit portio argenti. Secundum differentiam ponderum libræ auri et libræ argenti sub aqua, supra a me traditam, nempe 3 Dr. 2 $\frac{1}{2}$ Scr. sive 3 $\frac{5}{6}$ Dr. massa commixta continet tantum 4 $\frac{2}{3}$ libras auri.

V. 154. *Quia nil in pondere differt*, etc. Sensus est: Argentum in massa commixta, et tantumdem in massa argentea pura idem pondus sub aqua amittunt, unde utriusque por-

tionis in calculo subducendo momentum nullum est. Differentia ponderum amissorum oritur solummodo a reliqua portione argenti in massa pura, quæ plus amittit, quam idem pondus auri in massa commixta.

V. 156-160. Loco argenti etiam adhiberi potest massa auri puri, ejusdem ponderis, cujus est massa ex auro et argento composita. Differentia ponderum utrimque sub aqua amissorum, divisa per differentiam ponderum libræ auri et libræ argenti puri sub aqua, ostendit libras argenti in massa contenti.

N. B. Sequuntur tabulæ octo nummorum, ponderum, mensurarum, apud Romanos et Græcos, auctore viro clar. A. Letronne, Acad. Inscript. socio. Illas huc referre operæ pretium duximus, quo major inde lux in textum et præcedentes interpretationes refunderetur; et doctissimo viro novas ageremus gratias, sicut Wernsdorfius amicissimo G. S. Klügel, pag. 468, supra testatus est. Ed.

TABULA I.

ROMANA PONDERA GALLICIS PONDERIBUS RECENTIORIBUS EXPRESSA.

	Grammata		Kilogr. Grammata.
Scripulum	1. 136.	Dupondium 2 asses.. —	654. 374.
Sextula	4. 544.	Tressia 3 — .. —	981. 561.
Sicilicus	6. 816.	Quadrussis 4 — ..	1. 308.
Duella	9. 88.	Quincussis 5 — ..	1. 636.
Semuncia	13. 633.	Sexcussis 6 — ..	1. 963.
Uncia	27. 265.	Septussis 7 — ..	2. 290.
Sescuncia 1 ½ unc	40. 898.	Octussis 8 — ..	2. 617.
Sextans 2 unc	54. 531.	Nonussis 9 — ..	2. 945.
Quadrans 3 —	81. 797.	Decussis 10 — ..	3. 272.
Triens 4 —	109. 62.	Vigessis 20 — ..	6. 544.
Quincunx 5 —	136. 328.	Trigessis 30 — ..	9. 815.
Semis 6 —	163. 593.	40 — ..	13. 87.
Septunx 7 —	190. 859.	50 — ..	16. 359.
Bes 8 —	218. 125.	60 — ..	19. 631.
Dodrans 9 —	245. 390.	70 — ..	22. 903.
Dextans 10 —	272. 656.	80 — ..	26. 175.
Deunx 11 —	299. 922.	90 — ..	29. 447.
AS, sive libra romana ...	327. 187.	Centussis 100 — ..	32. 718.

TABULA II.

ROMANI NUMMI IN FRANCOS EORUMQUE CENTESIMAS CONVERSI.

Sestertii.	Denarii.	Ab ann. U. C. 536 ad 720.		Augusto imperante.		Tib. - Claud. imperantibus.		Nerone imperante.		Galba-Domit. imperantibus.	
		Fr.	C.	Fr.	C.	Fr.	C.	Fr.	C.	Fr.	C.
4	1	»	82	»	79	»	78	»	73	»	70
8	2	1	64	1	59	1	56	1	47	1	41
12	3	2	46	2	38	2	34	2	20	2	12
16	4	3	27	3	18	3	12	2	94	2	83
20	5	4	9	3	97	3	89	3	67	3	55
24	6	4	91	4	77	4	67	4	41	4	24
28	7	5	75	5	66	5	45	5	14	4	95
32	8	6	55	6	36	6	23	5	88	5	66
36	9	7	36	7	15	7	1	6	62	6	36
40	10	8	19	7	95	7	79	7	35	7	8
44	11	9	2	8	74	8	57	8	8	7	78
48	12	9	84	9	54	9	34	8	82	8	48
52	13	10	70	10	33	10	12	9	55	9	18
56	14	11	46	11	32	10	90	10	28	9	90
60	15	12	28	12	11	11	68	11	1	10	60
64	16	13	10	12	72	12	46	11	76	11	32
68	17	13	92	13	51	13	24	12	49	12	2
72	18	14	72	14	30	14	8	13	24	12	72
76	19	15	54	15	9	14	80	13	97	13	42
80	20	16	38	15	90	15	58	14	70	14	14
100	25	20	45	19	88	19	48	18	38	17	79
120	30	24	56	23	85	23	38	22	5	21	22
160	40	32	75	31	80	31	17	29	41	28	31
200	50	40	91	39	76	38	96	36	76	35	58
240	60	49	13	47	71	46	76	44	14	42	46
280	70	57	32	55	66	54	54	51	46	49	54
320	80	61	38	59	61	58	44	55	14	53	37
360	90	65	51	63	61	62	34	58	82	56	62
400	100	73	70	71	56	70	14	66	17	63	70

Monendi sunt lectores nummorum pondus post Augusti tempora paulatim imminutum fuisse, ut constat ex denariorum et aureorum pondere qui Cæsarum effigiem præ se ferunt. Etenim inveni medium denarii pondus, granis gallicis expressum, imperante Augusto, 71, 2; Tiberio, 69, 8; Caio Cæsare, 70, 4; Claudio, 69, 25; Nerone, 65, 83; Galba, 63, 8; Othone, 62, 8; Vitellio, 63, 4; Vespasiano, 45; 63, Tito, 63, 1; Domitiano, 63, 8. Sumens igitur unam marcam (selibram, = 4608 gran. = 244 gramm. 753) gallicam argenti puri, 53 fr. 60 cent. efficere; positaque argenti in denariis integritate = 0, 96, hanc tabulam præfixi, pro sestertiis et denariis ad monetam gallicam reducendis.

Quod ad aurei pretium attinet, quum hic nummus semper viginti quinque denarios valuerit, supervacuum duxi, ad ejus pretium in nostram pecuniam convertendum, singularem tabulam construere.

TABULA III.

DE PONDERIBUS ET NUMMIS ATHENIENSIUM IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERTENDIS.

DRACHMÆ.	MINÆ.	TALENTA.	PONDUS.			PRETIUM.	
				Grammata.		Franc.	Cent.
1	.....	....	...	4	36	-	92
2	.....	....	...	8	72	1	83
3	.....	....	...	13	08	2	75
4	.....	....	...	17	45	3	66
5	.....	....	...	21	81	4	58
6	.....	....	...	26	17	5	50
7	.....	....	...	30	53	6	41
8	.....	....	...	34	90	7	33
9	.....	....	...	39	26	8	25
10	.....	....	...	43	62	9	16
aureus 20	.....	....	...	87	25	18	33
30	.....	....	...	130	87	27	49
40	.....	....	...	174	50	36	66
50	.....	....	...	218	12	45	83
60	.....	....	...	261	75	55	-
70	.....	....	...	305	37	64	16
80	.....	....	...	349	10	73	33
90	.....	....	...	392	62	82	50
100	1	....	...	436	25	91	66
200	2	....	Kil.	872	50	183	33
300	3	....	1	308		274	90
400	4	....	1	745		366	66
500	5	....	2	181		458	33
600	6	....	2	617		550	-
700	7	....	3	054		641	66
800	8	....	3	491		733	33
900	9	....	3	926		825	-
1,000	10	....	4	362		916	66
2,000	20	....	8	723		1,833	33
3,000	30	....	13	087		2,749	-
4,000	40	....	17	45		3,666	66
5,000	50	....	21	812		4,583	33
6,000	60	1	26	175		5,500	-
12,000	120	2	52	350		11,000	-
18,000	180	3	78	525		16,500	-
24,000	240	4	104	700		22,000	-
30,000	300	5	130	875		27,500	-
36,000	360	6	157	50		33,000	-
42,000	420	7	183	225		38,500	-
48,000	480	8	209	4		44,000	-
54,000	540	9	235	575		49,500	-
60,000	600	10	261	75		55,000	-

TABULA IV.

MENSURÆ ROMANÆ INTERVALLORUM IN GALLICAS MENSURAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Uncia.								Kil.	Met.	Millim.
1	Palmos									
3	1	Pes								
12	4	1	Cubitus						0	295
18	6	$1\frac{1}{2}$	1	Passus					0	442
60	20	5	$3\frac{1}{3}$	1	Decempeda*				1	475
120	40	10	$6\frac{2}{3}$	2	1	Actus			2	950
1,441	480	120	80	24	12	1	Milliarium		354	
60,000	20,000	5,000	$3,333\frac{1}{3}$	1,000	500	$41\frac{1}{3}$	1	1	475	
							2	2	950	
							3	4	425	
							4	5	900	
							5	7	375	
							6	8	850	
							7	10	325	
							8	11	790	
							9	13	275	
							10	14	750	

Mensuras intervallorum ac superficierum Romanis usitatas, in duas tabolas distributurus, singulas rationes ad mediam pedis romani magnitudinem exegi, qualem, consultis omnibus fere monumentis, fuisse constat.

* Qua mensura in areis quadratis dimetiendis Romani utebantur.

TABULA V.

SUPERFICIERUM ROMANÆ MENSURÆ IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Pedes rom. quadrati.	Scripulum sive decemp. quadrata.								Hectar.	Ar.	Metr.
100	1	Clima sive doella									8
3,600	36	1	Actus sive semis							3	8
14,400	144	4	1	Jugerum						12	34
28,800	188	8	2	1	Heredium					24	68
57,600	576	16	4	2	1	Centuria				49	36
				4	2	......	Saltus			98	72
				6	3	......	......	....	1	48	8
				8	4	......	......	....	1	97	44
				10	5	......	......	....	2	46	80
				12	6	......	......	....	2	96	16
				14	7	......	......	....	3	45	52
				16	8	......	......	....	3	94	88
				18	9	......	......	....	4	44	24
				20	10	......	......	....	4	93	60
				200	100	1	......	....	49	36	
				800	400	4	1	....	197	44	

Unitas quadratorum erat *jugerum*, in quo partieodo recurrit distributio assis in uncias et unciarum partes. Jugerum. 240 pedes loogum, 120 latum, continebat 28,800 pedes quadratos.

TABULA VI.

INTERVALLORUM MENSURÆ ATTICÆ IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Digitus.								Kilom.	Metr.	Millim.
1	Palmus									19
4	1	Pes								.77
16	4	1	Cubitus							307
24	6	$1\frac{1}{2}$	1	Orgyia						461
96	24	6	4	1	Plethrum				1	843
1,600	400	100	$66\frac{2}{3}$	$16\frac{2}{3}$	1	Stadium			30	729
9,600	2,400	600	400	100	6	1			184	375
						2			368	750
						3			553	125
						4			737	500
						5			921	875
						6		1	106	250
						7		1	290	625
				Milliarium romanum.		8		1	475	
						9		1	660	
						10		1	844	

Pedis ratio apud Græcos et Romanos ponitur a scriptoribus antiquis :: 25 : 24. Sumpto igitur romano pede = 0^{m} 295, pes græcus erit = 0^{m} 30729.

TABULA VII.

MENSURÆ CAVÆ ROMANORUM MENSURIS GALLICIS RECENTIORIBUS EXPRESSÆ.

Ligula.												Hectol.	Litr.	Decil.	Centil.	
1	Cyathus														1	14
4	1	Acetabulum													4	58
6	1½	1	Quartarius												6	87
12	3	2	1	Hemina										1	3	75
24	6	4	2	1	Sextarius									2	7	5
48	12	8	4	2	1	Congius								5	5	
288	72	48	24	12	6	1	Semodius						3	3		
384	96	64	32	16	8	1⅓	1	Modius					4	4		
768	192	128	64	32	16	2⅔	2	1	Urna				8	8		
1,152	288	192	96	48	24	4	3	1½	1	Amphora			13	2		
2,304	578	384	192	96	48	8	6	3	2	1	Culeus		26	3	9	9
46,080	11,520	7,680	3,840	1,920	960	160	120	60	40	10	...	2	64			
										20	1	5	28			
										30	...	7	92			
										40	2	10	56			
										50	...	13	20			
										60	3	15	84			
										70	...	18	8			
										80	4	21	12			
										90	...	23	76			
										100	5	26	39	9	5	

Unitas mensurarum cavarum apud Romanos erat amphora, quam antea *Quadrantal* vocabant, ut quæ cubum quovis latere pedalem repleret. Ejus pondus, teste Festo, octoginta libris vini æquale erat; quod efficit, (posita vini gravitate = 0,9915) 26lit. 3995.

TABULA VIII.

MENSURÆ CAVÆ ATHENIENSIUM MENSURIS GALLICIS RECENTIORIBUS EXPRESSÆ.

Κοτύλη									Hectol.	Lit.	Decil.	Centil.
1	Ξέστης										2	75
2	1	Χοῖνιξ									5	5
4	2	1	Χοῦς							1	1	
12	6	3	1	Ἡμίεκτον						3	2	9
16	8	4	$1\frac{1}{3}$	1	Ἕκτεὺς					4	4	
32	16	8	$2\frac{2}{3}$	2	1	Ἀμφορεύς				8	8	
96	48	24	8	6	3	1	Μετρητὴς			26	4	
144	72	36	12	9	$4\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	1	Μέδιμνος		39	6	
288	96	48	16	12	6	2	$1\frac{1}{3}$	1		52	8	
					12	4	$2\frac{2}{3}$	2	1	5	6	
					18	6	4	3	1	58	4	
					24	8	$5\frac{1}{3}$	4	2	11	2	
					30	10	$6\frac{2}{3}$	5	2	64		
					36	12	8	6	3	16	8	
					42	14	$9\frac{1}{3}$	7	3	69	6	
					48	16	$10\frac{2}{3}$	8	4	22	4	
					54	18	12	9	4	75	2	
					60	20	$13\frac{1}{3}$	10	5	28		

Mensurarum cavarum norma apud Græcos erat μέδιμνος, frumento metiendo maxime destinatus. Medimnum vero Atticum sex modios Romanos continuisse, liquido constat ex scriptorum veterum testimoniis:

Ἀμφορεὺς igitur amphoram æquabat.
Ἕκτεὺς, modium —
Χοῦς, congium —
Χοῖνιξ, semisextarium —
Ξέστης, sextarium —
Κοτύλη, heminam. — Cf. Tab. VII.

(C.)

PRISCIANI

EPITOME PHÆNOMENON,

ID EST, ADPARENTIUM;

SIVE VERSUS DE SIDERIBUS*.

AD Boreæ partes Arcti vertuntur et Anguis.
Post hos Arctophylax, pariterque Corona, genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus, et Cassiepea,
Auriga, et Perseus, Deltoton, et Andromedæ astrum,

* Aptissimam carminis hanc inscriptionem putavi, quam Pithœus in Prætermissis ad Epigr. et Poem. vet. pag. 487, sive pag. 609 edit. Lugd. ei dedit, et Vinetus not. ad Auson. a Francisco Daniele in veteri Hygini codice repertam esse testatur. Cæteras varietates inscriptionis, tum præcipuas carminis editiones indicavi in Procemio. Ipsum carmen duo et quadraginta mundi signa cum septem planetis nominatim recenset. Textum vero reddo ex editione Burmanni, in Anthol. Lat. lib. V, ep. XLVII.

1. *Arcti junguntur.* Vetus quoddam exemplar habebat *vertuntur.* VINET. Sic etiam legitur apud Bedam, et in cod. S. Germani. Scaliger cum Ald. edidit *junguntur.* W.

2. *Post hos.* Beda *Post hac.* Ed. Ald. et Scalig. *Post has.* Pith. *Post hæc.* —*Genuque Prolapsus:* ἐν γόνασι Græcis, « Nixus genibus ». Ciceroni in Arato: « Nixus in genibus, geniculatus ». « Ingeniculatus » Vitruvio, lib. IX; « ingeniculus » Julio Firmico, lib. VIII; « Nixus genu, Nixa genu, *et* genibus species », Ovidio, Manilio, et aliis poetis. VIN. Vide Grotium ad Martian. Capell. pag. 282, et ad Aratea, p. 32 b. BURM.

3. *Cassiepea.* Κασσιέπεια, id est, *Cassiepea*, apud Aratum, Ptolemæum, Proclum, et alios Græcos. VIN. Videatur Grotius ad Germanici Aratea, pag. 11 b. et quæ ubertim adnotavit Burmannus ad Anth. t. I, pag. 295. *Zepheus et Cassiopeia* Beda. — Scribitur quoque *Cassiopea* et *Cassiopeia*, et Propert. I, 17, 3, *Cassiope.* ED.

Pegasus, et Delphin, Telumque, Aquila, Anguitenensque.
Signifer inde subest; bis sex et sidera complent.
Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces: post sunt in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens. Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis et ingens.
Hinc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna, et Mercurius, Venus ac Sol, Mars quoque fulgens:
Hinc Jovis et sidus super omnia sidera lucens;
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

5. *Pegasus, et Delphin.* Vetus exemplar *Pegasus et Delphin, telumque, Aquila, Anguitenensque.* Vin. Scaliger edidit *Pegasus et Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensq.* Aldus, *Pegasus et Delphin, Telum, Aquila.* Apud Bedam est *Delphin cælumque aquila, anguitenensque.* W.

6. *Bis sex et sidera complent:* bis sena, duodecim signa complent Zodiacum. *Complens* tamen habebat vetus exemplar. Vin. Apud Bedam est *Signifer inde subest; bis sex hunc sydera complent.* Aldus edidit: *quem bis sex sidera complent;* ubi Tollius. mavult *Bissex hunc sidera complent,* quomodo Pithœus. W.

7. *Hic Aries* Aldus et Scal.

8. *Libra, Scorpius.* Ita exemplaria omnia: neque debuit quidam addere conjunctionem post *libra, Libraque;* quoniam syllaba illa, natura brevis, produci potest propter sequentes duas consonantes, ut ad carmen de Athenis adnotari curavimus. Vin.

9. *Et Urna,. Qui tenet et Piseis* edit. Beda. *Post hos in partibus Austri* Ald. et Scal.

10. *Lepus ardens, Syrius* Beda.

12. *Quem sequitur pistrix* idem legit. *Hunc sequitur* Ald. et Scal.

13. Ultimi qnatuor versus, qui planetas recensent, non solum apud Bedam, sed in editione Ausonii Aldina desiderantur. Et Pithœus iis asteriscum adposuit. W.

15. *Hic Jovis* dedil Scaliger.

III.

INCERTI

VERSUS DE DUODECIM VENTIS.

Geographi situm et descriptionem terræ ad plagas et regiones cæli accommodant; has autem diversis ventorum inde spirantium adpellationibus designant. Inde, qui ventorum nomina et regiones explicant, descriptioni orbis terræ inserviunt, et partem Geographiæ tradunt. Quod a præcipuis geographiæ scriptoribus observatum esse, libri eorum, veteres et recentiores, docent. Principes quidem et cardinales ventos antiquissimi statuerunt quatuor, quos a poetis frequentissime usurpatos Manilius, lib. IV, vers. 591, breviter his versibus complexus est:

> Asper ab axe ruit Boreas: fugit Eurus ab ortu:
> Auster amat medium solem, Zephyrusque profectum.

Sed ut Plinius, lib. II, cap. 47, ventorum numerum et genera explicans, docet, sequuta ætas octo accepit ventos, ut essent bini in quatuor cæli partibus, et deinceps numerosior ratio his ipsis quatuor interjecit, ut duodecim essent. Quæ ratio a posterioribus Geographis plerumque observata est, atque in hoc etiam, quod proponimus, carmine usurpatur; quamquam a multis ventorum regiones subtilius quæsitas esse, Vitruvius, lib. I; cap. 6, ostendit, qui 24 adeo nomina ventorum recenset. Isidorus Hispal. libro de

Natura Rerum, cap. 37, ventorum duodecim nomina naturasque eodem ordine, quo fit in carmine nostro, exponit, et quædam editiones ipsum carmen totidem versibus subjiciunt, corruptis illis quidem, sed in notis a Joanne Grialo collectis ex alio codice multo emendatius redditis. Idem carmen Isidorus respicere videtur libro XIII Orig. cap. 11, ubi genera ventorum enarrans subinde verbis ex nostro carmine repetitis utitur. Quo pacto ille clarum testimonium perhibet, carmen illud antiquum, et sua ætate cognitum probatumque esse. Nos exemplar illud carminis, quomodo in editione Operum Isidori Coloniensi 1617, a Jacobo *du Breul* profecta, tum in notis Jo. Griali legitur, conferemus, et varietates lectionis, a Burmanno neglectas, enotabimus. Titulum præposuimus *Versus de duodecim ventis*, quem in antiquis codicibus repertum Burmannus testatur; a quo carmen hoc prolatum est Anthol. Lat. lib. V, ep. CXIV.

INCERTI

VERSUS DE DUODECIM VENTIS.

QUATUOR a quadro consurgunt limite venti:
Hos circum gemini dextra lævaque jugantur,

1. Edidit hoc carmen Pithœus, lib. IV Epigr. vet. pag. 178 (atque pag. 150, edit. Lugd.); sed ubi incipit a quarto versu *Primus Aparctias*, tribus prioribus in finem conjectis, unde eos in sedem legitimam revocavi, sic jubentibus codd. MSS Vossiano, ex quo descripserat Tollius in fronte ed. Catalect. Scalig. tum MS Leidensi, quem ipse contuli, et veteri codice Reginæ Christinæ, quem excussit Heinsius: et sic Pithœus in exemplari Bibl. Paris. notaverat, «hi tres versus præponi debuerunt, qui sunt ex libro Isidori de Astrologia»: in his autem codicibus titulus erat VERSUS DE DUODECIM VENTIS. Variant. lect. codicis Suecici editæ sunt in Actis Liter. Ienens. vol. V, pag. 9 et 10, in quo libro MS tres versus, qui in ed. Pith. in fine collocantur, præponuntur ante versum, qui incipit *At tu Core*, etc. Couferri cum hoc carmine merentur Plin. lib. II, c. 47; Isidorus, lib. XIII Orig. cap. 11; Aristoteles de ventorum situ et nominibus, t. II Operum, pag. 848, seq. Apuleius de Mundo, p. 95, ed. Vulcan. Vegetius, lib. V de R. M. cap. 8; Philargyr. ad Virg. Georg. IX, 298; Gellius, lib. II, cap. 22, et Lucius Ampelius, cap. V. BURMANNUS.

2. *Hi quoque sex gemini dextra.* Hæc lectio Pithœi et Burmanni est, sed sine dubio vitiosa. Quomodo enim quatuor venti a quadro limite surgentes dici possunt *sex gemini?* sed hoc vult auctor, singulos quatuor ventorum habere geminos alios dextra lævaque, unde fiant *bis seni*. Veram lectionem suppeditat scriptio Isidori: «Hunc circum *gentum* dextra lævaque trahuntur». E qua adparet auctorem respexisse ad versum Virgilii de Zonis, Georg. I, 135: «Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur Cærulea glacie concretæ». Hinc legendum puto *Hos circum gemini dextra lævaque trahuntur*, vel, quod malo, *jugantur*. Et sic plane emendatum legit Jo. Grialus. Firmat etiam Isidorus, Orig. XIII, c. 11, qui fere verba carminis repetit: «Ventorum quatuor principales spiritus sunt. Quorum primus ab oriente... a septemtrione ejusdem nominis ventus adspirat, habens geminos hinc inde ventorum spiritus». W. — *Dextra lævaque recurrunt* Pith. *vagantur* codex Voss.

Atque ita bis seno circumdant flamine mundum.
Primus Aparctias Arctoo spirat ab axe:
Huic nostra nomen lingua est Septemtrio factum.
Circius huic dexter gelido circumtonat antro:
Thrascian Græci propria dixere loquela.
Hinc lævus Boreas glaciali turbine mugit:

jugantur vet. cod. Reginæ, Leidensis, et cod. Suecicus in Actis Ien. quod firmari posset ex Vegetio, lib. V, cap. 8: « Horum (ventorum) vocabula non solum Græca, sed etiam Latina protulimus, ita ut, ventis principalibus declaratis, eos qui a dextra lævaque juncti sunt, indicemus. ... » Quomodo autem hi venti a dextra et læva suas partes agant, exponit Isidorus, lib. XIII, cap. 11, ubi addit: « Hi duodecim venti mundi globum flatibus circumagunt ». Iisdem fere verbis ut in versu 3: *Atque ita bisseno circumdant flamine mundum.* BURM. Pro *recurrunt*, quod Pith. et Burm. ediderunt, reponendum putavi *jugantur*, ut aptissimum et codicum auctoritate firmatum. W.

4. *Primus Aparctias.* Mendosius Isidorus: *Primus Apertias alto suspirat ab axe.* Grialus in notis *Primus Aparctias alto qui spirat ab axe.* W.

5. *Huic nostra.* Isidorus: *Hinc nostri lingua nomen Septemtrio finxit.* Cod. Suec. pro *factum* exhibet *fine*, nullo usu. Grialus: *Huic nomen nostra e lingua Septemtrio fixit.* W.

6. *Circius hinc dextro.* Scribe *Circius hinc dextra gelidus circumtonat Arcto: Thracian*, etc. PITH. Sic et Scriverius in codicis sui margine, quamquam nihil potius mutandum videatur Henrico Cannegietero, ad Avieni Fab. IV, p. 36. BURM. Non movendum est *antro*. Tenent etiam Isidori codices. Et tritissimum est poetis, antra ventis tribuere, ut Nemes. Cyn. v. 273: « Quum se Threicius Boreas super extulit antro ». In notis ad Isidor. legitur: « Circius huic dexter gelido circumtonat antro ». Hanc lectionem prætuli: nam sic etiam infra, versu 18: « Euronotus cui dexter adest ». W.

7. *Thrascian Græci:* sic cod. Leid. scribendum *Thrascian*, ut in V. C. Reginæ, et Vossiano, vel *Thracian:* et in ed. Pith. correxerat Scriverius. Vegetius, lib. V, cap. 18: « Septemtrionalem vero cardinem sortitus est Ἀπαρκτίας, sive Septemtrio: cui adhæret a dextra Θρασκίας, sive Circius, a sinistra Βορέας, id est, Aquilo ». —*Thracias* vocatur inter XII ventorum nomina a Philargyrio ad Virg. Georg. IV, 298; ubi *Thrascias* maluisse Dorvillium notavit patruus meus..... Cæterum Thrascias qui Græcis dicitur, Circius vocatur Latinis, ut hic auctor indicat, a turbine ejus ac vertigine, ut opinatur Gellius, lib. II, c. 22: quæ optime exponit Is. Vossius ad Melam, lib. II, cap. 5, p. 171 et seq. BURMAN. *Trasciam Graii* Grialus in notis.

8. *Hinc lævus Boreas glaciali turbine mulget:* repone *mugit.* PITH. Sic codex Reginæ, Vossianus, Leidensis, et S. Galli in Act. Ienens. quomodo Scriverius et Heinsius etiam in suis exemplaribus correxerant: talem mugitum depingit Horatius,

Frigidus hic Aquilo nostris vocitatur in oris.
At Subsolanus medio flat rectus ab ortu;
Græcus Apelioten apto quem nomine signat.
Huic Vulturnus adest, dextra qui parte levatur;

Carm. III, 29, 57: « Non est meum, si mugiat Africis Malus procellis, ad miseras preces Decurrere ». . . . . . Deinde *Huic lævus Boreas* codices, Reginæ, Vossianus, et Suecicus in Act. Ienens. Forte *sævus* præstiterit, pro *lævus*, ut video etiam conjecisse Heinsium in notis ad Ovid. Trist. I. 2, 25; ubi et *mugit* pro *mulget* emendat. Burm. Sed præstat *Hinc lævus*, non *Huic sævus*, quia *Huic* referendum esset ad proximum Thrasciam sive Circium, cui Boreas non adhæret lævus, sed Septemtrioni. Apud Isidorum est *Hinc lenis Boreas*, quod mendosum ipsam rectam lectionem *Hinc lævus* firmat. *Mugire* de omni sono horrido et incondito, inprimis ventorum: Horatii Epist. II, 1, 202: « Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum ». Conf. Barth. ad Stat. Silv. I, 1, 69. Apud Lucret. lib. IV, 549, « tuba depresso graviter sub murmure mugit »; et *tubam* infra v. 22, Zephyro tribuit Noster. W.—De ipso Aquilone usurpavit Martialis, I, 50, 20: « At quum December canus, et bruma impotens Aquilone rauco mugiet ». Ed.

9. *Frigidus hinc.* Malim *Frigidus hic Aquilo*, quam *hinc*: idem hic ventus Boreas Aquilo vocatur in nostris sive Latinis oris: sic corrigendum infra, v. 25: « Africus hic propria veniens regione vocatur »; ubi etiam *hinc* male edidit Pithœus: firmat Isidorus dicto loco: « Aquilo dictus eo quod aquas stringat et nubes dissipet; est enim gelidus ventus et siccus. Idem et Boreas, qui ab Hyperboreis montibus flat: inde enim origo ejusdem venti, unde et frigidus est ». Burm. Male hic legit Isidorus: *Frigidus hinc Aquilo propriis vectatur in oris.* In Griali notis *Frigidus hic Aquilo*.

10. *At Subsolanus.* Apud Isidorum et in notis Griali ad eum legitur: *At Subsolanus flat rectus Solis ab ortu.* W.

11. *Græcus Aphelioten*: scribendum *Apelioten*; nam sic Gellius: « Eurus alio quoque a Græcis nomine Ἀπηλιώτης, a Romanis nauticis Subsolanus cognominatur ». Plin. lib. II, cap. 47: « ab oriente æquinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus. Illum Apelioten, hunc Eurum Græci adpellant ». . . . Subsolanus vero unde dicatur, his verbis docet Isidorus: « Nam Subsolanus vocatus, eo quod sub ortu Solis nascatur; Eurus, eo quod ab Eoo flat, id est, ab oriente: Est enim Subsolano conjunctus ». Burm. Corruptissime Isidorus, « Gregaza Polioren, alio nunc nomine signat ». Sed in notis recte.

12. *Hinc Vulturnus adest*: at *Huic Vulturnus adest, dextra qui parte levatur* in vet. cod. Christinæ, Vossiano, Leidensi: *levatus* in ed. Pith. De Vulturno, Cæcia Græcis dicto, ita Gellius: « Est etiam ventus nomine Cæcias, quem Aristoteles ita flare dicit, ut nubes non procul propellat, sed ad sese vocet, ex quo versum istum proverbialem factum ait: κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ Και-

Attica Cæcian Graiis quem litera signat.
Nubifero flatu lævum latus irrigat Eurus,
Dorica quem simili designat nomine lingua.
At Notus e medio Solis dat flamina cursu:
Austrum rite vocant, quia nubila flatibus haurit.
Euronotus cui dexter adest, quem, nomine mixto,
Euroaustrum latia dixerunt voce Latini.
Libonotus lævam calidis adtaminat auris:

κίας νέφος »...... Vegetius: « Huic (Subsolano) a dextra jungitur Καικίας, a sinistra Εὖρος, sive Vulturnus ».... Cæcias etiam inter cæteros ventos recensetur a Philargyrio ad Virg. Georg. IV, 298. Burm. Isidorus hic corrupte: *Hinc Volturnus a dextraque parte levatur:* et in sequenti; *Attica Calciani Graii quæ litora signat.* Grialus exhibet *Huic at Vulturnus dextra de parte levatur, Attica Cæciam Graiis quem litora signant.*

14. *Irrigat Eurus*, quia madidus est: unde et *nubifer* Lucano dicitur lib. II, 459, et idem lib. I, 219: « Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes ». Cæterum *irrigare* a fluviis translatum ad ventum perinde, ut *fluere* venti dicuntur Claudiano in Idyl. de Magn. v. 5. In notis ad Isidorum hic versus vitiose adeo legitur, ut nomen Euri pereat: *Nubifero flatu levigatas irrigat auras.* W.

15. *Dorica*: sic rescripsi, quomodo Heinsius et Tollius etiam correxerant, et in codice Suecico legi testantur Acta Ienens. pro *Dorida*, ut erat in ed. Pith. Burm. In Isidori opere est; *Dorica qui simile designat nomine lingua.*

17. *Quia nubila flatibus haurit.* Sic et Isid. « Auster ab hauriendo aquas vocatus, unde et crassum aerem facit et nubila nutrit ». Vide N. Heinsii notas ad Ovid. Trist. I, 11, 16... Quia autem Auster ab hauriendo dictus, hinc sæpe *Hauster* scribitur in libris antiquis; vid. H. Columna ad Ennium, pag. 115, edit. Hessel. Burm.

19. *Euroaustrum latia dixerunt.* Quem non offendat *latia dixerunt voce Latini?* quod licet in cod. scriptis etiam inveniatur, emendandum tamen videtur *patria dixerunt voce Latini*, hoc est, *propria loquela*, ut supra, v. 7; sic enim hæc elegantius varianda, ut apud Ovid. Trist. IV, 4, 5: « Cujus in ingenio patriæ facundia linguæ est, Qua prior in Latio non fuit ulla foro »... *Euroaustrum* vet. cod. Reginæ et Vossianus. Isidorus: « Euroauster dictus, quod ex una parte habeat Eurum, ex altera Austrum ». Burm. *Latia dixerunt voce* etiam codices Isidori habent. Ego potius scripsisse auctorem crediderim *lata voce*, i. e. composita vel longa; quemadmodum Priscianus de Pond. v. 32 *parvum nomen* dixit simplex vel monosyllabum: *latum*, *lætum* et *latium* sæpe permutantur a librariis. Exemplum vidimus in Epit. Hom. v. 905. W.

20. *Adtaminat* pro adtingit, quemadmodum versu 24: « Huic dextram tangit »; verbum recentiorum scri-

Æstibus immensis ardens Austroafricus hic est.
Solis ab occasu flores Zephyri tuba servat,
Ex Itala nomen cui fixum est voce Favoni.
Huic dextram tangit dictus Libs Atthide lingua :

ptorum. Capitolinus in Gordian. c. 27 : « ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, adtaminaret ». Ambrosius, de institut. Virginis: « Semel mundo mortua, ne quæso adtigeris, ne adtaminaveris, quæ sunt istius sæculi ». In Isidoro sic scribitur : *Libonotus lanam calidis adtenuat auris*. W.

21. *Æstibus immensis ardens*. *Istibus* in cod. Vossiano: an forte pro *Ictibus*? ut *ictus* solis radiantis, de ejus calore intenso : de quo vid. Gebhard. lib. III Crepund. cap. 2. Lucanus, lib. VII, 214 : « Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu »; et Horat. Carm. II, 15, 10 : « Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus, etc. » Burm. Apud Isidorum *Æstibus immensis... Africus inest*. Sed Grialus, uti Pithœus. — *Austroafricus*, ut v. 18, *Euronotus*. Ed.

22. *Abscessum Solis Zephyri*, etc. Alii : *Solis ab occasu flores Zephyri tuba servat, Ex Itala nomen cui fixum est voce Favoni*. Pith. Plane eadem diversitas lectionis est in oper. Isidori, sed quæ præferenda vulgatæ Pithœi et Burm. *Abscessus solis* pro occasu minus recte dicitur. Nam Ciceroni de N. D. cap. 10, « abscessus solis » sunt longinqui ad alterum hemisphærium recessus. W. — *Zephyri tuba florea servat*. Correxi *tuba florea* ex V. C. Reginæ, Vossiano, Leidensi, et libro Suecico in Act. Ienens. vitiose enim *tumba* in ed. Pithœi. — Zephyro cur *tuba florea* tribuatur, docet Isidorus : « Zephyrus græco nomine adpellatus, eo quod flores et germina ejus flatu vivificentur. Hic latine Favonius dicitur propter quod foveat, quæ nascuntur ». — Quam vero Pithœus lectionis diversitatem in notis exhibet, etiam codici suo adscripserat Scriverius, eamque alteri præferendam arbitror. Favonium Latinis, Zephyrum Græcis dictum etiam notat Scholiastes Statii ad lib. II Theb. vs. 4, et sic Gellius, Apuleius de Mundo, cæterique : vide Delrii Advers. ad Sen. Herc. fur. v. 549, p. 134. Burm. *Tuba* ventis tribuitur ad exprimendum eorum flatum simul et sonitum, sicut vicissim tubis et tibiis *venti*. Claudian. in Gigantom. v. 60 : « Jam tuba nimborum sonuit ». In epigr. de Musis Anthol. lib. I, 73 : « Euterpæ geminis loquitur cava tibia ventis ». Claudian. in Nupt. Pall. et Celer. 38: « Dissimilem tenui variabat arundine ventum ». Sed *tuba florea*, quod est in lectione vulgata Pithœi, item in altero carminis exemplari, quod in notis ad Isidor. legitur, mihi dura et inepta locutio videtur, pro spiritu, qui flores creat et fovet. Locus Isidori a Burmanno citatus requirit, ut *flores servat* legamus. W.

23. *Ex Itala nomen cui*, etc. Pithœus et Burmannus ediderunt: *Italia veniens cui dictum est voce Favoni*. W.

24. *Hinc dextram tangit* : sic Pith. *Huic dextram* codex Reginæ. *Libs Atthide lingua* edendum censui: nam sic in veteri Reginæ codice, cui adstipulatur Leidensis, in quo

Africus hic propria veniens regione vocatur.
At tu, Core, fremis Zephyri de parte sinistra,
Argesten quem Graia suo vocat ore Camena.

Lipsattide: et ita correxerunt Scriverius et Heinsius. *Atthis lingua* pro Attica: ut in versibus apud Apuleium, initio Metam. lib. I: « Ibi linguam Atthidem primis pueritiæ stipendiis merui ». Apud Germanicum in Arateis, v. 156: « Atthide terra natus Erichthonius ». Et vid. Salmasius ad Trebell. Poll. XXX Tyrann. c. 18. Africus autem Græcis Λίψ. Gellius, lib. II, cap. 22: « tertius Africus, qui Græce vocatur Λίψ: is adversus Vulturnum flat ». Hinc *Libyam*, quia inde Libs flat, esse dictam vult Servius; vide Pier. ad Virg. Æn. V, 37. Ausonius in Technopægn. pag. 481, ed. Toll. « Velivolique maris constrator Leuconotos Libs, etc. » Burm. Apud Isidorum *Hinc dextram ... Attica lingua:* sed codex Griali *Huic dextram ... Attide lingua.*

25. *Africus hinc propria.* Iisdem verbis Isidorus: « Africus a propria regione vocatus. In Africa enim initium flandi sumit ». Sed legendum hoc in versu *Africus hic propria*, ut supra v. 9, « Frigidus hic Aquilo » corrigendum notavi; ubi pariter *hinc* in vulgatis. Burm. Et Griali lectio habet *Africus hic.*

26. *At tu, Core, fremis.* Sic cod. Regiuæ, et Suecicus in Act. Ienens. etiam Vossianus. *Attachore fremis* in Leidensi: ex hoc igitur codicum consensu *fremis* correxi pro *fremens*, ut edidit Pith. *Caure* Pithœus in marg. exempl. Bibl. Paris. cui etiam adscripserat: *Argesten quem Graia suo vocat ore Camena*, ut in notis editis profert: idque codici etiam suo adnotaverat Scriverius, addideratque videndas esse notas ad Isidor. pag. 894; ubi totum hoc carmen aliter citatur. Hoc autem in versu, minore mutatione, malim ex cod. Voss. et Leid. *Argesten Graii vocitant cognomine prisco*, in quibus vitiose *Argestenque Graii:* unde tamen legi posset *Argesten quem Graia vocat cognomine lingua;* ut supra v. 5: « Huic nostra nomen lingua est Septemtrio factum ». De Argeste Plinius: « Ab occasu æquinoctiali Favonius, ab occasu solstitiali Corus: Zephyron et Argesten Græci vocant ... » Ovidius, Fast. lib. V, 161: « Frigidus Argestes summas mulcebit aristas, Candidaque a Calabris vela dabuntur aquis ». Burm. Pithœus edidit « Argesten Graii vocitant cognomine » cum lacuna. Isidori editio habet: *At tu Core feris Zephyri de parte sinistra Argestem quem Graii vocant ore Camena.* Sed in Griali notis: *Argesten Graio vocitarunt ore Camenæ.* Ego lectionem eam recepi, quæ mihi in plurium codicum vestigiis exstare videbatur. W.

IV.

INCERTI

FORTASSE SEDULII PRESBYTERI

EPIGRAMMA

DE TABULA ORBIS TERRARUM

JUSSU THEODOSII JUNIORIS IMP.

FACTA.

Quod hic proponimus Epigramma, quamvis exile et breve, abesse a complexu carminum geographicorum veterum non potuit, eo quod Tabulæ geographicæ totius orbis, jussu Imperatoris et publica auctoritate confectæ, memorabile et vetustum monumentum est. Quamquam enim pictos in tabula mundos habere, vel publice proponere, Græcis pariter ac Romanis veteribus usitatum fuit, ut e Propertii, Vitruvii, Æliani, Suetonii, Eumenii (1), aliorum testimoniis liquet, atque etiam Plinius, Hist. Nat. lib. III, cap. 2, significat, olim Cæsarem Augustum cum M. Agrippa, genero, orbis terrarum diligenter descripti tabulas confici curasse, ea tamen tabula, quæ hoc Epigrammate laudatur, quodammodo illustrior habenda est,

(1) Propert. IV, 3, 36; Vitruv. lib. VIII, cap. 2; Sueton. Domit. cap. 10; Ælian. Hist. Var. III, cap. 28; Eumenius, orat. pro restaur. Schol. cap. 20.

quod priora hujus generis monumenta emendavit, accuratioremque orbis descriptionem dedit, et ipsorum Theodosii Missorum, quibus provinciarum dimensio mandata fuerat, singulari libro explicata est. Servavit eum librum cum ipso, quod repetimus, Epigrammate, scriptor quidam sæculi VIII, Hibernus vel Scotus natione, nomine Dicuil vel Dicola, in opusculo de mensura Provinciarum orbis terræ, quod Antonini Itinerario subjectum in bibliotheca Regis Christianissimi inter codices MSS reperitur. Hoc nempe opusculum suum, ut ipse auctor in prologo testatur, ita instruxit, ut primo librum Missorum Theodosii proponeret, deinceps conferret cum eo, quæ Plinius in Historia Natur. de ea orbis dimensione memoravit. Fini autem libelli istius subjunxit eorumdem Missorum versus de Theodosio hoc opus imperante, adjecta simul adnotatione, qua usurpatum in principio versus 7 et 8 pedem amphimacrum auctoritate aliorum poetarum, et maxime Virgilii, excusat, quem, inquit, in talibus caussis Noster simulavit (id est, imitatus est) Sedulius. E quibus verbis Sedulium presbyterum, poetam Christianum, et pariter natione Scotum, horum versuum auctorem esse, haud vana ratione probavit Gerardus Meermannus, cujus commentarium in hoc Epigramma Petr. Burmannus notis suis integrum inseruit, Anthol. Lat. vol. II, pag. 392, seqq. Vulgarunt autem versus hosce, primus quidem, ut Meermannus opinatur, Matth. Raderus, qui Dicuilis libellum a M. Velsero acceperat, in Aula sancta, seu historia Theodosii Junioris, edit. Monachii 1614, cap. 4, quamquam eo prior invenisse censendus est P. Pithœus, qui hoc carmen ex V. C. descriptum addiderat Epigr. et poem. vett. editionis suæ exemplari, quod in bibliotheca Parisina servatur. Mox Jac. Gothofredus e codice Regio edidit in commentar. ad Cod. Theod. lib. VII, tit. VIII de metatis, leg. 10; Carol. *du Fresne* in Constantinopoli Christiana, lib. I, cap. 20; Petr. Wesseling. in præf. ad Itiner. vet. Rom. Dan. Schœpflinus in lite-

ris ad Fr. Christoph. *de Scheyb*, quas hic suis cum observationibus protulit in Dissert. ad Tabul. Peuting. Cap. II, pag. 24 seq. novissime Petr. Burmannus, in Anthol. Lat. lib. V, epigr. 115. Plerique eruditi, atque ii ipsi, quos modo nominavimus, opinati sunt, tabulam sive descriptionem orbis, quæ hoc carmine dicitur jussu Theodosii Imp. a quibusdam viris confecta, ipsam esse tabulam itinerariam Peutingerianam, quæ hodie superstes in biblioth. Cæsarea Vindobonensi adservatur, et curante Scheybio laminis æneis incisa editaque est. Hanc opinionem Meermannus dicta in commentatione idoneis argumentis destruit, neque difficile, ut ipsi arbitramur, recte attendenti est perspicere, utriusque tabulæ formam ac naturam maxime diversam esse; atque eam quidem, quæ carmine nostro describitur, *summam mundi*, æquora, montes, fluvios, urbes tenuisse, habuisseque omnes provincias in longitudinem et latitudinem mensuratas, et in formam vere geographicam redactas, uti verba ipsa Missorum Theodosii, variaque ex libello eorum excerpta probant, quæ Salmasius passim in Exercitat. Plin. produxit. Contra Peutingeriana tabula cernitur solam itinerum terrarumque longitudinem exhibere, nulla ratione latitudinis et proportionis habita, demonstrare viarum stationes et distantias locorum, urbes alias, quæ extra illa itinera erant, negligere, nullos denique terrarum mariumque fines legitimos, non justam formam et magnitudinem ostendere. Quin ætate adeo multum differre hanc tabulam a Theodosiana existimat Meermannus, ut e scriptura et imaginibus ejus probare contendat, ævo Caroli Magni in Occidente, et Irenes in Oriente regnantis, hoc est, sæculo IX ineunte a monacho quodam Italo perfunctorie descriptam esse. Cæterum titulum carminis, quem supra posui, argumenti magis declarandi caussa, a Meermanno mutuatus sum; alium, quem Burmannus præposuit, forte e cod. MS descriptum, nunc subjungam.

VERSUS DUODECIM

DE DIVISIONE ORBIS TERRÆ

IMPERANTE THEODOSIO

CONSCRIPTI ANNO XV.

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Æquora quo, montes, fluvii, freta, portus et urbes
Signantur: cunctis ut sit cognoscere promptum,
Quidquid ubique latet; clemens genus, inclyta proles,

1. *Quo mundi summa*, h. e. ambitus et complexus omnium partium mundi. Sic Mela, lib. I, cap. 4, extr. « Hæc summa nostri orbis, hæ maximæ partes, hæ formæ gentesque partium ». Varie adpellant Geographi, « Totum hoc, omne, omnia, universa ». Mela, lib. I, c. 1: « Totum hoc, quidquid est, cui Mundi Cælique nomen indidimus, unum id est, et uno ambitu se cunctaque complectitur ». Seneca, epist. CIII: « Illi patria est, quodcumque universa circuitu suo cingunt, hoc omne, intra quod jacent maria cum terris ». *Naturam* vocabat Priscianus, Perieg. v. 1, et sic Seneca in Declamat. « Ita est natura rerum, post omnia Oceanus; post Oceanum nihil ». Cæterum Pithœus in exemplari suo hanc lectionis differentiam adnotavit *mundi quo summa*. W.

2. *Æquora quo montes*. Pithœus, adposuit *Æquora quo et montes — Freta, portus, et urbes*. Sic dedit Gothofredus e MS Regio, eumque sequutus Wesselingius. Sed Schebybius: *portus, freta et urbes*: et subjicit, in *portus et urbes* errorem esse, quia *portus* sit ultima longa, quam hic brevem faciat. Sed solent nomina quartæ formæ in obliquis casibus a recentioribus poetis, ut a Sedulio, Carm. pasch. lib. II, v. 120 et 239, sæpe contrahi. Proinde lectio antiqua non mutanda est.

4. *Quidquid ubique latet*, h. e. quidquid latens et incognitum in extremis quibusque et longinquis oris est. Sic *latentes oras* dixit Horat. lib. I, od. 37, 23.—*Clemens genus*, h. e. ex Imperatorum gente prognatus, cui propria est clementia. Sic Horat. Serm. II, 5, 63: « Juvenis..., ab alto Demissum genus Ænea ».

Ac per sæcla pius, totum quem vix capit orbis,
Theudosius princeps venerando jussit ab ore
Confici, ter quinis aperit dum fastibus annum.

5. *Per sæcla pius*, cujus memoria pietatis per sæcula vivet, *totum quem vix capit orbis*, cujus majestas et imperium iisdem, quibus orbis terræ, finibus continetur. Plena adulationis sententia, cujus similes habent alii eorum temporum scriptores. — Nominatim formulam istam habet Prudentius, Apoth. v. 704: « Summatim relegam, totus quæ non capit orbis ». Ed.

6. *Theudosius*. Sic nomen Theodosii efferre solet etiam Claudian. in Ruf. I, 51, Bell. Gild. 216, et alibi. Theodosium II, vel juniorem intelligendum esse, demonstravit Meermannus. — *Jussit ab orbe* e codice Regio dedit Gothofredus, adjecta correctione, quam probo, *ore*. — *Ab* abundare videtur sæpe apud poetas ejus ætatis, ut Avien. in Prognost. v. 435: « Si matutino fringilla resultat ab ore ». Ed.

7. *Confici, ter quinis*. Pithœus pro correctione vel lectionis differentia adposuit *Conficier, quinis aperit cum fascibus annum, Supplice hoc famuli*. Sed *Confici, ter quinis* ex V. C. Regio alii quum ediderunt, recte id ex licentia hujus ævi præferebat Ampliss. G. Meermannus: nam *ter quinis* indubitata est lectio, quæ exprimat annum imperii Theodosiani quintum et decimum, quo divisionem hanc Orbis terræ factam titulus indicat. Dein *fastibus* bene etiam adprobabat, pro *fascibus*, ut descripsit Pithœus: neque enim hic fasces Consulares indicantur, sed fasti imperii: *fastus* autem pro *fasti* non infrequens, ut in epigrammate Asterii in Sedulii Opus Paschale: « Quem quamvis summi celebrent per sæcula fastus »; de quo vid. Barth. lib. XII Advers. cap. 19, et plura ex vetustioribus auctoribus exempla dudum notaverunt viri docti, Claver. ad Claudian. I, in Eutrop. 478; Heins. ad IV Cons. Hon. 155; Grot. et Oudend. ad Lucan. V, 399, X, 187, et Drakenb. ad Sil. Ital. lib. II, 10, ubi *fasces* et *fastus* etiam confunduntur, ut apud Claudian. II Cons. Stilic. 88: ubi vide notas. Burm. *Confici*, et sequente versu *Supplices* legendum esse, hoc minus dubitari potest, quod Dicuila sic se legisse fatetur; et amphimacrum in prima regione versus positum auctoritate aliorum poetarum et maxime Virgilii, excusat. Quamvis autem Virgilius ea licentia forte bis terve, quod tamen ipse nescio, in magno opere usus sit, perperam sane fecit auctor epigrammatis, quisquis est, qui eam in contiguis versibus bis sibi quasi pro jure sumpsit. — *Ter quinis aperit dum fastibus annum*, h. e. initio anni 15 imperii sui. Similiter Claudian. VI Cons. Hon. 640: « Jamque novum fastis aperit felicibus annum ». Male Gothofredus, Wesselingius, Scheybius scribunt *fascibus*. Nam quia *fasces*, Consulatum significantes, suo numero duodeni, vel bisseni dicendi sunt, ineptum hoc est vocabulum, ubi alio numero adjiciendo Consulatuum numerus indicandus est. Inscriptio carminis et verba Missorum docent, annum XV regni Theodosii, non Consulatum, indicari. Et forma *fastibus* adprobatur versu Lucani, X, 187:

Supplices hoc famuli, dum scribit, pingit et alter,
Mensibus exiguis, Veterum monumenta sequuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tollimus, ac totum breviter comprendimus orbem :
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia, Princeps.

«Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus ». W.

8. *Dum scribit, pingit et alter. Scribit* alter nomina provinciarum, marium, etc. *Pingit* alter figuras, notas, lineas urbium, limitum, montium, fluviorum, etc.

9. *Mensibus exiguis*, i. e. paucis.

10. *In melius reparamus*. Scheybius edidit, nescio an errore, *reparemus*. Idem cum Gothofredo versu sequente scribit *Tullimus*, idque pntat prosodiæ caussa pro *tulimus* positum esse: nos pro *Tollimus*, nt ediderunt cæteri. Per *culpam priorem* intelligit peccata vel errata a prioribus chorographiæ scriptoribus aut pictoribus commissa.

12. *Tua nos docuit sapientia*. Significat, ut opinor, adserente quoque Ger. Meermanno, ipsum Theodosium tabulæ delineandæ pingendæque modum et rationem monstrasse. Nam eum matheseos et astronomiæ non ignarum, præterea pingendi fingendique peritnm fuisse, testatur Zonaras, Annal. lib. XIII, cap. 23. — Quin etiam Theodosinm principem subinde codices librorum veterum sua manu descripsisse, recognovisse, emendasse, vel emendari curasse, probat subscriptio, quam in antiquo exemplari Solini se reperisse testatur Salmasius in Prolegom. iu Solin. p. 27 : EXPLICIT. OPERA ET STUDIO THEODOSII INVICTISSIMI PRINCIPIS (Theodosii junioris puto). Eodem loco Salmasius integram bibliothecam sive archivum ejusmodi codicum descriptorum a Theodosio instructum fuisse conjicit, e verbis Scholiastæ Nicandri, qui meminit codicis μεταγραφέντος ἐκ τοῦ Θεοδοσιακοῦ ἀρχαίου. Nempe hic Theodosiacum exemplar antiquum vocari, quod videatur ex bibliotheca Theodosii imperatoris snmptum. ED.

AUSONII BURDIGALENSIS

ORDO NOBILIUM URBIUM.

VARIAS inscriptiones in libris scriptis et excusis sortitum est hoc opusculum. Antiquiores editiones Ausonii operum inscripsisse videntur *Catalogus nobilium urbium.* Sic habuit, quæ prima hoc opusculum inter scripta Ausonii dedit, editio Thaddæi Ugoletti, Venet. an. 1500, et sic lego in Lugdunensi Gryphiana a. 1549, quæ ad manus est. Sequuti alii, ut El. Vinetus et Jos. Scaliger scripserunt *Ausonii Burdigalensis Claræ urbes*, vel *de Claris urbibus*, quorum tamen uterque adnotavit, in veteri codice legi *Ordo nobilium urbium.* Adsumpserunt hunc titulum recentiores, Tollius et Souchayus, ita tamen, ut et altero *Claræ urbes* in fronte paginarum uterentur. Nos titulum, quem Scaliger in veteri libro vidit, aptissimum libello, et ab ipso auctore profectum putamus. Re vera enim ordinem instituit urbium; atque eas non recenset solum, sed et pro dignitate cujusque collocat, et definire conatur, quænam urbs post primam Romam secundo, tertio, quarto loco poni mereatur. In vetustissimis sæculi XV editionibus Ausonii hoc opusculum non adparuit: sed post Thaddænm Ugolettum poematibus Ausonii ab editoribus insertum est. Sigillatim et seorsum editum esse cum commentario Eliæ Vineti, Pictavii 1565, tradit Fabricius in Bibl. Lat. quem libellum ipse non vidi. Sed separatum ab operibus Ausonii, cum J. C. Scaligeri Urbibus, Nath. Chytræus excudi curavit inter Hodœporica, quibus et Rutilii Itinerarium continetur, Fran-

cof. 1575, in-8, pag. 275. Similiter Hippolytus a Collibus illud libro suo *Incrementa urbium, sive de caussis magnitudinis urbium*, qui primum prodiit Hanoviæ, 1600, in-8, una cum Scaligeri similis argumenti carminibus, subjunxit p. 107 seqq. Sed quæ recentius ejus libri editiones factæ sunt, ut ea, quæ Lubecæ 1610, in-8 prodiit, et altera, quæ Hippolyto a Collibus adjunctum habet Petri Ponceti Tractatum de civibus, municipibus et incolis, et Martini Naurathi JCti additiones et notas ad utrumque, et vulgata est Francofurti 1671 in-8; in his, inquam, Ausonii et Scaligeri Carmina de Urbibus non reperiuntur. In recensendo contextu usus sum exemplo Jac. Tollii; habui simul ad manus antiquam edit. Lugdunensem, 1549, Eliæ Vineti cum Scaligeri Auson. Lectt. Burdigalæ 1596, et J. B. Souchayi, cum notis Jul. Floridi, Paris. 1730, qui Tollium fere sequitur. Adposui cum adnotationibus meis selectas Vineti, Scaligeri, Tollii, Floridi, et aliorum. Ausonii Urbibus subjunxi *Aliorum auctorum de quibusdam urbibus, insulis et regionibus* carmina, quæ etsi non omnia descriptionem locorum geographicam exhibent, memoriam tamen eorum utcumque celebrant. Maximam partem hæc e P. Burmanni Anthologia Lat. repetii, cujus etiam adnotationibus usus sum.

AUSONII BURDIGALENSIS

ORDO NOBILIUM URBIUM.

I. ROMA, CONSTANTINOPOLIS ET CARTHAGO.

PRIMA urbes inter, Divum domus, aurea Roma.
Constantinopoli adsurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu; quia tertia dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum,

1. *Prima urbes inter.* Omnes editiones priscæ hunc versum de Roma jungunt reliquis de Constantinopoli et Carthagine. Tollius separandum et seorsum sub numero I ponendum censuit, idque liquere ait ex epilogo, ubi: *Utque caput numeri Roma inclyta*, etc. Sed hæc ratio ad deserendum priscum ordinem non sufficit. Neque enim Roma *numeri caput* esse desinit, si ei Constantinopolis et Carthago sub eodem numero junguntur, neque *caput numeri* Ausonio aliud est, quam quæ prima urbs in enumerando ponitur. Et tota oratio de tribus urbibus sic constructa est, ut de Constantinopoli et Carthagine, quasi loci secundi urbibus, non aliter agatur, quam cum relatione ad primam Romam. Cæterum ut hic *Prima Roma*, ita Horatio, Carm. IV, 3, 13, *Princeps urbium* dicitur.—*Divum domus.* Ob varias Deorum ædes tota urbe, sed maxime ob Capitolium, totum Diis refertum. FLOR.—*Aurea Roma*, i. e. pulcherrima et splendidissima, ob splendorem auratorum templorum. Sollenne hoc Romæ elogium. Vid. Virg. Georg. II, 534; Ovid. Arte Am. III, 113; Martial. IX, 60, 2; Claudian. in Fescenn. II, 19, et de Cons. Hon. VI, v. 52; Rutil. I, 95. Et sic Juvencus principio Hist. Evang. « Immortale nihil mundi compage tenetur, Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma ».

2. *Adsurgit*, i. e. honorem et prærogativam defert: ductum ab hominum more, qui præstantioribus prætereuntibus honoris caussa adsurgunt.

3. *Non toto cessura gradu*, id est, non ita tamen ut omnino secundo loco abstineat, nec tamen parem,

Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens. Fuit hæc, subit ista; novisque
Excellens meritis, veterem præstringit honorem,
Et Constantino concedere cogit Elissam.
Accusat Carthago Deos jam plena pudoris,
Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.
Componat vestros fortuna antiqua tumores.
Ite pares, tandem memores, quod numine Divum
Angustas mutastis opes et nomina : tu quum
Byzantina Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.

ut olim, cnm Constantinopoli gradum obtineat.

5. *Qui fuit ambarum.* Poetam scripsisse putat Barth. *Qui fuat ambarum*, hoc est, *sit* jure communis ambabus. Sed nihil mutandum. Ed. — Male hic distinguit Gryphius, *Qui fuit ambarum vetus. Hanc opulentia.*

6. *Hanc fortuna recens.* Constantinopolim extulit Romani pars imperii eo translata snb Ausonii tempora; ubi hodie quoque Tnrcorum Principis regia. Vin.

7. *Veterem perstringit honorem.* Vetus liber *præstringit*, quod malim; quamvis alias viris eruditis adsentiar, qui verbum hactenus eliminatum *præstinguit* restitni cupinnt. Vide, quæ de eo Lambin. ad Horat. Plaut. et Lucret. Toll. *Perstringit* ediderunt Vinet. Chytr. Hippol. a Coll. *perstrinxit* Gryph. *præstringit* Toll. et Souch. i. e. deterit, imminnit, obscurat veterem, qnem Carthago habuit, honorem.

8. *Cogit Elissam.* Didonem, quæ Carthaginem dicitur condidisse.

10. *Romam vix passa priorem.* « Carthago, inquit Pomp. Mela, nunc populi Romani colonia, olim imperii ejus pertinax æmnla ». Velleius Paterc. libro priore. Vin. *Romam priorem*, i. e. illam veterem, cui hodie ipsa Constantinopolis cedit.

11. *Fortuna antiqua*, i. e. recordatio priscæ fortunæ et conditionis vestræ. — *Tumores* significant fastum, iram et æmulationem, quemadmodum *tumere* de iratis, et *inflari* de superbis dicitur.

13. *Angustas mutastis opes*, h. e. ex tenuibus initiis et angustis opibus in maximas et amplissimas excrevistis. Male Gryph. *Augustas.*

14. *Byzantina Lygos.* Plin. Hist. Nat. IV, cap. 11 : « Promontorium Chrysoceras, in qno oppidnm Byzantinm liberæ conditionis, antea Lygos dictum ». Quod male ad ipsum promontorium retulisse Solinum, Salmasius in snis ad enm notis demonstrat : sicut et hinc manifestum est. Toll. — *Byrsa fuisti.* Virg. Æn. lib. I, 365 sqq. « Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem: Mercatique solum facti de nomine Byrsam, Taurino quantum possent circumdare tergo ». Nomen autem *Byrsæ* arx Carthaginis retinuit. Lucius Seneca libro secundo breviarii rerum Romanarum. Vin.

II. ANTIOCHIA ET ALEXANDRIA.

Tertia, Phœbeæ lauri domus, Antiochea,
Vellet Alexandri si quarta colonia poni.
Ambarum locus unus; et has furor ambitionis
In certamen agit vitiorum. Turbida vulgo
Utraque, et amentis populi male sana tumultu.
Hæc Nilo munita quod est, penitusque repostis
Insinuata locis, fecunda et tuta, superbit;

1. *Phœbeæ lauri domus.* Lauro abundans, arbore sacra Phœbo Apollini. Dicitur autem laurus Græce Δάφνη· unde Daphnen dixerunt oppidum ab Antiochia quinque millibus passuum distans, quod amœnum et ambitiosum Antiochiæ suburbanum vocat Ammianus libro XIX. Lucus ille fuit amœnissimus decem millia passuum ambitu colligens, lauro cupressoque perpetuo virens: cujus meminit Justin. Imp. libro XI extremo sui Codicis, Eusebius Chronico, Eutropius libro VI, et Strabo lib. XVI. Vin. Confer quæ a nobis dicta sunt ad Avieni Descr. Orb. v. 1078.

2. *Alexandri colonia.* Est Alexandria, Ægypti urbs clarissima. Alexandrias decem et octo numerant Stephanus et Eustathius. Vin. Male Chytr. et Hippol. expresserunt *se quarta colonia.*

3. *Locus unus.* Tertius, de quo contendunt, ut Constantinopoleos et Carthaginis fuit secundus. Flor.

4. *Vitiorum turbida vulgo.* Quid sit vitiorum vulgus, non video. Malebam *vitioso turbida vulgo.* Aut distinguendum est: *et has furor ambitionis In certamen agit vitiorum. Turbida vulgo,* etc. Quæ mihi sententia potior videtur, etc. Tollius. Distinctionem hanc recepit Souchayus. Confirmant, quæ de pari vitiorum certamine dicuntur in Capua: « Mox ut in occasum vitiis communibus acti Corruerunt, etc. » Ante Tollium omnes hic distinguunt post *agit.*

5. *Et amentis populi male sana tumultu.* De Antiochensium pravis moribus multa Herodian. libro II, et Julianus in Misopogone. Ammianus Marcell. libro XXII de Alexandria, « quæ civitas suopte motu, inquit, et ubi caussæ non suppetunt, seditionibus crebris agitatur et turbulentis ». Vin.

6. *Penitusque repostis Insinuata locis.* Dixerat Virg. Æn. VI, 59: « penitusque repostas Massylum gentes ». Vin. Sic *latentes oras* Ægypti et Alexandriæ vocare videtur Horat. Carm. I, 37, 23.

7. *Fecunda situque superbit.* Vetus codex *fecunda et tuta superbit,* melius. Vin. Atque hoc dederunt Toll. et Souch. antiquiores omnes *fecunda situque.*

Illa quod infidis opponitur æmula Persis.
Et vos ite pares, Macetumque attollite nomen :
Magnus Alexander te condidit : illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit ancora signum

8. *Illa quod infidis.* Antiochiæ Romani tenebant præsidia contra Persarum incursiones. VIN.

9. *Macedumque.* Vetus liber aliam lectionem præfert : *Macetumque attollite nomen*, quæ vera est : nam *Macetia* Macedonia, et *Macetæ* Macedones. Gellius, lib. IX, cap. 3, ex veteri scriptura : « Philippus Amyntæ, terræ Macetiæ rex, cujus virtute industriaque Macetæ locupletissimo imperio aucti, gentium nationumque multarum potiri cœperunt ». Hesychius : Μακετία, ἡ Μακεδονία. SCAL. Vid. Rutil. I, 85; Priscian. Perieg. v. 433; Avien. Per. v. 588. — Et confer Heins. ad Claudian. in Rufin. II, 279; Gronov. ad Senec. Hercul. Fur. v. 980; Drakenb. ad Sil. XVII, v. 633; Oudendorp. ad Lucan. II, 647, et quæ adnotat Burmann. ad Anthol. Lat. II, epigr. 9. ED.

10. *Illa* Antiochia, *Seleucum* Nicatorem.

11. *Ingenuum cujus. Ingenitus nævus* legit Baptista Pius in commentariis in Plautum. *Ingenitis cujus* Andreas Alciatus libro IX παρέργων. *Ingeneratus avus* omnia exemplaria impressa, præter unum, quod habet *Ingenium nævum fuit ancora signum.* Lugdunensis vero codex membranaceus : *Ingenuum cujus fuit ancora signum.* Ancora igitur illa ingenuum, innatum, et naturale signum fuit, ac certa nota, unde Seleuci genus cognosceretur. VIN. *Ingenuum signum* vocat αὐτοφυές· vel potius, ut ex Aristotelis poeticis interpretemur, σημεῖον σύμφυτον. Id enim valet *ingenuum* : ut alibi : « Usque sub ingenuis agitatæ fontibus undæ ». Ingenuos fontes vocat τοὺς μὴ χειροποιήτους. Nam ingenium est natura ipsa. SCAL. *Ingeneratus avus* habet Gryph. *ingenitus nævus fuit* Chytr. Hippol. de Coll. *ingenuum cujus* Vin. et reliqui. —*Fuit ancora signum.* Mire illustrat hunc locum et totum hoc epigramma id quod habet Justinus, lib. XV, cap. 4 : « Seleuci et virtus clara, et origo admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laodice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse; gravidamque factam, munus concubitus annulum a Deo accepisse, in cujus gemma ancora sculpta esset; jussamque id donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum et annulus, qui postera die, ejusdem sculpturæ, in lecto inventus est, et figura ancoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso parvulo fuit. Quamobrem Laodice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, urbem condidit; ibique geminæ originis memoriam consecravit : nam et urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, et campos vicinos urbi Apollini dicavit. Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit : siquidem filii ne-

(Qualis inusta solet), generis nota certa; per omnem
Nam subolis seriem nativa cucurrit imago.

potesque ejus, ancoram in femore, velnti notam generis naturalem, habuere ». Flor. — M. Paulus Venetus tradit quoque lib. I, cap. 14, famam fuisse Georgianorum reges cum aquilæ signo (*nativa imagine*) supra humerum antiquitus nasci. Ed.

12. *Qualis inusta*, pecudibus. Virgil. Georg. III, 158: « Continnoque notas et nomina gentis innrunt ».

III. TREVERI.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit:
Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio secura quiescit,
Imperii vires quod alit, quod vestit et armat.

1. *Celebrabere Gallia gestis* habet Gryph. *celebrari Gallia gestis* Chytr. et Hippol. a Coll. *gestit* Vin. Toll. Souch. quod rectum est.

2. *Trevericæque urbis solium*. Ptolemæus et Mela Augustam vocant Trevirorum urbem, a nostratibus hodie *Trèves* et Germanis *Trier* adpellatam. Galliæ Belgicæ urbs est, Imperatorum non paucorum sedes, ob Germaniæ viciniam, ab iis electa. Unde Ausonius *solium Trevericæ urbis* dicit. Ad Mosellam sita est. Flor. *Treveros* clarnm Principum domicilinm adpellat Amm. Marcell. lib. XV, et Noster in Mosella, « Dignata imperio mœnia », v. 24; « imperii sedem », 380, et « Augustam urbem » 421. — Vid. huj. op. t. I, p. 245. Ed.—Fabulosam ejus urbis originem celebrat aliud epigramma, quod infra post Ausonii Urbes producemus.

3. *Pacis ut in mediæ gremio*. Rectius liber optimus *Pacis ut in diæ*. Qnod et viro maximo Nic. Heinsio fuit observatum. Toll. Sed hoc non opus est, et sensus bene constat. Dicit Treverensem urbem, quamvis proximam Rheno et in limite imperii positam, tamen, quum undequaque munita præsidiis omnis generis sit, secnram quiescere, quasi in medio pacati imperii gremio esset.

4. *Imperiique viros quod alit*. Sic Gryph.. Cæteri omnes *Imperii vires quod alit*, quam lectionem etiam veterem fuisse, atque ita prorsus relegendnm esse, probat Mariang. Accursius. — *Quod alit, quod vestit et armat. Alit* annonæ et vini copia, in horreis condita, et per commercia; *vestit* lanificio et pannificio, cujus adhuc in ea urbe summa opportunitas, textorum et fullonum collegio frequentissimo; *armat*, qnod ibi fabrica scutaria et ballistaria esset; magis vero quod monetaria. Meminit enim Notitia Im-

Lata per extentum procurrunt mœnia collem :
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

perii « Thesaurorum Triberorum », et « Procuratoris Monetæ Treverorum, etc. » Hæc Freherus ad Ausonium, Mosell. v. 24.

6. *Prælabitur amne.* Sic *prælabitur* verbum cum *præ*, serviente ablativo casui præpositione, compositum, et non *perlabitur*, ut typographi corruperunt et hic, et in carmine de Tolosa. In Symmachi quarta ad Ausonium epistola *prælabitur* et *præterlabitur*. Vin. *Perlabitur* est in Gryph.

7. *Omnigenæ terræ.* Galliæ præsertim et Germaniæ, quarum notissima fertilitas. Vix autem ab Oceano naves adverso Rheno, ob cursus ejus rapiditatem, in Mosellam deduci possint. Flor.—*Vectans commercia.* Sic Rutil. I, 153, de Tibri et Roma : « Atque opulenta tibi placidis commercia ripis Devehat hinc ruris, subvehat inde maris». Et Avienus, Or. Mar. v. 503 : « Peregrina Ibero subvehuntur flumine ».

IV. MEDIOLANUM.

Et Mediolani mira omnia : copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia et mores læti : tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, et inclusi moles cuneata theatri :

2. *Cultæque domus*, scil. cultu et ornatu decoræ. Ed.

3. *Ingenia et mores læti.* Reddidi poetæ suam lectionem, prout in primo Vossiano conspicitur. Nec sane *facunda virorum ingenia* (sive quis *fecunda* legat) aliud nisi excultos ac lætos mores promittunt. Sic in Mosella : « Quin etiam mores et lætum fronte severa Ingenium natura tuis concessit alumnis ». Mox *Palatinæque domus* in margine veteris libri notatum fuit. Videturque τὸ *ares* illius esse interpretatio. Toll. Ante Tollium omnes excusi habebant *Ingenia, antiqui mores.*

4. *Loci species.* Totum id, quod conspicitur, tota amplitudo urbis, quæ nunc *Milan* et *Milano*. Ed.

5. *Inclusi moles cuneata theatri.* « Cuneata theatri immanitas» in ludo Sapientum; et « cuneatum theatrum» in idyllio. Est et non cuneos habens. De quibus Vitruvius, lib. V. Vin. — *Cuneata* dicuntur theatra, quod spatia sedilium inter scalas, latiora in summo, et coarcta versus orchestram, cunei dicebantur. *Moles*

Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romæ.

de immani ædificio, et frequenter de theatro. Statius, Silv. III, 5, 91: « Et geminam molem nudi tectique theatri ». Et Calpurn. VII, 34, de Amphitheatro: « Et geminis medium se molibus adligat ovum ».

6. *Opulensque Moneta. Non opulens nec egens*, in patris Epicedio. Moneta autem Dea, templum Deæ, ut in carmine Sulpiciæ, et locus, ubi nummi percutiebantur. Turnebus, secundo cap. quarti Adversariorum.

7. *Et regio Herculei.* Regionem Mediolani indicat fuisse, quæ diceretur *Herculeum lavacrum*, aut *Herculea balnea*. Sane Herculem tutelam Mediolanensium fuisse, patet e quibusdam inscriptionibus. Scal.

8. *Ornata peristyla signis.* Apud Vitruvium sæpius peristyla quatuor syllabis. Est autem περίστυλον, sive περιστύλιον, locus columnis circumdatus, et clausus: ejusmodi est Burdigalæ, quod Palatium Tutelæ vulgo adpellatur. Vin.

9. *Circumdata labro.* Ita legendum est, non, ut interpolatores reconcinnarunt, *circumdata limbo*. A parte totum intelligit, quæ posterioribus temporibus in castris vocabatur *fossatum*. *Labra* enim fossæ dicuntur a Columella et aliis, imitatione Græcanica; nam Græcis χεῖλη τῆς τάφρου. Neque dubitandum est de hac interpretatione. Scal. *Circumdata limbo* omnes habent meæ antiquæ, etiam Vineti, qui *labro* in margine vetusti exemplaris adnotatum se ait reperisse. — Præterea *labrum* significat etiam *cupam*. Ed.

11. *Nec juncta premit.* Comparatione scilicet operum, magnificentiæque, quæ aliam de plebe urbem obscuraret. Flor.

V. CAPUA.

Nec Capuam, pelago, cultuque penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore silebo,

1. *Capuam*, Campaniæ urbem, regionis Italiæ clarissimam, a Capye duce, vel a Campestri agro potius adpellatam esse, placet Tito Livio, lib. IV, cap. 37. Vin. — De Capua vid. Cluver. Introd. Geogr. III, cap. 29. Tuscos quidem conditores habuit; nunc ejus ruinæ visuntur duobus amplius millibus passuum a Nova Capua. Intus in mediterraneo sita erat. Ed. — *Pelago*, re navali. — *Penu potentem*, copiis rerum ad victum pertinentium, quibus penus instruitur.

2. *Priore*, antiqua: sicut *sæculum prius* dixit Terent. in Eunucho. Vin.

Fortuna variante vices: quæ freta secundis,
Nescivit servare modum: nunc subdita Romæ,
Æmula tunc; fidei memor, anne infida, senatum
Sperneret, an coleret, dubitans, sperare curules
Campanis ausa auspiciis, unoque suorum
Consule, ut imperium divisi adtolleret orbis.
Quin etiam rerum dominam, Latiique parentem
Adpetiit bello, ducibus non freta togatis,
Hannibalis jurata armis; deceptaque in hostis
Servitium demens specie transivit herili.
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerunt, Pœni luxu, Campania fastu,
(Heu! nunquam stabilem sortita superbia sedem!)

7. *Unoque suorum Consule.* Livius, XXIII, 6: «Romam legatos missos a Campanis, in quibusdam annalibus invenio, postulantes, ut alter Consul Campanus fieret, si rem Romanam adjuvari vellent ». Vin. Conf. Sil. Ital. XI, 59. seq.

9. *Rerum dominam.* Romam, ut Romanos *rerum dominos* Virgilius, Æn. I, 282, vocat. Conf. not. ad Calpurn. IV, 161.

10. *Ducibus non freta togatis.* Quum se armis et ducibus Romanis committere nollet, sed externo Hannibali addiceret. *Togati* simpliciter pro Romanis ponuntur. —Virg. l. c. « gentemque togatam ». Ed.

12. *Specie transivit herili.* In servitutem cessit hostis Hannibalis, quamvis videretur sibi non modo libertatem, sed et auctoritatem herilem retinuisse.

13. *In occasum*, in exitium, interitum.

14. *Corruerent Pœni.* Melius; *Corruerunt Pœni luxu, Campania fastu.* Hoc sane ait: Postquam communibus infecti vitiis Campani et Pœni perierunt; Pœni quidem luxu, Campani fastu; tunc illa potens Capua sic cecidit, ut nunc vix octava. Hactenus enim sententia continens et uno ductu legenda. *Campana superbia* proverbio innotuit. Lips. Veteres omnes editi *Corruerent* scribunt, Gryphiana adeo corruptius *luxu Campania festo.* Defendit illud Gronovius, atque hunc ait esse poetæ sensum: Campanos Romam petivisse bello, et Hannibalis servitutem specie pacis subiisse, eo eventu, ut brevi post *Corruerent Pœni luxu, Campania fastu:* τὸ *ut* non permittere, ut τὸ *Corruerent* mutetur. Mihi vero sic composita a Gronovio sententia auctoris non satis cohærens et liquida videtur; neque τὸ *ut* hoc loco conjunctio est subjunctivum poscens, sed *postquam* notat. Et quando hæc verba, στιγμῇ post *fastu* sublata, cum sequentibus conjunguntur, ut Lipsius suasit, multo pulchrior et luculentior sententia evadit. De luxu Pœnorum in Campania vid. Sil. Ital. XI, 33 seq. et 416 seqq.

Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ paribus potuit fastigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

16. *Roma altera quondam.* Sic Mago Carthaginiensis apud Livium libro XXIII dicit, Capuam non Campaniæ modo, sed Italiæ caput, post adflictam rem Romanam Cannensi pugna. VIN.

17. *Comere quæ paribus potuit fastigia conis.* Quæ potuit Romæ par esse, et eodem gradu consistere. Luc. Annæus Seneca, lib. I breviarii rer. Roman. scribit, Capuam quondam inter tres maximas urbes, Romam Carthaginemque, fuisse numeratam. VIN. Non satis exponit Vinetus, quid sit *comere fastigia paribus conis.* Ineptire videtur Floridus, scribens metaphoram esse a galeis petitam, e quarum conis jubæ solebant pendere, magis minusque pulchræ et magnificæ, pro ducum, qui iis utebantur, dignitate. Nimirum decepit Floridum verbum *comere*, quod serior latinitas non de solo capitis et comæ, sed de quovis ornatu accipit (vid. hujus op. tom. III, Carmen XII, vs. 38): neque *fastigium* pro capite, galea vel vertice poni memini. Hinc metaphoram potius sumptam putem a fastigio pyramidis vel columnæ, cui conum adjungit ipse Noster, Mos. v. 312; atque hac similitudine significat poeta, Capuam potuisse imperii et potentiæ suæ fastigium ita extollere et exornare, ut pares utrique coni essent, Romæ et Capuæ. Juvat hanc interpretationem, quod Horatius pariter imperium imagine *columnæ* adumbrat Carm. I, 35, 14.

18. *Vix pone.* Post Romam primam vix octavo loco digna Capua. VIN. Quidam libri habent *pæne*, quod, post *vix* positum, non satis commodum esse, immo abundare videtur.

VI. AQUILEIA.

Non erat iste locus: merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras, Aquileia, cieberis urbes,

1. *Non erat iste locus*, scil. dandus, vel destinatus tibi, ut nona celebrareris. — *Merito tamen aucta recenti.* Quod in ea obsessus, captus, atque occisus a Theodosio fuit tyrannus, Clemens Maximus, qui Gratianum Imper. Ausonii nostri discipulum interfecerat.

2. *Aquileia.* Urbs Plinio memorata, in Venetia decima regione Italiæ, a mari Adriatico XII millia passuum distans. Strabo ponit eam extra Venetiam. Clara fuit Ausonii ætate; annis autem circiter sexaginta post, ab Attila Hunnorum rege, immani illo Dei flagello, capta ac deleta est. FLOR. Conf. not. ad Avieni Descr. Orb. v. 528, et vid. Prisc. Perieg. v. 374. — Hodie est *Aquilea* deserta plane. — *Aquileia*,

Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus et portu celeberrima : sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solveret exacto cui sera piacula lustro
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ.
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi

quatuor syllabis, quamquam Dionysius quinque habeat, Perieg. v. 381, Πόντον.

3. *Itala ad Illyricos.* Supra hanc Venetiæ et Adriatici maris partem, sunt Illyrii populus. Deducta autem fuit Aquileiam colonia Latina ad annum ab Urbe condita 573, ut ex Tito Livio, lib. XXXIX, cap. 55, cognosces, et ex Patereulo Velleio. VIN. *Itala* igitur colonia est Latina. Gryph. corrupte *Ista quæ ad Illyricos.*

5. *Extremo sub tempore*, vitæ suæ sceleratæ te elegit. VIN. — Possis melius interpretari *nuper*, ut supra dixit *merito recenti*. ED.

6. *Solverit* exhibet Gryph. quod reliqui omnes repudiarunt, rectius esse *Solveret* existimantes. Porro *justa piacula bello* scribunt Gryph. Chytr. Hippol. *lustro* Vinetus, qui et *sera piacula* legi scribit; et pergit : Lustrum quinquennium est. Tyrannidis autem suæ anno quinto Maximus, auctore Prospero, pœnas sui sceleris luit, tertio ab Aquileia lapide captus, indumentis regiis spoliatus, et capite damnatus. — *Cui justa piacula*. Malim cum veterrimo Vossiano, *cui sera piacula*. Illane *sera*, inquies, quæ exacto tantum quinquennio? immo sane : nam mox punitum tantum scelus esse oportuerat, nec in totum lustrum pœnam fuisse dilatam. De morte Gratiani consulendi sunt illius et sequentium ætatum scriptores, Latinus Pacatus, Hieronymus, Augustinus de Civ. Dei, Nicephorus, Cedrenus. TOLL. — *Lustrum* quamquam vulgo pro quinquiennio sumptum sit, tamen a multis cum Olympiade, quæ annorum quatuor spatium est, confusum esse docebit Scaliger ad Euseb. p. 182; Salvagn. ad Ovid. Ibin, v. 1; Lindenbrog. ad Censorin. cap. 18, et Goldast. ad Columban. pag. 98. Raro autem vel pro quinquennio a bonis auctoribus præsertim poetis usurpatur. Hoc tamen habuit Foca Grammaticus in vita Virgilii, v. 98, ubi Georgica novennio absoluta significat : « Edocuit geminis anno minus omnia lustris ». Varro *lustrum* ait a *luendo*, ut *transtrum* a *transeo*, *monstrum* a *moneo*, etc. ED.

7. *Armigeri quondam sub nomine lixæ.* De Maximo in eamdem sententiam loquitur Latinus Pacatus Drepan. in panegyrico ad Theodosium : « An sustinere te coram, et solum oculorum tuorum ferre conjectum, ille quondam domus tuæ negligentissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa potuisset ». Ambo ex affectione animi. Cæterum Maximus ille vir erat, ut historici ferunt, strenuus et probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per cædem imperatoris ad tyrannidem emersisset. FLOR.

Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

9. *Rutupinum*, Britannum: ut *Rutupina litora*, Britannica, libro VI Pharsaliæ Lucani, et *tellus Rutupina* in septimo carmine Parentalium, ac *Rutupinus ager* in duodevicesimo, a *Rutupiis* Cantiorum Britanniæ insulæ gentis civitate; cujus meminit Ptolemæus, libro II Geogr. et Ammianus Marc. aliquot locis. Vin. — *Latronem*, Maximum. De quo S. A. Victor in Epitome, cap. 47, in vita Gratiani: « Dum exercitum negligeret (Gratianus) et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeoque Barbarorum comitatu et prope amicitia capitur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Hoc tempore quum Maximus apud Britanniam tyrannidem adripuisset, et in Galliam transmisisset, ab infensis Gratiano legionibus exceptus Gratianum fugavit; nec mora, exstinxit ». — *Ausonio marte*; armis Theodosii Romani imperatoris. Ed.

VII. ARELAS*.

Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, et quam

* Aliam inscriptionem *De Vienna* in quibusdam exemplaribus circumferri, sed errore magno, monet Accursius. Atque is titulus exstat in Gryph.

1. *Arelas*. Varie nomen hujus urbis efferri video. Est hic casus vocandi *Arelate* a recto Arelatus. Est et *Arelas* rectus, ut pietas. *Arelate* nominandi casu singulari legitur apud Melam, et Plinium, et Suetonium in Tiberio. *Arelatæ* plurali, apud Strabonem, apud Ptolemæum Ἀρελᾶτον. Est *Arelato* ablativus in quodam Imperatorum Leonis et Majoriani rescripto, ex ea orbe dato, et genitivus Ἀρελάτου in vita Favorini Sophistæ, Galli Arelatensis, apud Philostratum. *Arles* Galli hodie adpellamus plurali voce. Vin. Vid. notata ad Avieni Or. Mar. vs. 679, 680. — *Duplex Arelate*. Olim quidem duplex, dum duas haberet partes, unam in orientali Rhodani ripa Italiam spectante, (quæ hodie sola superest), alteram in altera ripa, in insula, quam Rhodani ostia efficiunt. Atque hæc sive a barbaris Gothis destructa, sive ipso temporis lapsu consumpta est. Utramque jungebat pons, de quo infra. Flor. *Duplex Arelas* rursus vocatur a Nostro, Epist. XXIV ad Paullin. v. 81, et in Mosel. v. 480.

2. *Gallula Roma Arelas*. Colonia Romana in Gallia a Tiberio Nerone, patre Tiberii Augusti, deducta, ut Suetonius memoriæ prodidit, Arelas parva quædam Roma videbatur. Lepidum autem diminutivum *Gallula*, ab eo, quod est Gallus. Vin. Arelatem non immerito *Gallulam Romam* vocat poeta, quod esset et celeberrimum et opportunissimum emporium. Quibus commoditatibus invitatus Fl. Constantinus tyran-

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam :
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes; populosque alios, et mœnia ditas,
Gallia quîs fruitur, gremioque Aquitania læto.

nus, qui tempore Honorii junioris Imperator in Britanniis declaratus fuit, Arelate fixit sedem imperii sui, sanxitque Constantinam urbem vocari : præterea ut in ea septem provinciarum conventus agerentur, hoc est, Viennensis, utriusque Narbonensis, utriusque Aquitaniæ, Novempopuloniæ, Alpium maritimarum. Unde imperium illud Septimania vocabatur. Scal. Scaliger vero hæc dicta ex adlata Constantini illius constitutione probat, quam se a Fr. Roaldo accepisse refert.

3. *Quam Narbo Martius, et quam Accolit Alpinis.* Dicit Narbonem et Viennam non magno intervallo ab Arelate distare, nempe Narbonem versus meridiem, Viennam a Septemtrione. Hinc similiter Noster, Epist. XXIV ad Paullin. v. 81 : « Utque duplex Arelas Alpinæ tecta Viennæ, Narbonemque pari spatio sibi conserit ». — *Opulenta Vienna colonis.* Hæc Allobrogum erat metropolis, Alpinorum populorum, juris quondam Italici. De ea idem Ausonius, Carm. IV Parentalium : « Quaque potentes Æduos, Alpino quaque Vienna jugo ». Vetus adhuc nomen hodie retinet. Ed.

5. *Navali ponte plateam.* Pontis ejus meminit Atalaricus rex in quadam epistola ad Senatum Urbis Romæ : « Arelate, inquit, est civitas supra undas Rhodani constituta, quæ in orientis prospectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorsa transmittit ». Scal.

8. *Læto,* fertili. *Lato* tamen pro *læto* vetus exemplar, et *Aquitanica* pro *Aquitania*. Vin. *Lato* habent omnes meæ : sed præfero *læto*, quod *lætam Aquitaniam* etiam vocat Noster in Mosel. v. 442. — *Gremio* haud inepte quis referret ad pristinum Arelati nomen, quo olim ante quam Romana illuc colonia demigraret, Graio incolente, dicebatur, nempe *Theline*. Constat enim θηλὴ Græcis *mamillam* esse. Videmus quoque *Mamillariæ* nomen Arelati adtributum, et id reperire sibi visus est Scaliger in antiqui lapidis inscriptione, quæ apud Gruterum, pag. 159, n. 8, exstat. Cujus adpellationis caussa duplex : forma urbis, et rerum omnium, annonæ præsertim, singularis ubertas. Ed.

VIII. EMERITA*.

Clara mihi post has memorabere, nomen Iberum,
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat,

* Octavi carminis de claris urbibus titulus est *De Emerita* in codicibus impressis; in vetusto Lugdunensi *De Hispali*, qui et in ipso carminis secundo versu *Hispalis* scribebat, ubi alii *Emerita*. VIN. Melius sequemur vulgatam lectionem, quam veterem, quæ habet *Hispalis;* nam Hispalim non præterfluit æquoreus amnis, sed ipsam Emeritam; Anas enim fluvius eam adluit. Hoc disertissime a Prudentio explicatur in Eulalia virgine martyre, his verbis: « Nunc locus Emerita est tumulo, etc. » SCAL.

1. *Clara mihi.* Sic ex veteris lectionis vestigiis, quæ habebat *cara*, reponit Tollius. Vulgatæ editiones omnes habent *Jure mihi*. — *Nomen Iberum*, i. e. gens aut civitas Hispana. Sic infra in Tolosa: « Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum ». Valde frequens hoc *nomen* Ausonio est, et vario, pro re subjecta, significatu. Vid. quæ notavimus ad Ausonii Mosel. v. 440 (buj. op. t. I, pag. 272. ED.) Sed exemplar vetus hic *u* pro *o* scripsisse, *numen* pro *nomen*, observat Vinetus.

2. *Emerita.* Civitas fuit in Lusitania, hodie oppidulum *Merida* dictum. Adpellata est *Augusta Emerita* teste Dione, lib. LIII, et Isid. lib. XV Etymol. propterea quod, quum Augustus Cæsar Cantabris, Asturibus, Lusitanisque subactis, veteranos et emeritos milites in Hispania dimisisset, hanc illi urbem in Lusitania condiderunt, et ab Augusto *Augustam*, ab emeritis *Emeritam* adpellarunt. FLOR. — *Æquoreus amnis.* Anas, ad quem sita est Emerita, nunc Guadiana dictus. Æquorei amnes, judice Scaligero, dicuntur, quorum ostia, quia in Oceanum exonerantur, æstum Oceani patiuntur. Æstuaria λιμνοθαλάττας vocat Strabo. Sic Ausonius Garumnam vocat, « Æquoreæ te commendabo Garumnæ », in Mosel. v. 483. Et significatum ejus vocis apertius declarat epist. X ad Paullin. v. 13: « Æquoris undosi qua multiplicata recursu Garumna pontum provocat ».

3. *Submittit cui tota suos Hispania fasces*, h. e. Quam urbem, cunctarum Hispaniæ civitatum principem, pro numine habet (si *numen Iberum* supra scripsit) universa Hispania, colit, observat, et ipsi cedit. Hoc enim est *submittere fasces*, ut docet Budæus in adnotatt. in Pand. VIN.

4. *Corduba non.* Una ex Bæticæ Hispaniæ clarissimis urbibus est Corduba Pomponio Melæ et Ptolemæo. Cæsar *provinciæ caput* adpellat; Strabo *Marcelli opus;* Plinius *Patriciam coloniam;* Martialis, lib. I, epigr. 62, *duorum Senecarum et unius Lucani patria. Cordova* suis hodie vocatur. VIN.— *Tarraco.* Urbs celeberrima ad mare Mediterraneum, quæ Hispaniæ Tarraconensi nomen fecit. Hodie *Tarragona* in Catalaunia. FLOR.

Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

5. *Bracara dives.* Tunc quidem; sed a Gothis barbaris postea deleta, ostendit tantum fodientibus magnitudinis suæ pristinæ monumenta aliquot, prope urbem *Bragam* hodie dictam, in magnæ illius Bracaræ suburbio exstructam in Portugallia. *Augustæ* quoque titulo, sicut et Emerita, insignita fuit. Quum autem dicit Ausonius, eam sinu pelagi se jactare, non sic intelligendum est, quasi ipsa ad mare fuerit, a quo milliaribus non paucis distabat; sed quia ager ejus ad mare usque pertinebat, in cujus litore portum habuit. Gentem illam Appianus in Hispanicis Βρακάρους adpellat, qui Ptolemæo sunt Βρακάριοι. Flor. qui hæc omnia e Vineti adnotationibus exscribit. Ed.

IX. ATHENÆ.

Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados et Consi quondam certaminis arcem;
Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ;

1. *Terrigenis patribus.* Mallet Turnebus, *Nunc e terrigenis.* Sed mutare nil opus est. Videtur poeta spectare vetus illud commentum, quo terram Atticam hominem primo genuisse fabulati sunt, neque ex adventitia passimque collecta populi colluvie, sed terrigenas Athenienses esse, eosque *Autochthonas* adpellari. Vide Platonem in Menexeno, Lucianum in Philopseude, Apulei. in Metam. In cujus originis argumentum, patrio more, cicadas in seriem aureas capite gestabant Athenienses: quod tangit Thucyd. operis init. et Virg. in Ciri, v. 128: «Ritu Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ». Cicadæ autem quo pacto e terra oriantur, præter Aristot. indicat Plato in Symposio: «In terram, inquit, spargentes semina, cicadarum instar, concipiebant ac generabant». Flor. qui omnia hæc a Mariang. Accursio petiit. *Athenæ terrigenis patribus* descriptio est Athenarum ducta ab origine, quod majores eorum e terra geniti, vel conditores indigenæ credebantur. Clarus inprimis locus est Ciceronis, pro L. Flac. cap. 26: «Quæ (urbs Athenarum) vetustate ea est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur: et eorum eadem terra parens, altrix, patria, dicatur». De notione terrigenarum dixi ad Rutil. I, v. 596.

2. *Pallados et Consi.* Consus apud Romanos adpellatus est Neptunus, qui et Equester vocatus est, teste Livio. A quo dicta Consualia, ludi Circenses, qui et Magni, et Romani. Consum autem a consilio dictum innuunt Augustinus, Cyprianus, et Arnobius, quod ab eo Romulus consilium de rapiendis Sabinis acceptisset. De hoc Deo Servius ad lib. VIII Æneidos: «Consus Deus consiliorum, qui ideo templum sub tecto in Circo habet, ut ostendatur tectum debere esse consilium..... Ideo autem dicato Consi simulacro

Attica facundæ cujus mera gloria linguæ.
Unde per Ioniæ populos, et nomen Achæum,
Versa Graia manus, centum se effudit in urbes.

rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu consilium; unde etiam in ejus honorem Circenses celebrantur ». Dionysius Halicarn. lib. II, Consum, seu Neptunum illum arcanorum Deum distinguere videtur a Neptuno Jovis fratre, terræ quassatore. Vide plura apud Gyrald. de Diis gentium, syntagm. 5. Flor. — *Pallados et Consi quondam certaminis arcem.* Fabula sic habet: conditis Athenis, quum Neptunus et Minerva, quæ Græcis Pallas, de illarum nomine contenderent, « placuit Diis, ut ejus nomine civitas adpellaretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus percusso litore equum, animal bellis aptum, produxit: Minerva jacta hasta olivam creavit: quæ res est melior comprobata, ut pacis insigne ». Ita Servius in librum I Georg. Hyginus paullo aliter, et Aurel. Augustinus libro XVIII de Civitate Dei. A Minerva quæ Ἀθήνη vocatur, dictæ sunt Athenæ. Olivam autem fuisse sacram Minervæ, et primum visam in Atthide, Herodotus, Plinius, Hyginus, et alii multi tradunt.

5. *Unde per Ioniæ populos.* Ion et Achæus, a quibus Iones et Achæi populi dicti, et inde Ionia et Achaia regiones, patrem habuerunt Xuthum, matrem, unam ex filiabus Erechthei, regis Athenarum. Quo pacto autem Iones et Achæi coloniæ sint Atheniensium, quas insulas occuparint, urbesque condiderint, docebunt quum Herodotus, et Marcellinus, tum Strabo in extremo libro VIII, Velleius Paterc. libro I, et Pausanias in principio Achaicorum, aliisque in locis. Vin. — *Nomen Achæum.* Novus usus τοῦ nomen, quod hic Achæos significat. Ed.

6. *Versa Graia manus.* Producitur ultima in *versa*, propter sequentem mutam cum liquida: sic alibi: « Libra, Scorpius », de signis cæli. Pulm. — Istius licentiæ plurima exempla ante voces ab *sp, st, sc* incipientes vide apud Rader. ad Mart. lib. V, pag. 416; G. Fabric. ad Terent. Andr. III, 3, 40; Barthium ad Claudian. in Ruf. 158, et quæ nos ipsi notavimus ad Calp. Eclog. III, vs. 69, huj. op. t. I, p. 442; et præter alios haud paucos Zinzerlingium peculiari dissertatione post ejus Promulsidem Criticam. Ed. — Sed melius huic loco succurrit Nicolaus Heinsius, epist. ad Gronov. tomo III Syll. Burm. p. 542, ubi sic legit: « Unde per Ioniæ populos et nomen Achæum Sparsam Graia manus, centum se effudit in urbes ». — *Centum se effudit in urbes.* Ex quibus coloniis sunt Ephesus, Miletus, Colophon, Priene, Clazomenæ, in Asia minore. Vin.

X. CATINA ET SYRACUSÆ.

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis et amnis;
Qua maris Ionii subter vada salsa meantes

1. *Catinam*, Siciliæ urbem ad mare sitam, non procul ab Ætnæ montis radicibus. Hodie *Catanea*, Græcis Κατάνη apud Strabonem. Flor. — *Quadruplices Syracusas*. In Syracusis alii syllabam secundam producunt. — Sic Virg. Ecl. VI, 1 : « Prima Syracosio, etc. » Ed. — Cicero autem actione sexta in Verrem auctor est, Syracusas constitisse ex quatuor urbibus maximis, quarum una Insula diceretur, in qua fons Arethusa ; altera Achradina ; tertia Tyche ; quarta Neapolis. Florus seu Annæus Seneca libro II triplicem murum Syracusis tribuit. De ea urbe Livius non pauca, in libro XXXV, ubi eam a Marcello captam narrat. Vin.

2. *Hanc ambustorum*. Catinam. Scribit autem Solinus, inter Catinam et Syracusas certamen esse de horum fratrum memoria : « Quorum, inquit, nomina sibi diversæ partes adoptant. Si Catinenses audiamus, Anapias fuit et Amphinomus : si, quod malunt Syracusæ, Æmathiam putabimus, et Critonem. Catinensis tamen regio caussam dedit facto, in quam se quum incendia Ætnæ protulissent, juvenes duo sublatos parentes evexerunt inter flammas illæsi ignibus. Horum memoriam ita posteritas munerata est, ut sepulcri locus nominaretur Campus Piorum ». Hæc ille. Refertur miraculum hoc in eo libro, qui Aristoteli inscribitur περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, et in libro sexto Geographiæ Strabonis. Est quoque Claudiani hac de re elegia, cui titulus de Piis fratribus. Vin. Nos de Piis fratribus abunde egimus, omnesque scriptorum veterum de eo miraculo locos excussimus Excursu VI et VII ad Lucilii Ætnam. — Vid. huj. op. tom. III, pag. 188 seqq. Ed.

3. *Illam*, Syracusas, *complexam miracula fontis*, Arethusæ, qui fons in Ortygia Syracusarum insula manat ; *amnis*, Alphei, Peloponnesi fluminis, cujus aquas sub Ionio mari in fontem usque Arethusam fluere marinis impermixtas fabulati sunt, argumentum rei adferentes, pateram quamdam apud Olympiam in Alpheum prolapsam, ad fontem Arethusam fuisse delatam. Tum fontem illum turbidum fieri, quando Olympiæ boves sacrificantur, ut refert Strabo, quem commentum illud commemorantem, et refellentem, vide lib. VI. De Alphei et Arethusæ amoribus, et nymphæ hujus in fontem conversione vide Ovid Metam. lib. V. Flor.

4. *Quam maris*. An consociare urbem dici possint fons et amnis, qui prope urbem sibi miscentur junguntúrque, merito ambigam. Si

Consociant dulces placita sibi sede liquores,
Incorruptarum miscentes oscula aquarum.

sit res mei judicii, censeam legendum *qua maris Ionii*, sicut et Ugoleitus. Toll. *Quam maris* edidit Vinetus, sed undecumque hoc ille habeat, mera est corruptio priscæ lectionis a librario imprudente facta. Nam omnes meæ antiquæ plane perscribunt *Qua maris*. Eamdemque lectionem recepit Souchæus, seu Floridus.

6. *Incorruptarum*, i. e. dulcium, nec salsugine aquæ marinæ infectarum. Hoc verbum et *oscula*, quæ sequuntur, accommodavit fabulæ de amoribus Alphei et Arethusæ. Quem in modum adhuc luculentius scripsit Statius, Silv. I, 2, 203 seqq. « tumidæ sic transfuga Pisæ Amnis in externos longe flammatus amores, Flumina demerso trahit intemerata canali; Donec Sicanios tandem prolatus anhelo Ore bibat fontes: miratur dulcia Nais Oscula, nec credit pelago venisse maritum ». Conf. quæ notata sunt ad Lucilii fragm. I (huj. op. t. III, p. 206. Ed.), et ad Avieni Descr. Orbis Terræ, v. 1175 seq.

XI. TOLOSA.

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna:
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, et pinea Cæbennarum,

1. *Altricem nostri.* Dum apud Æmilium Magnum Arborium avunculum educaretur, ut ex carmine III Parentalium intelligere licet; ubi hæc inter cætera: « Qui me lactantem, puerum, juvenemque virumque Artibus ornasti, quas didicisse juvat ». Flor. — *Tolosam*, Tectosagorum urbem, inter Cemmenum et Pyrenæum, Galliæ Narbonensi adtribuunt Cæsar, Pomp. Mela, Marcellinus et alii. Antiquissima clarissimaque urbs, nomen priscum adhuc retinuit. Plurima de Tolosa tradiderunt Strabo libro IV, et Justinus, XXXII, quorum hodie paucissima cognoscas. Vin.

2. *Coctilibus muris.* Ex cocto latere factis, quales Babyloniæ Ovidio, lib. IV Metam. et Diodoro Siculo, lapidum silicumque inopia. Vin.

3. *Perlabitur* Gryph. *prolabitur* Chytr. et Hippol. *prælabitur* Vin. et cæteri.

5. *Ninguida Pyrenes.* Sic « bimaris juga ninguida Pyrenæi » in epistola XXIV ad Paullin. v. 69. Nam *Pyrene* et *Pyrenæus*, et *Pyrenæi* inveniuntur pro eodem apud Titum Livium, et alios Latinos: sed ut *Pyrenæus* frequenter, ita *Pyrenæi* raro sine adjectione. Mons est, qui Hispaniam Galliamque disterminat, promontoriis in duo diversa maria projectis,

Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se quum effuderit urbes,
Non ulla exhaustæ sentit dispendia plebis :
Quos genuit cunctos, gremio complexa colonos.

id est, Oceanum et Mediterraneum, quod et internum Latinis adpellatur. Vin. Qui deinceps varias nominis rationes adfert, quas non persequimur. — *Cæbennarum.* Hodie *les Cévennes*, mons est Cæsari Gebenna, si nihil librarii peccaverunt, dictus, Arvernos ab Helviis dividens. *Cemmenus* etiam, Κέμμενοι Ptolemæo et Straboni. Flor. Numero multitudinis extulit Lucanus, I, 435 : « qua montibus ardua summis Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas » ; et Pomp. Mela, II, 5, 1, « Cebennicos montes » vocat. In pluribus exemplaribus auctorum nomen hoc per G, sed perperam, scribi notat Vinetus. Et hic *Gebennarum* habent edd. Gryph. Chytr. et Hippol. a Coll. Primam syllabam ejus nominis hoc loco producit Ausonius, quam in carmine de Narbone corripit, ubi igitur cum simplici vocali, uti hic cum diphthongo scribitur. — *Nomen Iberum*, i. e. Iberos. Ed.

7. *Quæ modo quadruplices.* Quæ sint hæ quatuor Tolosatium coloniæ, nemini compertum esse arbitror. Sed nec satis video, quæ sit *quintuplex* Tolosa, in versu 83 epist. Ausonii XXIV. Hæc enim urbs, quæ nostris temporibus una est ex maximis Galliæ civitatibus, multo amplior quondam fuit. Et ut in unis Syracusis quatuor quondam fuerunt magnæ urbes, ut modo ostendimus, unde Ausonius « quadruplices Syracusas » adpellavit, sic una Tolosa quinque urbes potest esse complexa, quare Ausonius « quincuplicem » adpellarit. Tolosam vero adpellat coloniam Ptolemæus. Sed quando et abs quo deducta, et qui coloni fuerint, id non memini legisse. Vin.

XII. NARBO.

Nec tu, Martie Narbo, silebere; nomine cujus

1. *Martie Narbo.* Vinetus a decima legione, cujus milites Narbonem condiderant, *Martium* adpellatum fuisse putat, et eam legionem, nullo tamen auctore, Martiam quoque dici potuisse ait. Ego *Martium Narbonem* dictum certe existimo ab altero Consulum, sub quibus colonia Narbonem deducta primum est. Is fuit Q. Martius Rex, ut Vell. Paterc. lib. I, et Eutropius, lib. IV, memorant. Deduxit L. Licinius Crassus orator, adhuc adolescens, ut testatur Cicero, lib. de claris Oratoribus. Deducta iterum colonia Narbonem est Julio Cæsare Dictatore : deduxit Tiberii Cæsaris pater, teste Suetonio in Tiberio. Ex qua deductione Narbo non tantum Martius adpellatus est, sed etiam *Colo-*

Fusa per immensum quondam Provincia regnum,
Obtinuit multos dominandi jure colonos.
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris,
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines :
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi :
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemano,
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Usque in Tectosagos primævo nomine Volcas,

nia Julia Paterna, ut puto, a *Julio Cæsare Patre Patriæ*, cujus jussu fuerat deducta. Flor. Vide quam de Narbonis Martii nomine conjecturam adtulimus in not. ad Avieni Or. Mar. v. 586. Sane mihi vero propius videtur, Martium adpellatum esse quum propter feroces et bellicosas gentes, quæ olim eas regiones tenebant; tum, postquam colonia Romana ad coercendas eas gentes et provinciam tuendam eo deducta est, quod in ea urbe sedes armorum et adparatus bellici, et Martium propugnaculum fuit. Confirmare videtur Cicero, Orat. pro Fonteio, cap. 1: « Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum ».

2. *Provincia*, Gallia Narbonensis, *Braccata* olim dicta. Ed.

3. *Obtinuit multos colonos.* Hi erant, ut mox fines eorum describit Ausonius, qui hodie Sabaudi, Delphinates, Provinciales, et Linguadochi, seu Occitani, adpellantur. Flor.

4. *Sequanis. Sequani* et *Sequana* apud Lucanum, Martialem et alios producitur. Ausonius in his paullo liberior esse solet. Vin. — *Allobroges.* Olim partes illarum tenuerunt regionum, quas nunc Sabaudiam et Delphinatum nominamus. Flor.

6. *Qua Pyrenæis nivibus.* Sic edd. antiquæ. *Pyrenaicis* pro *Pyrenæis* vetus liber, quod edidit Vin. et Toll.

7. *Qua rapitur præceps Rhodanus.* Hic versus totus abest a Gryph. — *Genitore Lemano.* Supra Lemanum lacum ex Alpibus ortus Rhodanus, per medium ipsum decurrit Lugdunum. Non igitur oritur *genitore Lemano:* aquarum tamen suarum ab ipso partem sumit maximam. Unde ipsa genitore fluere dici potest. Flor. De illa genitoris, patris, parentis adpellatione, respectu fluviorum et marium, vide, quæ notavit Schraderus ad Avieni Perieg. v. 245. Lacum Lemanum veteri Græco nomine Accion vocatum videbimus ad Avieni Or. Mar. v. 672.

8. *Interiusque premunt.* Montes Cebennæ, Galliam Narbonensem ab Aquitania disterminantes, ipsam intrant Aquitaniam. Hic autem *Aquitaniæ* secundam syllabam corripit Ausonius, quam modo producebat. Vid. pag. 524. Vin.

9. *Usque in Tectosagos.* Ita omnia Ausoniana exemplaria scribere observavimus : quos, omnes Geographi *Tectosagos*, C pro U scribunt, aliique auctores. Id. — *Primævo nomine Belgas.* Sic mea antiqua exemplaria. Alia, ut Vinetus refert, *pa-*

Totum Narbo fuit. Tu Gallia prima togati
Nominis adtollis Latio Proconsule fasces.
Quis memoret portusque tuos, montesque lacusque?
Quis populos vario discrimine vestis et oris?
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille,

naque nomina Belgas: alia, *paganaque nomina Belgas*, unde Tollius facit *paganica nomina*, et interpretatur *paganas gentes*, id est, per pagos divisas. Porro membraneus codex pro *Belgas* habuit *Belcas*, quos apud Cæsarem, Livium, Strabonem, Trogum, Melam, Plinium, Silium, Ptolemæum, Οὐόλκας et *Volcas* scriptos Vinetus existimat, Galliæ Narbonensis gentem. Hinc Vinetus edidit *primævo nomine Belcas*, Tollius *paganica nomina Volcas*, et Floridus *primævo nomine Volcas*. Qui sic pergit: *Volcæ* porro adpellati sunt, qui regionem illam habitabant, quam hodie *Languedoc* adpellamus. Fueruntque in duplici differentia, *Volcæ Tectosages*, seu, ut Noster habet, *Tectosagi*: et *Volcæ Arecomici*, ut habet Cæsar, vel *Aricomii*, Ἀριχόμιοι, ut Ptolemæus. *Tectosages*, de quibus hic Ausonius, partes tenebant Galliæ Narbonensis ad Occidentem maxime spectantes. *Volcæ Arecomici* post hos erant usque ad Rhodanum fluvium. Flor.

10. *Tu Gallia prima togati nominis*. Unde *Provincia* per antonomasiam dicta est. Quod nomen illa ejus pars retinuit, quam bodie *Provence* dicimus. Fuit Proconsularis, ut hinc patet. Flor. *Togati nominis*, i. e. Romani, quæ prima Romanæ provinciæ nomen adepta es.

12. *Portusque tuos*. Galliam Narbonensem hic adloquitur, non Narbonem solum. Præcipui hodie portus in ea sunt Massiliensis, Tullonensis, et Antipolitanus. Flor.

13. *Discrimine vestis et oris*. Respicere videtur nomina Galliæ Braccatæ et Comatæ.

14. *Vario de marmore* legunt Gryph. Chytr. et Hippol. *Pario* Vinetus et Tollius. Et *Pario* præferendum videtur, ne *vario* præcedentis versus denuo recurrat. — *Templum*. Cui numini sacrum, non liquet. Ut Jovi credamus fuisse, inducere videtur comparatio ejus cum templo Capitolini Jovis, quam facit infra Noster. Flor. Non singularis numinis templum, sed plurium, præsertim Jovis et Minervæ, instar Romani Capitolii, indicari videtur. Etenim Capitolium non solum Romæ erat, sed ad exemplum ejus etiam in provinciis. Eumenius, Orat. pro Rest. Schol. c. 9, Capitolii Augustodunensis, Sidonius in carmine Sapphico, extremæ epistolæ libri IX subnexo, Tolosatium Capitolii meminit, Capuani Suet. Tib. 40, Antiocheni Livius, XLI, 20, in quibus et Minervam cultam esse, ipsa loca adducta probant.

16. *Tarquinius, Getulus item postremus, et ille*. Sic mendose habet Gryph. Emendatius quidem, sed falsa distinctione Chytr. et Hippol. *Tarquinius Catulusque: iterum postre-*

Aurea qui statuit Capitolî culmina Cæsar?
Te maris Eoi merces, et Iberica ditant
Æquora : te classes Libyci, Siculique profundi :
Et quidquid vario per flumina, per freta cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

mus et ille. Rectius Vinetus et Tollius : *Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille.* Tarquinius Priscus, quintus Romanorum rex, Capitolium inchoavit, Tarquinius Superbus absolvit. Dedicavit M. Horatius Pulvillus. Bello civili Sullæ et Marii quum deflagrasset, instaurari cœptum a Sulla, Q. Lutatius Catulus tandem absolutum dedicavit, Q. Metello, et Q. Hortensio Coss. Iterum incensum bello Vitelliano restituere orsus est Vespasianus, sed arsit rursus sub Titi mortem, refecitque magnificentissime et consecravit Domitianus Imp.

17. *Aurea qui statuit.* Sic etiam Silius Ital. III, 623, de Domitiano : « Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe ». Et reliqui ejus ævi poetæ, et Domitiani adulatores Capitolium ab eo restitutum multis laudibus celebrant, ut Martial. lib. IX, ep. 9, 7; Statius, Silv. I, 6 extr. Dicuntur vero Capitolia eminenter *aurea*, sicut et aurata et fulgentia, ob laquearia in Capitolio deaurata, et tegulas auro inductas, ut demonstrat Rycquius, de Capit. Rom. cap. 16. Et Domitianus, auctore Plutarcho in Poplicola, in solam deaurationem Capitolii tantum impendit, ut duodecim millium talentorum summam ejus sumptus æquarent. — Inde conjicere licet lectionem, quam dedimus ad Cæsii Taurini Votum Fortunæ Prænest. v. 17, posse haberi : « Auratumque Jovem » ; nam difficillime a Burmanno ipso *Arcani Jovis* ratio redditur. Cujus vide notas ad Anthol. t. I, p. 61. Ed.

21. Κατάπλους. Interpretantur *adnavigationem*. Volunt Græci esse κατάπλουν, τὴν εἰς τὸν λιμένα ἔλευσιν, id est, accessum seu reditum in portum. Hoc verbum duobus locis apud Sidonium legi, in epist. 8 libri VI, et VII, 7. Strabo autem Narbonem sic laudat, ut eum dicat esse non solum Volcarum suorum, verum etiam aliorum Gallorum portum et mercatum. Vin. Cataplus vocabulum sigillatim de classibus onerariarum navium, quæ frumentum, merces et utensilia ex aliis provinciis adportant. Notissimus inprimis est Cataplus Alexandrinus, qui quotannis veniebat Ostiam. Martial. XII, 74 : « Quum tibi Niliacus portet crystalla cataplus » ; et Vindicianus, sive Marcellius, Carm. de Medic. v. 67, « Et quidquid confert medicis Lagæa cataplus ». De eo cataplo, sive *commeatu*, ut alias dicitur, Alexandrino, pluribus egit Casaubonus ad Suet. Aug. cap. 98.

XIII. BURDIGALA.

Impia jamdudum condemno silentia, quod te,
O patria, insignem Baccho, fluviisque virisque,
Moribus, ingeniisque hominum, procerumque senatu,
Non inter primas memorem: quasi conscius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis: nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Hæmo.
Burdigala est natale solum: clementia cæli
Mitis ubi, et riguæ larga indulgentia terræ;
Ver longum, brumæque breves, juga frondea subsunt.

1. *Impia jamdudum condemno.* Jamdudum irascor mihi, meque ipsum damno, quod pietatis in patriam parum memor, laudes ejus hactenus tacui, neque eam inter primas memoravi.

2. *O patria.* Burdegala, vel Burdigala, urbs in ea Garumnæ ripa posita, quæ ad Pyrenæum spectat, Biturigum Vibiscorum caput; quos Cuborum Biturigum (hodie *Berry*) coloniam esse, ex Strabone conjicere licet, lib. IV, ubi solam Biturigum illorum, quos Ioscos vocat, gentem sit in Aquitanis peregrinam degere, neque de Aquitanarum esse corpore. Aquitaniam porro Garumna et Pyrenæis montibus definit. Flor.

4. *Quasi conscius urbis Exiguæ.* Perinde ac si, bene gnarus, exiguam urbem te esse, hinc metuam tuas laudes attingere, ut immeritas. Exiguam fuisse Burdigalam Ausonii ætate præ illa, quæ nunc est, ex ipsius antiquis mœnibus cognosci ait Vinetus.

5. *Exiguæ immeritas.* Fœde hic corrupta est ed. Gryph. atque tres versus sequentes, omisso intermedio, in unum contrahit: « Exiguæ immerito, domus est glacialis in imo ».

10. *Ver longum, brumæque breves.* Expressum ex Horatio videtur, Carm. II, 6: « Ver ubi longum tepidasque præbet Jupiter brumas »; et Rutil. I, 113, de Roma: « Vere tuo nunquam mulceri desinit annus ». — *Juga frondea subsunt.* Hic pro superiora sunt, supereminent, et se magis adtollunt, positum videtur. *Sub* namque præpositio, quæ proprie subter et infra significat, interdum contrariam habere significationem reperitur, ut in *subnixo* apud Gellium, lib. XVII, et in Gallo Virg. Ecl. X, 74: «Quantum vere novo viridis se subjicit alnus»; ubi *subjicit* exponit vetus commentator sursum jacit, et superjacit. Vin. Non adsentio Vineto, neque hic alia quam vulgaris notio in verbo *subsunt* locum habet. Antea nomi-

Fervent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum species, sic turribus altis
Ardua, ut aerias intrent fastigia nubes.
Distinctas interne vias mirere, domorum
Dispositum, et latas nomen servare plateas:
Tum respondentes directa in compita portas,
Per mediumque urbis fontani fluminis alveum.
Quem pater Oceanus refluo quum impleverit æstu,

naverat mitem clementiam cæli, ver longum, brumas breves, quibus igitur subesse dicit juga frondea. Nempe quod juga illa frondea sunt, vel perpetuo frondent, hoc inde est, quod miti cælo subsunt, et vere longo, bruma brevi, foventur.

11. *Fervent æquoreos.* Garumna, qui Burdigalam adluit, bis quotidie in modum Oceani, in quem se exonerat, refluit, sentitque maris æstum plus quinquaginta millia passuum supra Burdigalam. Vin. Plenius hoc indicat Ausonius, ep. X, v. 13: « Æquoris undosi qua multiplicata recursu Garumna pontum provocat ».

12. *Quadrua murorum species.* Non plane quadratam, ut Geometræ quadratam formam accipiunt, sed oblongam fuisse, ex reliquiis veterum murorum observavit Vinetus.

14. *Distinctas interne vias.* Hic versus in edit. Gryph. plane abest, et eumdem in antiqua Ugoletti desiderari monet Grævius: *interne* positum esse pro *internus* censet Scaliger: Grævius sibi persuadet, scripsisse Ausonium: « Distinctas mirere vias, mirere domorum Dispositum. »: sed Tollius judicat, *interne* hic adverbium, non autem vocativum adjectivi esse; adverbia vero Veteres aliquando corripuisse, idque docere Gifanium in Indice Lucretiano. Idem in Nostro correptum quoque exstare in epist. ad Theonem 21; item *amice* et *inimice* in heptasticho Thaletis. Ego vero contra Tollium censeo adverbia secundæ semper produci. Ed.

15. *Dispositum*, ordinem. Sic « dispositum mundum » Claud. in Ruf. I, 4, et Ov. Met. I, 32, « dispositam congeriem ». — *Latas nomen servare plateas.* Ita lege ex vet. lib. Nam πλατεῖα Græce. Sic ad Axium Paulum scribens conqueritur plateas nomen perdere propter volgum, ut ipse loquitur, congregem. Scal. — *Plateas* pro viis urbanis usurpabat Porphyrius, Org. v. 10. Secundam syllabam ejus vocis corripuit Horat. Epist. II, 2, 71: « Puræ sunt plateæ, nihil ut properantibus obstet ».

17. *Fontani fluminis alveum.* Fontanum flumen vocat, auctore Vineto, quod e pluribus fontibus, in Occidentali Burdigalensis agri parte, ad urbem confluit; pars per fossam, secundum muros, in Garumnam fertur; pars ipsam influit urbem, et subterraneo rivo in Garumnam exit. Hanc intelligi dicit per fontani fluminis alveum per medium urbis, in qua tum navale fuisse indicant verba sequentia: *Quem pater Oceanus*, etc. sed cujus navalis nullum nunc agnoscitur vestigium.

Adlabi totum spectabis classibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi fervere freto? quanta umbra profundi!
Quantus in amne tumor! quanto ruit agmine præceps
Margine contenti bis sena per ostia cursus,
Innumeros populi non unquam exhaustus ad usus!
Huuc cuperes, rex Mede, tuis contingere castris,
Flumina consumpto quum defecere meatu:
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas solitus portare Choaspem.

19. *Adlabi totum*. E Virgilio desumptum, Æn. X, 269: « versas ad litora puppes Respiciunt, totumque adlabi classibus æquor ».

21. *Euripi fervere freto*. Est Euripus angustum fretum, Eubœam insulam a Bœotia abscindens, rapidum mare et periculosum, quod spatio viginti quatuor horarum æquinoctialium septies cursum mutare Strabo scribit libro IX. Hinc Euripi propter similitudinem quamdam angustiarum, fervoris, exundationisque, dictæ aquæ fontium, fluviorumve, per fossas, fistulas, tubos ductæ. Cicero in principio secundi de Leg. « Ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant ». Vin. — *Quanta unda profundi*. Sic legunt antiquæ meæ, sed *umbra profundi* veterem librum habere, jam monuit Vinetus: idque sequuti sunt recentiores editores, recte: nam confirmat, qui paullo post sequitur, versus: « Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace ».

22. *Quantus in amne tumor*. Desideratur hic versus in optimo libro, quod nescio cur Vinetus indicare neglexerit. Nequaquam tamen erat omittendus. Toll.

23. *Margine contenti bis sena per ostia cursus*. *Marginis extenti*, pro *margine contenti*, et *cursu*, ablativo casu, pro *cursus*, alii legunt. *Bis sena* autem *ostia*, accipio duodecim loca, per quæ aquam fons ille emittebat. Vin. *Contenti cursus* est extenti, protenti, porrecti. Sic Avienus, Perieg. 128, habet « gurges protentior ». *Ostia* non semper sunt exeuntis fluminis in mare, sed et prodeuntis e fonte. Sic usurpavit Avienus, Or. Mar. v. 629, et aliis locis; sicut et *ora* Or. Mar. v. 288.

24. *Innumeros populi*. Hic versus desideratur in antiqua Gryph.

25. *Rex Mede*. Xerxes rex Medorum et Persarum. Juvenal. Sat. X, 177: « Suppositumque rotis solidum mare credimus, altos Defecisse amnes, epotaque flumina Medo Prandente ». — *Conjungere castris* exhibent antiquæ meæ, ipseque Vinetus: rectius reliqui *contingere*.

27. *Peregrinas ferre per urbes*, sc. cuperes, rex Mede.

28. *Portare Choaspem*. Choaspes fluvius ita dulcis est, ut Persici reges, quamdiu intra Persidis ripas fluit, solis sibi ex eo pocula vindicarent: et quum eundum foret peregre, aquas ejus secum vectitarent.

Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.
Salve, urbis genius, medico potabilis haustu,
Divona Celtarum lingua, fons addite Divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
Purior; æquoreo non plenior amne Timavus.

Soliuus, Plinius, Ælianus, Athenæus, Herodotus. Vin. Hinc Tibullo, IV, 4, 140, « regia lympha Choaspes » dicitur.

29. *Ignote ortu.* Quod subterraneo opere a capite usque in urbem ejus aqua duceretur, ut ex canalis illius effossis vestigiis coujicit Vinetus, sicque videret nemo, unde aqua illa conciperetur. Flor.

31. *Medico potabilis haustu.* De fontium mira vi et ingenio multa Plinius. Julius Frontinus de aquis urbis Romæ: « Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat, et colitur. Salubritatem enim ægris corporibus adferre creduntur ». Horatius, Epist. I, 16, 14, de fonte in fundo suo: « Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo ».

32. *Divona Celtarum lingua.* Pro *Divona* veteres libri habent *Duionam*, quod videtur magis Gallicum: non enim a Divis dicitur. Nam eo etiam nomine civitas Cadurcorum dicta fuit. Apud Ptolemæum legitur Δουίωνα. Et: *Civis in hac sum.* Scal. Sed Vinetus per Celticam linguam non antiquam illam Celtarum propriam intelligere vult, sed quam illi postea a Romanis edomiti didicerunt, et Ausonii ætate purius quam hodie loquebantur, Romanam et Latinam; atque ita *Divonam* Celtici fontis nomen derivatum esse a Diis et Divis Latino vocabulo. Mihi vero potior sententia Scaligeri videtur. Quod subjicit, *fons addite Divis*, per adlusionem quamdam et similitudinem soni fit, non, quod eo significare originem vocis *Divona* velit. Et petitum id ipsum a Virgilio est, qui Æn. VIII, 301, ad Herculem: « Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis ».

33. *Aponus.* Fons aquæ calidæ in agro Patavino, potu saluberrimus. De quo longum exstat apud Claudianum epigr. 3, in quo hæc habet cum hoc Ausonii loco mire congruentia: « Salve, Pæoniæ largitor nobilis undæ, Dardanii salve gloria magna soli. Publica morborum requies, commune medentum Auxilium, præsens numen, inempta salus ». Flor. Lucanus, VII, 193: « Aponus terris ubi fumifer exit, Atque Antenorei dispergitur unda Timavi ».—*Nemausus* vel *Nemausum* Galliæ Narbonensis urbs, hodie *Nismes.* Ubi qui vulgo fons adpellatur, sed qui lacus sit potius, quam fons, dubito an is sit; quem hic celebret Ausonius. Alium fuisse suspicor, qui ex proximis collibus in urbem ducebatur; sed qui labentibus annis evanuit. Vin.

34. *Æquoreo amne Timavus.* Fons et fluvius in mare Adriaticum exiens. *Æquorei* cognomentum explicat locus Maronis, Æn. I, 245, ad quem forte respexit Ausonius: « Et fontem superare Timavi, Unde per ora

Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, sic capite isto
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.
Hæc patria est, patrias sed Roma supervenit omnes:
Diligo Burdigalam, Romam colo: civis in hac sum,
Consul in ambabus: cunæ hic, ibi sella curulis.

novem vasto cum murmure montis It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti ».

36. *Utque caput mundi* legit antiqua Gryph. sed Vinetus e veteri codice Lugdunensi emendavit *caput numeri*, quod cæteri editores adseruerunt, et rectum esse probant sequentia, ubi caput alterum carminis nominatur, quo laudata est Burdigala. *Caput numeri* scilicet est principium numerorum, sive carminum numeris distinctorum, quibus urbes sunt enumeratæ.

37. *Ancipiti vertice*, i. e. duplici; initio et fine. Ed. — Sic intelligendum, quasi, quum primam in numero Romam constituerit, Burdigalam in infimo, caput et hæc sortita loci videatur, ut primus locus ac novissimus capita utrimque habeantur. Flor.

39. *Civis in hac sum*, *Consul in ambabus.* Grævius hæc inversa esse, et sic restituenda arbitratur: « Consul in hac sum, Civis in ambabus », propterea quod Rectores urbium provincialium nunquam sint Consules adpellati. Sed dissentit Tollius, et mihi quoque Græviana ratio non satis gravis esse videtur. Etenim pronomine *hac* Ausonius vix aliam, quam Burdigalam, designare potest, qua in urbe quum maxime moratur et scribit, quæque ei scribenti in urbium numero nunc propior est. Et in tota comparatione Burdigalæ cum Roma eum ordinem a principio servat, ut Burdigalam prius nominet, et pronomine *Hæc* designet: « Hæc patria est: Diligo Burdigalam: civis in hac sum: Cunæ hic ». Tum quæ extremo loco ponitur comparationis sententia apertius sensum horum verborum ostendit, ita ut *Cunæ hic* idem sit, quod *Civis in hac sum*; et *ibi sella curulis* respiciat τὸ *Consul in ambabus*. Civem igitur Burdigalæ nascendi sorte, ac stricte sumpto vocabulo, se dicit Ausonius; Consulatum autem Burdigalæ ubi sibi tribuit, non hoc etiam cogit intelligi, Consulem vocatum esse primum Burdigalæ magistratum; sed quia magistratus hic Consulatus Romani simulacrum erat, potiore nomine utrumque complexus est. Immo Scaliger in quadam veteris saxi, sua ætate effossi, inscriptione reperit *Consulem* municipalem dictum esse Ausonium, eumque magistratum Burdigalæ quinquennalem fuisse.

VARIORUM AUCTORUM

DE

QUIBUSDAM URBIBUS, INSULIS, REGIONIBUS,

CARMINA.

I. INCERTI IN GRÆCIÆ RUINAM.

Græcia bellorum longa concussa ruina
  Concidit, immodice viribus usa suis.
Fama manet; fortuna perit: cinis ipse jacentis
  Visitur, et tumulo est nunc quoque sacra suo.
Exigua ingentis retinet vestigia famæ;
  Et magnum, infelix! nil, nisi nomen, habet.

1. *Græcia bellorum.* Optimum hoc epigramma edidit Pithœus, lib. III, initio, et Scaliger, lib. I Catal. pag. 196. *De Trojæ ruina* inscribitur in vet. cod. Vossiano, et schedis Scaligeri, in quibus etiam *succisa* vel *successa.* Sed in margine vir illustris correxerat *succussa.* Burm. qui hoc epigramma cum sequentibus edidit initio libri III Anthol. Latinæ.

4. *Et tumulo est nunc quoque sacra suo. In tumulo* Francius. Id. Sepultam in ruinis *nunc quoque sacram* esse dicit, quia sepulcra etiam hominum sacra. Et Plinius, de Achaiæ urbibus loquens, Epist. VIII, 24, 3, has ob ipsam senectutem suam sacras esse dicit: « Reverere conditores Deos, reverere gloriam veterem, et hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra ».

6. *Et magnum, infelix! nil, nisi nomen, habet.* Expressum e Virgilio, Æn. VII, 411, de Ardea: « et nunc magnum jacet Ardea nomen »; ut recte notavit Drakenh. ad Silium, lib. I, v. 293. Burm.

II. IN ATHENAS* ET ALIAS URBES.

Quisquis Cecropias hospes cognoscis Athenas,
Quæ veteris famæ vix tibi signa dabunt :
Hasne Dei, dices, cælo petiere relicto?

* *In Athenas.* Apud Pithœum et Scaligerum ibid. *De Athenis* inscribit vetus Vossii codex, qui hic inserit illa, quæ apud Pithœum, lib. I, pag. 44, sub nomine Senecæ occurrunt, unde fortassis Senecæ hæc esse conjiciebat Heinsius. Et sic in schedis Scaligeri ex vetusto codice descriptis. Cum toto hoc probæ notæ et ætatis epigrammate si conferantur, quæ de magnarum urbium, ab ultima vetustate maxime celebrium, interitu ac ruinis habent Pausanias in Arcadicis, c. 33, et Lucianus in dialogo, quem Contemplantes inscripsit, § 23, p. 521 et 522, et quæ Servius Sulpicius in eximia consolatione ad Cic. Epist. ad Fam. lib. IV, epist. 5: tam similia hæc adparebunt, ut fere carmini huic argumentum suppeditasse videri possint. Burm.

1. *Cognoscis Athenas.* Sic ediderunt Pithœus et Scaliger : et ita A. Schottus, lib. II Nodor. Cicer. d. l. Sed *miraris* profert Scaliger in notis ad Manil. lib. I, pag. 64, ed. Boecl. sive ex conjectura, sive ex antiquo codice, licet in ejus schedis MSS *cognoscis* legatur, et in variis lectionibus editioni illius subjunctis nihil diversitatis notetur. Forte tamen hæc lectio præferenda est, ut paullo post : « Hæ sunt, quas merito quondam est mirata vetustas ». Severus (Lucilius) in Ætna, v. 584 : « Miramur Trojæ cineres et flebile victis Pergamon, etc. » *Mirari* enim eleganter dicitur cum quodam stupore intueri et prosequi. Burm. *Cognoscis* hoc loco servandum est, neque aliud significare debet, quam *cernis*, vel *spectas*; quemadmodum v. 5, *quum videris arces*. Sequitur enim : *veteris famæ vix tibi signa dabunt*, in quo nullus mirationi locus est. Pariter Lucilius, Ætn. 576 : « Nunc hic Cecropiæ variis spectantur Athenæ Carminibus ».

3. *Hasne Dei cælo petiere relicto.* Respicit fabulam antiquam, qua Dii ferebantur singulas sibi urbes Græciæ vindicare voluisse, et sigillatim Neptunum ac Minervam descendisse ad occupandas suoque nomine adpellandas Athenas. Inde contentio orta inter eos, quæ judice Jove in Deorum reliquorum concilio dirempta, et Minervæ Athenarum præsidium attributum. Vid. Apoll. lib. III, cap. 14. Cic. orat. pro Flacco, cap. 26 : « Adsunt Athenienses ... de quorum urbis possessione, propter pulchritudinem, etiam inter Deos certamen fuisse proditum est ». Ovid. Met. VI, 72 : « Pingit et antiquam terræ de nomine litem. Bis sex cælestes, medio Jove, sedibus altis Augusta gravitate sedent, etc. » Et Dii omnes Athenas amasse et coluisse dicuntur. Hinc Statius, Theb. XII, v. 500 : « Cælicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ ». Et apud Livium,

Regnaque partitis hæc fuit una Deis?
Idem Agamemnonias, dices, quum videris arces:
Heu! victrix victa vastior urbe jaces!
Hæ sunt, quas merito quondam est mirata vetustas.
Magnarum rerum magna sepulcra vides.

lib. XXXI, 30, Atheniensium legati « urbem colentes Deos, et præsidem arcis Minervam » laudant. Plura habes apud Meursium, de Fort. Att. cap. 1; et conf. quæ notata sunt ad Auson. Urb. IX, 1 supra.

4. *Regnaque partitis.* Sic Voss. cod. Scaliger in Margine schedarum MSS et ora editionis primæ Lugdonensis conjiciebat *Regia*, quod Pithœanæ editionis marginem quoque occupavit, et Heinsio probabatur. Francius tentabat *Regnaque partitis hæc dedit una Deis*, urbs nempe. Sed præfero cel. Hemsterhusii conjecturam, qua in notis ad Luciani locum superius indicatum emendabat: *Rixane*, vel *Rixaque*, *partitis hæc fuit una Deis?* ut innuat poeta mutuam Neptuni ac Minervæ litem, qua inter se contenderunt, utrius in potestate Atheniensium urbs futura esset... Sed et forsan eodem sensu ac leviore mutatione legas ex Oudendorpii conjectura *Dignane*, vel *Dignaque*, scilicet urbs. Burm. Conjecturæ a Burmanno recensitæ satis aptæ sunt, sed minime necessariæ: nec vulgata lectio *Regnaque partitis* emendationem, sed interpretationem poscit. Sententia hæc est: *Hæccine fuit* urbs, quæ Deis cætera inter se *regna partitis* una placeret, ut omnes ejus possessione gaudere vellent? Video tamen fratrem meum in notis ad Himerium, p. 154, hoc versu epigrammatis adducto, lectionem *Regia partitis* præferre, ut dictionem Himerii illustret, Athenas ἄλλο θεῶν μετ' οὐρανὸν ἐνδιαίτημα adpellantis. Sic Ausonio, Urb. I. Roma est *Divum domus*.

5. *Agamemnonias quum videris arces.* Argos intelligit et Mycenas, quas urbes conjungit, itidemque *Agamemnonias* vocat Virgil. Æn. VI, 839, et Horat. Carm. I, 7.

6. *Heu! victrix victa vastior urbe jaces.* *Hæc victrix* cod. Voss. et *jacet*. *Devictrix* Heinsius. Burm.

7. *Hæ sunt.* Ita recte cod. Voss. urbes videlicet, quomodo et emendaverat Francius: nam *Hæc* male in schedis et editionibus Scal. et Pithœi.

8. *Magnarum rerum magna sepulcra vides. Parva sepulcra* legebat Christius in excursu ad Villaticum, p. 272, eleganti oppositione. Sic in Anth. Lat. II, ep. 52: « Ne mirere sacri deformia busta Catonis, Visuntur magni parva sepulcra Jovis, etc. » Burm. Sed hæc oppositio de hominum quidem defunctorum sepulcris usurpatur, ut omnia loca a Burmanno adducta docent, non æque de urbium ruinis. Ista nempe *parva*, brevia, exigua, dicuntur, ob defunctorum corporum cineres et reliquias parvam in urnam collectas. Cæterum frequens hæc Veteribus metaphora est, qua funera, cadavera, tumuli et sepulcra urbium dicuntur, pro earum excidio et ruinis. Tetigimus nonnulla hujus generis ad Rutilii I, 413. Sed pluribus exemplis hunc morem loquendi declarat Piccartus, Peric. Crit. c. 14.

III. URBIS ROMÆ RUINA*.

Vix scio quæ fueram, vix Romæ Roma recordor,
Quæ populo, regnis, mœnibus alta fui.
Cesserunt arces, cecidere palatia Divum,
Jam servit populus, degeneravit eques.
Quæ fueram totum quondam celebrata per orbem,
Vix sinor occasus vel meminisse mei.

* *Urbis Romæ ruina.* Exstat cum sequenti epigrammate apud G. Fabricium in Antiq. monum. p. 166; Pithœum, lib. III, p. 84, et ex veteri codice chartaceo biblioth. Mediceæ descripsit Heinsius. Forte et præstat versu primo, *Vix scio, quid fuerim.* Ovidius, Trist lib. IV, 1, 99: «Quum, vice mutata, quid sim fuerimque, recordor». Idem, Trist. III, 11, 25: «Non sum ego, quod fueram, quid inanem proteris umbram?» Burm. — Duo disticha hujus epigrammatis inserta reperiri Hildeberti alteri de Roma carmini, quod «Roma reparata atque ex religione Christiana illustrior» ab Hommeyo editore inscribitur, monuit Wernsd. in Proœmio ad Rutil. huj. t. p. 67. Ed. — Ego antiquius epigramma Hildeberto, ab eoque ad fulciendum carmen suum usurpatum puto, quoniam hoc seorsum positum ediderunt Fabricius et Pithœus, et sic in veteri cod. bibl. Med. reperit Heinsius.

2. *Quæ populo, regnis. Tectis* vel *templis* legebat Heinsius. Sic apud Tacit. Hist. I, 84: «Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis?» Burm.

6. *Vix sinor. Sinit* apud Fabricium; sed male. Burm.

IV. ALIUD.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.

2. *Nec bonus immunis. Nec bonus alumnus*, et versu ultimo *Quorum consilio præcipitata jaces* legitur apud Mabillon. in Mus. Ital. t. I, pag. 59: ex quo patebit, legi supra portam Sanctæ Mariæ trans Tiberim. Burm. *Nec bonus immunis ullus erat*, h. e. nemo bonorum civium erat, qui non munere officioque singulari studium suum ad juvandam rem publicam conferret; *malus* contra vix ullus erat.

Defunctis patribus successit prava juventus,
Quorum consiliis præcipitata ruis.

3. *Defunctis patribus.* Videtur auctor in animo habuisse illud Horatii, Carm. III, 6, 46 : « Ætas parentum, pejor avis, tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem ». Burm.

V. DE MUTATA ROMÆ FORTUNA *.

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc servis heu! male Roma tuis.
Deseruere tui tanto te tempore reges;
Cessit et ad Græcos nomen honosque tuus.
Constantinopolis florens, nova Roma vocatur,

* Hoc loco et numero Burmannus carmen illud *de Urbis Romæ ruina* posuit, quod nos sub Hildeberti nomine ad calcem Rutilii dedimus. Nunc illius loco hic producimus aliud similis, sed non ejusdem argumenti, siquidem non tam ruinas Urbis ingentes et admirandas deplorat, quam mutatum in deterius statum et a pristina majestate defectionem describit. Legitur illud ad calcem tomi I operum Bedæ Venerabilis, pag. 538 edit. Basil. 1563, ubi post *Manfredi carmina de computi ratione* subjicitur *Appendix cujusdam*, qua anni ab origine mundi ad Urbem conditam, atque hinc ad nativitatem Christi numerantur, et adduntur duo carmina *de Urbe Roma*, et *de Treverensium urbe*, tamquam antiquissimis totius Europæ. Qui istius de Roma auctor sit, non proditur, neque idem an aliis locis reperiatur, curiosius inquirere nunc libuit. Sed ex Bedæ, cujus libris inseritur, ætate esse, fere suspicor, quia, quæ fata Romæ in eo carmine memorantur, sæculo Bedæ bene conveniunt. Duo alia carmina, ejusdem argumenti, recentiora, Jani Vitalis et Lazari Bonamici, proposuit Laur. Schraderus in Monumentis Italiæ, p. 120.

1. *Constructa patronis*, h. e. conferta et plena eras viris nobilissimis, qui tanta dignitate florebant, ut non modo civium multorum, sed et integrarum civitatum in Italia et provinciis patroni essent. Exemplum est apud Suetonium, Aug. 17, Antoniorum, in quorum clientela Bononienses erant: et plures aliarum gentium patronos memorant interpretes loci landati.

2. *Subdita nunc servis*, i. e. gentium peregrinarum hominibus, qui olim serviebant Romanis, nunc iis permixti etiam honores adepti sunt. Sic Rutilius, I, 216, famulis Romanorum Gothis subinde Romanos servire dicit : « Et servos famulis non sinit esse suis ».

3. *Deseruere tui tanto te tempore reges*; h. e. Cæsares, Imperatores,

Moribus et muris Roma vetusta cadis.
Transit et imperium, mansitque superbia tecum;
Cultus avaritiæ te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi, nunc tibi sunt domini.
In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuique tui rura Pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli funere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra doles.
Nam nisi te meritum Petri Paullique foveret,
Tempore jam longo Roma misella fores.

duces magni, sublato penitus imperio, nunc omnes Roma migrarunt. *Reges* etiam seriore latinitate Imperatores Romanos dictos esse, probat epigramma in Alex. Severum, quod profert Lampridius in ejus vita, cap. 38. Fortasse et Senatores Romanos intelligit, respiciens Pyrrhi regis legatorum dictum, Senatum Romanum regum consessum sibi visum esse. Florus, I, 18; Justin. XVIII, cap. 2.

7. *Transit et imperium.* Fortasse melius legas *Transiit imperium.*

8. *Cultus avaritiæ.* In codice operum Bedæ, unde descripsi, post *avaritiæ* insertum *nefas!* legitur, quod quoniam per nefas intrusum est, metro repugnante, ego merito ejeci. *Cultus avaritiæ* inepta locutio. — Melius sane hunc versum invertas, ut legatur: «Te nimium superat cultus avaritiæ». Ed.

9. *Vulgus ab extremis*, h. e. vilissimi quique homines e Barbaris et extremis gentibus, quæ per incursiones, et bella finibus imperii Romani illata, in Italiam penetrarunt, ipsamque Romam occuparunt, nunc ibi dominantur. Quod jam de Gothis a Stilichone immissis adfirmat Rutilius, II, 49: «Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat, Et captiva prius, quam caperetur, erat».

11. *Nobilium rectorum*, i. e. nobilium virorum, qui ipsi, vel quorum majores exercitus et provincias rexerunt. Sic Rutilius, lib. I, 555, «rerum rectores» vocat Romanos duces et Imperatores.

12. *Ingenuique tui.* Indigenæ et cives *rura Pelasga*, Græcas provincias, *colunt.* Quippe Constantinopoli condita plures familiæ Romanæ in eam urbem translatæ sunt, post etiam, imperio Occidentis penitus deleto, plures ex Italia in provincias, Orientis imperio subjectas, et græco sermone utentes migrarunt.

13. *Truncasti vivos.* Hæc sane ignarum veritatis auctorem produnt; nam SS. Petrum et Paullum Romæ cruciatos esse recentissima quidem et minime probata opinio est. Ed.

14. *Doles.* Fortasse *soles* scribendum. Hæc enim sæpe a librariis mutantur. Ed.

VI. INCERTI DE BRITANNIA A CLAUDIO CÆSARE SUBACTA.

Semota, et vasto disjuncta Britannia ponto,
Cunctaque inaccessis horrida litoribus:
Quam pater invictis Nereus vallaverat undis:

* Carmen hoc est plurium epigrammatum in Claudii Cæsaris victoriam Britannicam, ab incerto auctore scriptorum, ultimum, quod quia præstantius cæteris videbatur, et descriptionem aliquam Britanniæ contiebat, cæteris omissis huc retuli. Exhibent ea epigrammata octo Pithœus, lib. II epigr. pag. 60, ed. Paris. et p. 50, ed. Lugd. Scaliger, Catalect. lib. I, pag. 208; tum ex membranis antiquis Guillelm. Camdenus in Britannia, pag. 392, qui hoc epigramma cum altero, quod alii separaverant, recte conjungit, uti Scaliger fecit; denique Delrius ad Senecæ Octaviam, vs. 27, pag. 292, omnia perpetua serie connexa profert: Burmannus distincta libro II Antholog. Lat. epigr. 84 ad 91, quod nostrum est.

1. *Semota, et vasto disjuncta.* Sic recte Pithœos, Camdenus, ac Delrius exhibuerunt: nam perperam in Vossiano et schedis Scaligeri *Semoto et vasto*, licet ita in editione sua vir summus dederit. Sic supra in epigr. 90: « nostro semota exclusaque cælo ». Videtur hic versus adumbratus esse ex illo Lucretii, lib. I, 59: « Semota a nostris rebus sejunctaque longe ». Facit huc Virgilii locus, Æn. lib. VII, 225: « et si quem tellus extrema refuso Submovet Oceano ». Burman. Huc etiam pertinet, quod Virgilius similiter, Ecl. I, 67, « penitus toto divisos orbe Britannos » dicit. — Similiter Sen. in Medea, v. 232: « ...quique trans pontum quoque Semota Lynceos lumine immisso videt »; et Lucan. V, 71. Ed.

2. *Cinctaque inaccessis.* Ita editum a Pithœo, Scaligero, Camdeno, Delrio: sed ex codice Vossiano et schedis Scaligeri legendum *Cunctaque*, ut etiam conjecerat Francius, licet ipse Scaliger in schedarum margine emendaverit *Cinctaque*: ex vestigiis Vossiani libri Heinsius legebat *Undique*, quod non displicet: cæteroquin possis etiam *Totaque*, nisi id longius abeat. Burm. Scribo *Cunctaque*. Id pro *Tota* haud raro poni, nonnullis exemplis superiorum poetarum vidimus. Pariter de Corsica Seneca: « Barbara præruptis inclusa est Corsica saxis, Horrida, desertis undique vasta locis ».

3. *Invictis Nereus vallaverat. Junctis* vitiose dedit Delrius. *Velaverat* etiam male exaratum in Vossiano et Scaligeranis schedis. Silius Ital. IX, 238: « Sed qua se fluvios retro labentibus undis Eripit, et nullo cuneos munimine vallat ». Et sic apud Ovidium, Val. Flaccum, Statium, Senecam, aliosque id verbum haud uno loco occurrit. Burm.

Quam fallax æstu circuit Oceanus:
Brumalem sortita polum, qua frigida semper
Præfulget stellis Arctos inocciduis,
Conspectu devicta tuo, Germanice Cæsar,
Subdidit insueto colla premenda jugo.
Adspice, confundat populos ut pervia Tellus.

4. *Quam fallax æstu.* Fallacem et sæpe commutatum æstum Oceani ad Britanniam in trajectu suo expertus Cæsar memorat, Bell. Gall. V, cap. 8; æstus vehementius intumescentes ibidem Tacitus, Agric. cap. 10.

5. *Brumalem sortita polum. Plagam* Delrius ac Camdenus: cæteri in vulgatam conspirant. Altero in versu operarum vitio in utraque ed. Pithœi *Arctos in occiduis.* « Triones inocciduí » Claudiano, Gigant. v. 11; exprimit illud Virgilii, Georg. I, 246: « Arctos Oceani metuentes æquore tingi ». Burm.

7. *Germanice Cæsar.* Scaliger, ita ut in schedis descripserat, edidit *Germania, Cæsar.* Quæ quum hic locum habere nequeat, Delrius ejecta *Germania* substituit *Britannia*, eamque emendationem suam adstruit in comment. ad Octaviam, pag. 522, et primam syllabam, ne quis eam repugnare objiciat, communem esse contendit. Camdenus addita copula et vocibus transpositis edidit: *Conspectuque tuo devicta Britannia, Cæsar.* Sed Pithœus dudum recte edidit *Germanice Cæsar*, eamque lectionem, ut certissimam, adserit Gronovius ad eumdem Senecæ locum, Octav. v. 43. *Germanici* enim cognomen Druso post mortem, posterisque ejus, adeoque et Claudio Drusi filio, decrevisse Senatum, Claudiumque, fratre majore in familiam Juliam adoptato, Germanici cognomen mox adsumpsisse, testis est Suetonius in Claud. cap. 1 et 2. Burm.

9. Ante *confundit populos impervia Tellus.* Sed cur *impervia*, quum jam arma Romana eo penetraverant? Optime igitur Franciu emendabat *jam pervia Tellus*: quæ conjectura adjuvatur non nihil a codice Vossiano, in quo legitur, « Adspice, confundat populos ut pervia Tellus », quod vulgata longe elegantius: *confundat* etiam melius schedæ Scaligeri, licet in margine *confundit*: sic enim passim in hac locutione. Virg. Ecl. IV, 52: « Adspice, venturo lætentur ut omnia sæclo ». Et sic centies alibi. Sed nec *Tellus*, licet ea lectio ex initio ep. 84 Aoth. II defendi possit, hic probabatur Heinsio, qui tentabat *Tethys*; quod verum puto, modo *pervia* legatur. Sic supra, epigr. 89: « Oceanus jam terga dedit, nec pervius ulli, Cæsareos fasces, imperiumque tulit »: neque displicet altera ejusdem emendatio, qua pro *Tellus* substituebat *Thule*; ut figurata locutione *Thulen imperviam* vocet Britanniam, antea inaccessam et ultimo orbe remotam. Burm. Ego lectionem codicis Vossiani, auctoritate pariter et elegantia commendatam, summeque probabilem, sequor. Per *Tellurem* autem *perviam* non solum Britanniam, sed uni-

Conjunctum est, quod adhuc orbis, et orbis erat.

versam, qua imperium Romanum continetur, intelligo, quæ scilicet, Britannia disjuncta ante, nunc adjuncta imperio Rom. tota sit *pervia* facta, et populos antea discretos jam confundat. Sic *pervia terra* Romanæ virtuti dicitur Rutilio, I, 62. Et eam gentium terrarumque sub imperio Romano conjunctionem pulchre exsequitur Claud. Laud. Stil. III, 150 seqq.

10. *Quod adhuc orbis et orbis erat.* Corruptum id visum est Heinsio, qui corrigebat, *quod non orbis, et orbis erat*, vel potius, *quod et haud orbis, et orbis erat*, ut sensus sit, quod haud orbis erat, quia ultimus terræ et inaccessus putabatur angulus, tamen in orbe erat. Sed quia addit *Conjunctum est*, aliud quid ab altero diversum significari videtur. Quare minima mutatione forte legendum: « Conjunctum est quod adhuc orbis, et urbis erat », id est, id quod antea æternæ Urbis, Romæ scilicet, et orbis terrarum fuerat, ac proinde separatum ac diversum, jam in unum conjunctum est. Ita de Romani imperii magnitudine Ovidius, Fastor. II, 684: « Romanæ spatium est urbis, et orbis idem, etc. » Burm. Frustra vexantur et corriguntur hæc verba, quæ in se sana et plana sunt: *quod adhuc orbis et orbis*, i. e. orbis alius et alius erat. Nempe Britanniam, quod Oceano a reliquo orbe dirimebatur, alium orbem existimabant. Quod dudum monui et probavi ad Rutil. lib. I, v. 66.

VII. PETRONII DE DELO *.

Delos, jam stabili revincta terra,

* *De Delo.* Habetur apud Pithœum, lib. II, pag. 74, et inter Catal. Petron. et epigr. vet. edidit Binetus, pag. 6, ac Petronium auctorem esse contendit Barthius, Advers. lib. XLIX, cap. 5; vide Fragmenta Petronii, pag. 687, ed. patrui mei. Burm. qui hoc ep. dedit Anthol. Lat. lib. III, ep. 7.

1. *Delos jam stabili.* Totum hoc epigramma expressum est e Virgilii loco, cum his versibus conferendo, Æn. lib. III, 73 seqq. « Sacra mari colitur medio gratissima tellus Nereidum matri et Neptuno Ægæo: Quam pius Arcitenens, oras et litora circum Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit, Immotamque coli dedit, et contemnere ventos ». Burmannus sec. priore versu hujus loci *Delus* scripsit pro *tellus*, ex conjectura patrui sui ad Ovid. Fast. VI, v. 178; quod firmat nonnihil codex biblioth. Amstelodamensis, in quo a manu secunda *Delos* superscriptum, sive pro glossa, sive pro varia lectione. Heynius tamen V. C. merito dubitat, an non poetica ratione exquisitius sit et magis placere debeat genericum nomen *tellus*, præsertim in tali positu verborum, ut hic est. Deinde in 3 Virgil. versu *prius* pro vulgato *pius* legit Burmannus, ex

Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc et inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis Deus catenis
Hac alta Gyaro ligavit, illac

codicum veterum auctoritate, quod et Servius agnoscit, et Pierius sequitur, qui recte conjungit *Quam prius errantem*, ut in hoc epigr. v. 2, *Olim purpureo mari natabat.* Porro *revincta* manifeste sumptum est a Virgilio, qui *Myconoque revinxit.* — Lucret. V, 554, terram *cælo revinctam* dicit. Ed. — Plures alii Virgilii locum imitati sunt, ut Seneca, Agamemn. v. 368: «Tu maternam Sistere Delon, Lucina, jubes Huc atque illuc prius errantem Cyclada ventis: nunc jam stabilis Fixa terras radice tenet»; et Statius, Theb. III, 438: «Ipsa tua Mycono Gyaroque revelli, Dele, times».

2. *Olim purpureo. Purpureum mare* illustrat Cerda ad Virg. Georg. IV, 373. — *Natabat*, quia terræ motu collapsa et maxima sui parte desolata fuerat, ut Samos, Rhodos, aliæque ex Cycladibus. Lege duo epigrammata Græca Antipatri et Alphei apud Salmas. ad Tert. de Pall. pag. 150 et 151. Sed ad terræ motum, quem sub Augusto factum Tertullianus forte innuit, perperam hæc referri monet Heynius ad Virg. l. c. *natare* quidem poetis dici possunt et solent, quæ concussæ motu et fluctibus undarum obrutæ madent (vid. Drak. ad Sil. IV, 162), sed ex fabula de Delo τὸ *natare* nihil aliud, quam motum vagum et erraticum insulæ notare debet, quem Apollo stetisse et fixisse dicitur: nec quæ proprietas, aut quod fatum Deli ista fabula indicetur, satis expediri potest. Cf. Servius ad dictum loc. Virg.

3. *Et moto levis hinc et inde vento.* Sic Ovid. Metam. VI, 334: «tum, quum levis insula nabat»; et Propert. lib. IV, Eleg. 6, 28: «Quum Phœbus linquens stantem se vindice Delon, Nam tulit iratos mobilis ante Notos»: quomodo recte hunc locum emendavit Broukhusius, quum in aliis editionibus male legatur *mobilis una*, in aliis codd. *unda*. Sed *mobilis ante* vera lectio est: ut Seneca, Herc. Fur. v. 15: «Quibusque natis mobilis tellus stetit». Similiter *instabilis* et *erratica* Delos dicitur Ovidio, Met. VI, 191 et 333, et Statio, Achill. I, 388.

6. *Hac alta Gyaro. Alta* Gyaros hic dicitur, ut apud Virgilium *celsa*. Unde rejicienda Barthii emendatio, qui Advers. XLIX, cap. 5, corrigit *Hac arcta Gyaro ligavit*, respiciens ad locum Juvenalis, qui *brevem* Gyaron dicit, Sat. I, 73; *angustam* Sat. X, 170: ubi de Alexandro M. «Æstuat infelix angusto limite mundi, Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho». *Altam* dicere potuit Noster propter asperitatem loci, et scopulorum vertices. Tales enim eligi solebant insulæ, exsiliis aptæ, et Seneca, Consol. ad Helv. cap. 6, inter asperrimas insulas et deserta loca numerat *Gyaron*, cum Sciatho, Seripho, et Cosura.

Constanti Mycono dedit tenendam.

7. *Constanti*, i. e. firmis radicibus mari infixæ. *Myconæ* edidit Pith. et Binetus, sed *Mycono* castigavit uterque Burmannus, quomodo etiam in MSS Virgilii. Nam *Myconos* insulæ nomen est, non *Myconе*, ut ostendunt Heinsius ad Ovid. Her. XXI, 81, et Gronov. ad Stat. Theb. III, 438. *Humilem* Myconon dicit Ovid. Metam. VII, 463, unde adparet, perperam in quibusdam libris Virgilii verborum ordinem inverti, legique *Errantem, Mycono celsa Gyaroque revinxit*.

VIII. L. ANNÆI SENECÆ AD CORDUBAM PATRIAM *.

Corduba, solve comas, et tristes indue vultus:
Illacrymans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem,
Corduba, non alio tempore mœsta magis.
Tempore non illo, quo versis viribus orbis

* Sub Senecæ titulo tria ad Cordubam et Corsicam epigrammata habentur apud Pith. lib. I, pag. 42, ed. Paris. et p. 35 seq. ed. Lugd. et vulgatis Senecæ Philosophi editionibus vel præfiguntur, vel inter epigrammata, de exsilio suo scripta, exstant ante Consolationem ad matrem ejus Helviam, ut et in fine Senecæ Tragici ex editione Gronoviana conspiciuntur. *De se ad patriam* inscribit vetus Vossii codex, et schedæ MSS Scaligeri, qui margini *Senecæ* nomen adscripserat, quamquam nullo auctoris nomine adposito ediderit lib. I Catalect. pag. 197, sed in notis Senecæ hæc tribuenda monuit. Burm. Anthol. Lat. lib. III, ep. 11.

1. *Tristes indue vultus. Cultus* placebat Heinsio. B. — Hæ voces sæpe confusæ, ut apud Ovid. Am. III, 1, 9, El. VI, 47, et alibi passim. Hic vero nihil muto. Ed.

2. *Illacrymans cineri*. Idem Heinsius legebat *Ilacrymans*, ut frequenter amabat illam voculam reponere; de quo alibi: sed hic nihil muto: *illacrymari, adlacrymari, delacrymari* et similia verba ipse adserit in notis ad Virg. Æn. X, 628. B.

5. *Tempore non alio*. Sic cod. Voss. et schedæ Scaligeri, ejusdemque et Pithœi editio: melius tamen *non illo* tam hic, quam paullo post, Pithœus, Scriverius et Heinsius, qui etiam legebat *quo versi viribus orbis*. Burm. Recte videtur Heinsius emendare ad exemplum versus hujus Lucani, lib. I, 5: « Certatum totis concussi viribus orbis ».

Incubuit belli tota ruina tibi.
Quum geminis oppressa malis utrimque peribas;
Et tibi Pompeius, Cæsar et hostis erat.
Tempore non illo, quo ter tibi funera centum
Heu! nox una dedit, quæ tibi summa fuit.
Non, Lusitanus quateret quum mœnia latro,
Figeret et portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis

7. *Utrimque peribas.* Ab utrisque partibus adfligebaris, Pompeianis et Cæsarianis, bello Hispaniensi, quum Cæsar Cordubam oppugnabat, et Sext. Pompeius, eam præsidio tenens, multa ipse hostiliter in Cordubenses faciebat. Legendi Appianus, Bell. Civ. II, cap. 104 seq. et auctor Comment. de Bell. Hisp. cap. 11, et 33 seqq.

9. *Quo ter tibi funera centum.* Quo tempore singularis ista clades Cordubensibus evenerit, in aliis scriptoribus vix notatum reperias. Credere par est, funestam eam noctem significari, quæ expugnationem Cordubæ præcessit: de qua videri possunt scriptores laudati.

10. *Heu! nox una dedit. Vox* vitiose in cod. Voss. Forte imitatio hic est Ovid. Epist. XI, 114: « Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit »: nec dissimile illud Hypermnestræ Lynceum excitantis, Epist. XIV, 74: « Nox tibi, ni properas, ista perennis erit »; et Phyllidis, Epist. II, 59: « Quæ fuit ante illam, mallem suprema fuisset Nox mihi ». Burm.

11. *Non Lusitanus quateret quum mœnia latro.* Intelligitur Viriathus, de quo Florus, lib. II, cap. 17, 15: « Lusitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimæ: qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, et, si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum et Tagum igni ferroque populatus, etc. » Auctores alii hujus historiæ sunt Liv. Epit. 52 et 54; Cic. Offic. II, 11; Appian. Iberic. inde a cap. 62; Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 71; Eutrop. lib. IV, cap. 7.

12. *Figeret et portas lancea torta tuas. Lanceam* dicit, quia de Hispanicis hostibus sermo est, et lancea vocabulum hastæ Hispaniensis; vid. Gell. XV, 30. Innuit autem Cordubam a Viriatho oppugnatam, aut certe incursione adequitantis territam. Atque hoc eo pertinere videtur, quod Appianus, Iber. cap. 66 narrat, Viriathum Bastitanorum regionem depopulatum esse, quum interea Quintius, Romanorum dux contra eum missus, ob timiditatem et imperitiam non subveniret, sed Cordubæ inclusus in hibernis, ad quæ se medio autumno contulerat, desideret, ac tantum C. Marcium quemdam, Hispanum ex Italica urbe, identidem in hostes mitteret.

13. *Ille tuus quondam Magnus tua gloria civis.* Merito hæc suspecta videbantur Heinsio, qui tentabat *Marcus*, vel *magna et tibi gloria.* Burm. Sed quid jubet, *Magnum* hic pro

Infigar scopulo. Corduba, solve comas;
Et gratare tibi, quod te Natura supremo
Adluit Oceano: tardius ista doles.

cognomento habere? *magnus* Cordubæ *civis* vocatur Seneca, id est, illustris, excellens, et fama celebratus. Atque hinc rectius vocabulum istud cum minuscula litera scribitur, ut Gronovius fecit. *Marcus* hic locum habere nequit, quia hic pater Seneca est, non auctor epigrammatis.

14. *Infigar scopulo*, h. e. In exsilium ejectus hærebo in asperrima et scopulosa insula, quæ, ut altero epigrammate dicit, *præruptis inclusa est Corsica saxis*. Unum scopulum dicit per contemptum, quasi parvam et ignobilem insulam, qua indignus sit *magnus civis*. Phrasin *infigar scopulo* petiit a Virgilio, qui Æn. I, 45: « Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto »; ubi per *scopulum* similiter intelligitur parva et acuta insula; quippe Ajax Oilei, de quo hic sermo est, ad Gyaras petras, prope Myconum insulam, actus naufragium fecit; quod apte monuit Heynius ad h. l.

15. *Quod te Natura*, id est, hæc Universi machina, qua continetur, quidquid natura creavit. Hanc notionem Naturæ exposui ad Rutil. I, 61, et Prisc. Perieg. v. 1.

16. *Adluit Oceano*. Hoc paullo laxius et per catachresin accipiendum est; nam Corduba, Bæticæ Hispaniæ urbs, non omnino adluitur Oceano, et mari interiori aliquanto propior, quam isti, censeri potest.

IX. EJUSDEM AD CORSICAM.

Corsica, Phocæo tellus habitata colono,
Corsica, quæ Graio nomine Cyrnus eras:
Corsica Sardinia brevior, porrectior Ilva;
Corsica piscosis pervia fluminibus:
Corsica terribilis, quum primum incanduit æstas;

1. *Corsica, Phocæo*. *Phocaio* legendum putat Scaliger; *Phocaico* ex libro suo antiquissimo legendum monuit Salmas. ad Solin. p. 94, edit. Paris. *Phocæo* alii: et hæc passim confunduntur. Burm.

2. *Quæ Graio nomine*. Codex Salmasii *patrio nomine*, cui adstipulatur cod. Voss. in quo *pario nomine*. *Graio* confirmatur verbis Servii ad Virg. Ecl. V, 30: « hæc autem insula Græce Cyrne dicitur a Cyrno Herculis filio ». A Corsa muliere dictam prodidit Rutilius, I, 438.

3. *Porrectior Ilva*. Ita recte emendavit Scal. quum codex haberet *porrectior illa*. De Ilva insula satis diximus ad Rutil. It. I, 351.

5. *Corsica terribilis*. Hæc verba de æstu sideris, homines exurenta in

Sævior, ostendit quum ferus ora Canis:
Parce relegatis, hoc est, jam parce solutis.
Vivorum cineri sit tua terra levis.

Corsica, præparant acumen, quod versu ultimo sequitur: *Vivorum cineri*, etc.

7. *Parce solutis*. Sic edidit Pithœus ex veteri codice: in Vossiano tamen *sepultis*; quod ab aliis etiam præfertur, et sæpe confunditur cum *soluto*: hoc tamen in loco Vossiani codicis scripturam alterius glossema esse puto. *Solutus* enim sæpe pro mortuo et sepulto: ipse Seneca, ep. LXXI: «Nobis solvi perire est»; et vid. Ovid. Am. II, 10, 36. Frequenter autem exsules, vel solitarie viventes, quasi civiliter mortui et sepulti dici solent. Vid. Heins. ad Ovid. Ibin, v. 16, et Rutilii lib. I, 518. BURM.

8. *Sit tua terra levis*. Adludit ad formulam sollennem, qua sepultis adclamare solebant: *sit tibi terra levis*. Vid. eleg. in ob. Mæc. v. 141, et Martial. V, 34, 9. — Et adnotata huj. op. t. II, pag. 226. ED.

X. EJUSDEM DE EADEM *.

Barbara præruptis inclusa est Corsica saxis,
Horrida, desertis undique vasta locis.
Non poma autumnus, segetes non educat æstas:
Canaque Palladio munere bruma caret:
Umbrarum nullo ver est lætabile fetu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo:

1. *Barbara præruptis*. Præcedenti continuat Salmasianus et Vossii codex. Confer cum hoc epigrammate Senec. Consol. ad Helv. c. 6, ubi de Corsica: «Quid tam nudum inveniri potest, quid tam abruptum undique, quam hoc saxum? quid ad copias respicienti jejunius? quid ad homines immansuetius? quid ad ipsum loci situm horribilius? quid ad cæli naturam intemperantius? Plures tamen hic peregrini, quam cives consistunt». Quæ ultima illustrant finem hujus epigrammatis: *Hic sola hæc duo sunt, exsul et exsilium*: quo versu respici ad copiam exsulum in Corsicam relegatorum, oræ editionis Pithœanæ adscripserat Casaubonus. BURM.

3. *Non poma autumnus*. Fere consona sunt hæc Ovidii ex Pont. I, 3, 57: «Non ager hic pomum, non dulces educat uvas: Non salices ripa, robora monte virent».

4. *Palladio munere*, olivis, quæ hieme leguntur. Virg. Georg. II, 519: «Venit hiems; teritur Sicyonia bacca trapetis». Et *olivitatis* tempus medium esse initium Decembris, monet Columella, XII, 50.

5. *Umbrarum nullo*. Salmas. cod. *imbriferum*, idque ut optimum et verissimum probat Burm. Ego huic loco non congruum puto, quo ver

Non panis, non haustus aquæ, non ultimus ignis:
Hic sola hæc duo sunt, exsul et exsilium.

lætabile nominatur: et quia *umbræ* toties pro foliis et comis arborum ponuntur, ver autem ob novas frondes maxime lætabile est, hinc recte legi existimo *Umbrarum fetu*.

7. *Ultimus ignis*, ignis rogi. Sic Ovid. Am. I, 15, 41: «quum me supremus adederit ignis».—Lucan. lib. VI, 358: «Colla caputque ferens supremo tradidit igni». Ed.

8. *Hic sola hæc duo sunt.* Gronovius edidit *Hic sola, hæc dos sunt.* Acute vero *hic exsul et exsilium sunt* dicit, ubi non *aquæ haustus, non ultimus ignis*, quia, qui exsules erant, his aqua et igni dicebant interdici.

XI. LAUREÆ TULLII DE CICERONIS VILLA ACADEMIA *.

Quo tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,

* M. Tullius Laurea fuit libertus et scriba Ciceronis, quem secum habuit Proconsul in Cilicia, ad rationes provinciales tractandas, cujus meminit Epist. ad Div. V, 20; ad Att. XIII, 22; et alibi. Nomen aliquod inter poetas meruit quum propter hoc ipsum epigramma, tum propter aliud Græcum in Sapphonem, quod in Anthol. Græc. lib. III, cap. 25, εἰς ποιητὰς, n. 64, exstat. Servavit hoc elegans carmen Plin. Hist. nat. lib. XXXI, cap. 2, ex quo ediderunt Crinitus de Poet. Lat. II, cap. 36; Pithœus, lib. II, ep. p. 58; H. Stephanus in Fragm. vet. poet. p. 415; Scaliger in Catalect. lib. I, pag. 210; pluresque collectores poematum, Raderus ad Martial. XI, 49; Schottus Itinerario Italiæ, lib. III, p. 562 et 563; Ursinus in Famil. Rom. p. 16 et 17, edit. Rom. Denique Burmannus, Anthol. Lat. lib. II, ep. 156. Ut recte intelligatur hoc carmen, ipsum locum Plinii hic integrum e textu Harduini adscribamus, ubi de aquis medicatis agit: «Capiti auribusque privatim medentur; oculis vero Ciceronianæ. Digna memoratu villa est, ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu ac nemore, quam vocabat Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum (ibi compositis voluminibus ejusdem nominis), in qua et monumenta sibi instauraverat, ceu vero non in toto terrarum orbe fecisset. Hujus in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullii, qui fuit e libertis ejus, ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illa majestate ingenii». Ex hoc Plinii loco habet, quod scribit Isidorus, Orig. lib. XIII, 13: «In Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat». Ad fontem hunc etiam respicere videtur Hesychius, quum scribit: Ἀκαδημία, λοῦτρον, καὶ πόλις.

1. *Quod tua Romanæ.* Sic pleræque edd. Plinii, Pithœus, Scaliger,

Silva loco melius surgere jussa viret :
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus :

Stephanus leguut, quidam libri etiam *Quum tua*. Sed *Quo tua* legendum dudum monoit cum Douza patre Liodeobrogius, et noper Christ. Crusius in Probab. Crit. cap. 6 extr. nam refereodum est ad verbum *loco*, et respicit ad mox sobjectum *Hic*. Sic etiam profert Ursious, et Plinii emendatiores editiooes habent.

2. *Silva loco*. Pro *loco* Crusius rescribit *solo*, quod hoc magis sit poeticum, et sæpe cum altero permutetur. Sed *loco* melius convenit sequentibus, et versu 7 repetitur: *Nimirum locus ipse*. *Silvæ* meminit, quod Cicero Puteolanum suum (sic eoim vocat alias, quod Academiæ nomine insigoivit) nemore et porticu ad exemplum Academiæ Athenarum instruxerat: nam de Atheniensi ipse Cicero, de Divin. lib. I, cap. 13 : « inque Academia umbrifera, nitidoque Lycæo »; et Horat. Epist. II, 2, vs. 45 : « Atque inter silvas Academi quærere verum ». De sua Academiæ exoroatione ipse Cicero ad Atticum, lib. I, epist. 4: « Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, et ornamentum Academiæ proprium meæ, quod et Hermes commuue omoium, et Mioerva singulare est insigne ejus gymnasii. Quare velim, ut scribis, cæteris quoque rebus quam plurimis enm locum ornes ».

3. *Atque Academiæ*. Plerique vetostiores penultimam in *Academiam* produxerunt, quemadmodum e Ciceronis superiore loco adparet, quia in græco Ἀκαδήμεια diphthongus est, et Heinsius adeo ad Virgilii Æn. I, v. 201, legendum censebat hic *Academeæ*; sed posterioris ævi poetæ corripuerunt, ut Claudian. in Cons. Mall. v. 94 : « Io Latinm spretis Academia migrat Athenis ». Scilicet et Græci subiode scribunt Ἀκαδημία. — Heinsius in codice suo legebat *Hecademes*, ab Hecademo, qui Academiæ nomen dedit; nam ita semper ejus nomen, non *Academum*, scribendum esse contendit Meursius, in Exercit. Critic. part. II, c. 12, et in Critic. Arnob. lib. IV, cap. 1, et ita ab eo *Hecademia* dicta est quæ postea Academia. Hoc quoque ex Suida, Stephano, aliisque egregiis docet Menagius, ad Diog. Laert. in vita Platonis, lib. III, § 7. Putat Burmaonus utrumque apud Veteres promiscue io usu fuisse, quamquam ubi de Hecademo heroe sermo sit, ita semper scribeodum esse concedat, quum ab illo antiquitus antea *Hecademiam* sive *Ecademiam* dictam videamus, quæ deiode Academia. Cæterum quod ad Academiæ penultimam attinet, idem fieri in *Alexandria* et *Alexandrea*, *Antiochia* et *Antiochea* omnibus liquet. Ed.

4. *Cultu sub meliore*. Sic Pithœus, Scaliger, ex iisque Burmannus, dederunt. In Plinii tamen vulgatis editionibus, a Crinito, et Stephano scribitur *cultu sub potiore*, quomodo Heinsius et Scriverius suis etiam exemplaribus adscripserant : et sic habetur apud Ursinum. Ego revocaodum duxi *cultu sub potiore*. *Reparas* edidit Stephanus. — *Vetus*

Hic etiam adparent lymphæ non ante repertæ,
  Languida quæ infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
  Hoc dedit, hac fontes quum patefecit ope;
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
  Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Est is Antistius Vetus, quem Plinius nominat, cujus in possessionem villa Ciceronis, Academia, ubi Academicarum Quæstionum volumina conscripserat, post ejus proscriptionem et mortem pervenit, et quo possidente Laurea Tullius dicit ibi fontes calidos, oculis et visui salubres, erupisse. Fuit C. Antistius Vetus legatus Augusti bello Cantabrico, Consul sub eodem A. U. C. 748, et Pontifex, quem Vell. Paterculus, II, 43, virum bonum vocat, et duorum Consularium ac sacerdotum patrem. Hunc Glandorpius, Onom. Rom. p. 64, putat esse, qui Academiam tenuit. Eumdem multis laudibus ornat Ciceronique commeodat Brutus, epist. ad Brut. 11. Post Antistium Veterem Silius Italicus villam Ciceronis Academiam habuit, si verum existimavit Raderus ad Martial. XI, epigr. 49, et Cellarius, dissert. de Silio Italico, § 17. Id quidem ex versu Martialis de Silio: « Jugera facundi qui Ciceronis habet », nondum certo liquet; quando tamen Plinius, Epist. III, 7, scribit, Silium extremis annis in Campania se tenuisse, et iisdem locis plures habuisse villas, non abs re est existimare, in iis villis etiam Ciceronis Puteolanum, sive Academiam, fuisse, quæ ejusdem regionis fuit.

5. *Hic etiam adparent lymphæ.* Similiter vivus Cicero in Tusculano suo aquam gratissimam habuit, Crabram nomine, pro qua vectigal pendebat Tusculanis, ut ipse sæpius meminit, in orat. pro Balbo, cap. 20, in Agraria tertia, cap. 2, et Epist. lib. XVI, 18; et Frontinus ejus aliquoties mentionem facit. Horatius etiam fontem in fundo suo fluere ait, « infirmo capiti utilem », Epist. I, 16, 14.

6. *Languida quæ infuso.* Sic Pithœus, Stephanus et alii, qui hoc carmen recenseot, leguot cum editis Plinii exemplis. Sed Heinsius et Francius correxerunt *Languidaque infuso*, quod probat Burm.

9. *Ut, quoniam totum.* Quoniam scripta Ciceronis passim et ubique ab omnibus et assidue leguntur, ut e pertinaci legendi studio fortasse oculi corrumpi possint, hinc legentium medelæ, et ipsius Ciceronis honori hæ aquæ, oculis salubres, repertæ videntur.

10. *Sint plures.* Certe plures fontes oculis medentes memorantur a scriptoribus antiquis, ipsoque Plinio. Atque ex Solino, cap. 4, hæc repetit Priscianus, Perieg. vs. 467: « Sardiniæ post quam pelago circumflua tellus Fontibus e liquidis præbet miracula mundo, Quod sanant oculis ægros ». Vid. sup. p. 315.

XII. Q. AURELII SYMMACHI, DE BAULIS *.

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coegit,
Eruta Geryonæ de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos

* Exstat hoc carmen libro I Epist. I Symmachi, ad patrem scripta, ubi nuntiat patri, se discessisse Baulis, et Lucrinam sedem adiisse, atque interim, quos in secessu illo Baulorum de origine ejus villæ vel oppidi, et de prioribus ejus dominis versus scripserit, patri legendos mittit. Ipse scribit, versus istos ad Baulorum historiam pertinere. Edidit Pithœus, Epigr. vet. lib. II, pag. 63, vel pag. 53, edit. Lugd. inscripsitque *de Baulis et se ipso*. Post eum dedit Burm. Anthol. Lat. lib. II, epigr. 144. Sunt vero *Bauli* villa nobilis Campaniæ, ut Plinius, lib. III, cap. 5, loquitur, inter Baias atque Lucrinum lacum, sive, ut Tacitus, Ann. XIV, cap. 4, describit, « quæ promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari adluitur ». In ipso fuisse litore, præter Tacitum, adserit Silius, lib. XII, 156: « Nec non Misenum servantem Idæa sepulcro Nomina, et Herculeos videt ipso in litore Baulos ».

1. *Huc Deus Alcides.* Historiam hanc referunt Livius, I, 7; Propert. lib. IV, eleg. 9; Servius ad Virg. Æn. VI, 107, et conf. Hadr. Junium, Animadv. lib. I, c. 9.

2. *Eruta Geryonæ de lare.* Sic in Mspto Symmachi, quamvis portentose scriptum, reperit Scioppius. Idem tamen Scioppius in sua Symmachi editione, et Juretus dederunt verbis transpositis: *Eruta tergemini de lare Gerionis*, ut nomen proprium sit in fine pentametri polysyllabi: quæ verborum positio elegantior non nihil defendi posset ex Claudian. epigr. 4: « Tellus tergemino subdita Geryonæ ». Scribendum autem cum Heinsio tam hic, quam passim in aliis Veterum locis *Geryonæ*, non *Geryonis*, quia in primo casu est *Geryones*, non *Geryon*, licet eo bis utatur Seneca, et nonnulli inferiorum temporum: de quo Muncker. ad Hyg. p. 12; sed *Geryones, Geryonæ* probarunt Critici, etc. Burm.—Prisc. Perieg. 573: « post fata perempti *Geryonæ* ». Ed.

3. *Corrupta Boalia Baulos Nunenpat. Baolia* veterem cod. et ed. Ven. habere monet Juretus: sed *Boaulia Baulos* scribendum putat Burman. ut adfert etiam Lipsius ad Tacit. Ann. XIV, 4, et Dausqu. ad Sil. Ital. p. 489; vel *Baulas*, ut ex Servio patet. Ita enim ille ad Virg. Æn. VII, 662: « Postea Hercules juxta Baias caulas bubus fecit, et eas sepsit: qui locus Boaulia dictus est, hodieque Baulæ dicitur »; ubi præferenda aliorum codicum scriptura, *aulas bubus fecit, et eas sepsit:* adeo ut *Boaulia* quasi *boum aulæ*, non *caulæ*, et inde *Baulæ* fuerint dicta. Idem ad Æn. VI, 107: « Bauliæ locus Herculis, dictus quasi Boaulia, quod illic habuit animalia, quæ Geryoni detracta ex Hispania adduxerat ». Burm. Inde est, quod *Bauli Herculei* dicuntur

Nuncupat, occulto nominis indicio.
Ab Divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam,
Contra Arpinatem qui stetit eloquio.
Hic Consul clarum produxit Acyndinus ævum,
Quique dedit leges Orfitus Æneadis.
Hos inter juvenile decus, sed honore senili,

Silio, l. c. et « aula Tirynthia » Statio, Silv. II, 2, 109: « nec te cultu Tirynthia vincat Aula, Dicarcheique sinus ».

7. *Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam.* Cicero, Acad. Qu. lib. II, c. 3, « in Hortensii villa, quæ est ad Baulos ». Testatur præterea Ter. Varro, de R. R. lib. III, c. 17, et Plinius, lib. IX, c. 55: « Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit Hortensius orator, in qua murænam adeo dilexit, ut exanimatam flesse credatur ». — *Opum felix*, ut Prisc. Perieg. v. 885: « Felices opibus Nabathæi »; et Claud. in Eutr. II, 272: « Dives equi, felix pecorum ».

9. *Hic Consul clarum produxit Acyndinus ævum.* Hic est Flavius Septimius Acyndinus, Consul cum Q. Aradio Rufo Valerio Proculo A. U. C. 1093. Vide Fast. Cons. Almelov. Part. II, pag. 4, et quæ de eo habet Jac. Gothofredus in Prosopogr. Cod. Theod. in *Acyndinus*. Alius Acyndinus memoratur in Epigr. Gr. Anthol. lib. II, c. 1, pag. 186, ed. Obsop. BURM.

10. *Quique dedit leges Orfitus Æneadis.* Hoc indicat, eum Præfectum Urbis fuisse. Plura de hoc Orfito dedit Juretus ad lib. IX Symmachi, epist. 120, p. 254: idemque est Orfitus, quem ex Inscriptionibus antiquis illustrat Vales. ad Amm. Marcell. lib. XVI, 10, ubi de ejus Præfecturis Urbis agit, et operose Castalio Dec. IX, Observ. pag. 316 et 317. Scribendum autem *Orfitus*, non, ut male in aliis, *Orphitus*; vide Brencmann. in Append. Fast. Cons. Almel. p. 616 et 617; et sic in Inscript. apud Aldum, Orthogr. p. 455... Integris nominibus hic vocatur *Memmius Vitrasius Orfitus V. C. Præf. Urbis* apud Grut. pag. 284, inscr. 8, et apud Donium Class. III, ins. 67: ubi vide Gorium. Adde Jac. Gothofred. Prosopogr. Cod. Theod. in *Orphitus*, p. 71 et 72. BURM. Recte verba *Qui dedit leges Æneadis* de Præfecto Urbis explicantur. Talis est descriptio, qua se Præfectum Urb. designat Rutilius, I, 157: « regerem quum jura Quirini », quæ verba explicavi in Procem. ad Rutil. — Vid. sup. hoc t. p. 22. ED.

11. *Hos inter juvenile decus. Juvenale* edidit Pareus. *Decus*, inquit, vel decorus inter juvenes, florens adhuc juvenili ætate, *sed honore senili*, qui honorem gerit, senioribus alias concessum. Semetipsum his verbis adloquitur et describit Symmachus, quod justo indulgentius, et eum ostentatione de se factum, ipse excusat patri in fine epistolæ.

Bisseno celsus, Symmache, fasce cluis.
Si te Baulorum necdum lenta otia quærunt,
Cura habeat juvenem publica pervigilem.

12. *Bisseno celsus, Symmache, fasce cluis.* Martiali adhæret lib. VII, ep. 63 : « Postquam bisseuis ingentem fascibus annum Rexerat » (cf. Saleii Bassi Carm. ad Pis. v. 70); *cluis* vero pro emines, unde *inclytus*, quod verbum Senecæ Tragico, Marciano Capellæ, et Ausonio usitatum. Vid. Vinet. ad Auson. p. 280, ed. Toll. Heins. Advers. lib. I, cap. 5, p. 56, et cap. 12, p. 121, et lib. IV, c. 5, p. 600. Burm. — In Glossar. Leid. MS reperitur *cluior*, nobilior. Vid. Grævius ad Isid. Ed.

13. *Si te Baulorum necdum lenta otia quærunt.* Si propter ætatem nondum necesse habes lento indulgere otio, et longo Baulorum secessu frui : *lentus* fere proprium et perpetuum de otiosis, desidentibus et quiescentibus. Virg. Ecl. I, 4 : « tu, Tityre, lentus in umbra Formosam, etc. »; et in Carm. Astronomico, v. 1, apud Pithœum, p. 532 : « Tu forte in luco lentus vaga carmina gignis ». Et plura circa usum hujus vocis docebit Heins. ad Ovid. Her. XV, 169.

XIII. EJUSDEM DE LITORE LACUS LUCRINI ET BAIANI *.

Ubi corniger Lyæus
Operit superna Gauri;
Vulcanus æstuosis

* Exstat epistola 8 libri I Symmachi. In Pithœi et Scaligeri collectionibus desideratur. Burmannus obiter in uotis ad superius carmen Symmachi repetit. Præterea Heinsius emendatius dedit ad Ovid. Metam. X, 558, et ex parte ad Sil. Ital. XIV, 409. Et nos olim illustravimus in Excursu ad Mosell. Auson. (hujus op. t. I, pag. 276, Ed.) Inscripsi *de litore lacus Lucrini et Baiani*, quia de Gauro monte ibi agitur, qui ad Lucrinum situs erat, et Symmachus, ubi hos versus profert, patrem suum invitat *ad Lucrina tacita, et liquida Baiana*, additque : « Tandem, si operæ est, contendite viam, et meliora terrarum animadvertite, ubi alte turbis quiescitur, ubi fruendis feriis nullus est modus : Ubi corniger Lyæus operit, etc. »

2. *Operit superna Gauri.* Veteres libri habuerunt *Operit superna guttur.* Unde Lectius putavit *Aperit superna gutti.* Scioppii codex habuit *Aperit superna gutturi*, pro quo ex sententia Conr. Rittershusii reposuit *Aperit superne guttur.* Pareus e conjectura Jureti edidit *Operit su-*

Media incoquit cavernis:
Tenet ima pisce multo
Tethys, et vagæ sorores :
Calet unda, friget æthra :
Simul innatat choreis
Amathusias renidens

perna vite, qui alios monet velle *Operit superna Bruti*, scilic. agri. Heinsius l. c. ad Ovid. pro verissima conjectura, quam dudnm Salmasium, dicit, in jnvenilibus ad Florum notis occupasse, scribit *superna Gauri*, qui mons est in hoc ipso tractu, a vino, quod præstantissimum proferebat, multnm antiquis celebratus. Unde Stat. Silv. III, 5, 99 : « Bacchei vineta madentia Gauri » : eidem Silv. III, 1, 147 : « Icario nemorosus palmite Ganrns ». Heinsii conjecturam præterea confirmat locus Ausonii in Mosell. v. 209, ubi *Liberum gradi* ait *sulphurei per juga consita Gauri.*

4. *Media incoquit cavernis.* Codex Scioppii habuit *medium coquit cavernis*, quod edidit Pareus, Lectius *mediam.* Sed probabile est, Symmachum, ut Heinsius conjicit, scripsisse *Media incoquit;* qnia versu secundo *superna* neutro plurali dixit, et mox subjicit *ima :* et prima syllaba in *incoquit* facile adhærere præcedenti voci potuit, ut *medium* legeretur.

6. *Tethys et vagæ sorores.* Sic reposuit Heinsius, nt metro consuleret, pro *Baiæ* sorores, quod vulgatæ editiones habent. Adludit autem ad Lncrinnm lacnm pisce celeberrimum, qni ad radices Gauri.

7. *Calet unda.* Vaporibus enim snbterraneis calefiebant aquæ sinus Baiani, cujus navigia celeberrima.

8. *Innatat choreis.* Nempe choreis Nereidum sive Nympharum natantium, quæ et alias comitari Venerem, cum eaque vectari per maria dicuntur. Vid. Claudian. de Nupt. Hon. et Mar. v. 159 seqq. ubi Venus Tritone nixa vehitur per mare, Nymphis et Amoribus comitantibus. Et hic maxime *innatare* Venus dicitur propterea, quod ad lacum Lucrinum templo colebatur : nnde *Lucrina Venus* Statio, Silv. III, 1, 148.

9. *Amathusias renidens.* Juretus ex veteri codice notavit *Amathusiam*, unde ipse pessime *Amatorium renidens* fecit, contra metrum. Lectius adeo dedit *Amathusiam revertens*, quod est ἄτοπον. Sed Parena retinendum censuit *Amathusiam renidens*, quod tamen vereor, nt ita dici possit, quemadmodum *perfidum ridens Venus* apnd Horat. Carm. III, 27, et Lalage *dulce ridens* Carm. I, 22, 24. Magis omnino placet, quod Heinsins volnit, *Amathusias renidens*, nempe Venns, quæ Amathunte, Cypri urbe, colitur. Quippe apnd Virgil. Æn. X, 51, ipsa Venus : « Est Amathns, est celsa mihi Paphus atqne Cythera ». *Renidens*, i. e. nitens vultu et subridens, qnod proprium est Veneris : nam φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Homero, *Erycina ridens* Horatio, Carm. I, 2 ; et similiter Sil. VII, vs. 466 : « postrema nitenti Adfulsit vultu ridens Venus ».

Salis arbitra et vaporis,
Flos siderum, Dione.

10. *Salis arbitra et vaporis.* Sic legunt vulgatæ edd. Heinsius pro *vaporis* rescripsit *leporis*, quod Burmannus superior minus probans, e vulgatæ lectionis vestigiis *vaporis* legere maluit *saporis*, in euris secundis ad Petron. cap. 3. Sed utrique vulgatam lectinnem immerito sollicitant. *Arbitram salis et vaporis*, i. e. undæ marinæ et caloris, vocat Venerem pro ratione loci, quia ante æstuosas cavernas, Thetin et undam calentem, quasi uno loco conjunctas, memoraverat. Has dicit temperari vel misceri a Venere, quasi arbitra, ut undæ Baianæ fiant calidæ, quia his regionibus ipsa præesse credebatur.

11. *Et siderum Dione* edidit Lectius: quod minus convenit antecedentibus; rectius reliqui *Flos siderum*: nam et Veneris sidus temperatissimum perhibetur. Virg. Ecl. IX, 47: *Dionæi Cæsaris astrum*. Ed.

XIV. INCERTI DE RUINIS VILLÆ LUCULLI *.

Hic tibi surgebant celebres, Luculle, penates,
Pro quibus, heu! vasta mole ruina jacet.
Ipse tamen paries priscæ vestigia formæ
Servat, et eversum grande superbit opus.

* *De ruinis.* Edidit hoc epigramma satis elegans Barnab. Mattei, *Memorie Istoriche dell' antico Tuscolo*, pag. 70, ubi profert ex libro Msptn Inscriptionum antiquarum, anno 1400 exarato. De hac Luculli villa Tusculana vid. Vulpii Vetus Lat. Prof. lib. XIV, cap. 4, ubi p. 131 recte notat, epigramma hoc post dirutam villam Lucullianam factum, sed tamen eo tempore scriptum, quo parietes villæ Luculli adhuc servabant priscæ vestigia formæ, quam quum jam multis abhinc sæculis amiserint, satis antiquum esse, inde patere addit. Burm. qui edidit Anthol. Lat. lib. III, 6. De villis, æstuariis et hortis L. Luculli egerunt Plinius, lib. IX, cap. 54; Plutarchus, in vita Luculli; Varro, de Re Rustic. lib. III, cap. ult. qui inprimis villam laudat in Baiana regione magnifice exstructam. Putant eam fuisse ad radicem Miseni, in litore, versus Prochyten, ibique sub undis piscinarum ruinas conspici perhibent. Schottus in Itiner. Ital. p. 559, et ex eo Greenius, de rustic. et vill. vet. p. 169 seq. In ea villa Tiberium obiisse scribit Suet. Tib. cap. 73.

4. *Grande superbit opus.* Nescio an *superbire* hic bene conveniat; et præferrem *superstat*, id est, etsi eversum, magnitudinem adhuc pristinam retinet. Ed.

Omnia quæ diro confirmant dente, parabant
Exitium saxis tempora, fama negat.

5. *Omnia quæ diro.* Hoc distichon ita legendum et distinguendum arbitror : « Omnia quæ diro consumunt dente, parabant Exitium saxis tempora; fama negat »; vel potius cum Oudendorpio *confringunt dente.* Burm. — *Confirmant* enim nullum sensum recipit. Ed.

XV. SUPER MUROS ASULÆ, CASTELLI AD FLUVIUM CLESIUM *.

Asula sum muris circumdata pulchra duobus,
Asula præstanti splendida facta manu.
Desine, dux belli, de me sperare triumphum!
Frange opus hoc: hominum pectora murus erunt.

* *Super muros.* Optimum hoc epigramma produxit Reines. Class. II Inscr. 34, et ex eo Almelov. p. 20, et Burm. et Anthol. lib. III, ep. 19. *Asulam*, de qua vid. Leander Albertus *in Descript. Lomb. transpad.* Brixiani everterant A. D. 1125. Post ea tempora reparatæ muris inscripta ista. Venetis hodie parens, Asolum. Hæc Reinesius.

XVI. DE PONTE VIÆ SALARIÆ.

Quam bene curvati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas subjecti gurgitis undas,

* Hoc epigr. a Wernsd. neglectum, hujus loci dignum putavi. Edidit vero Pithœus, lib. II, p. 75; Mazochius Lips. Inscr. p. 3; Aringh. Romæ Subt. lib. IV, cap. 28. In cod. Perrotti inedito præfigitur inscriptio quæ carminis sensum et rei historiam exponit : « Imperante D. N. Piissimo ac Triumphali semper Justiniano Augusto, anno XXXVIII, Narses... post victoriam Parthicam... pontem via Salaria usque ad aquam, a nefandissimo tyranno Totila destructum..... renovavit, posuitque carmina : *Quam bene curvati*, etc. » Ed.

3. *Calcamus. Miramur* apud Mazochium, et sic edidisse Laur. Abstemium notaverat Scriverius ad epigr. de Athenis quod supra edidimus, v. 1 : « Quisquis Cecropias, hospes, miraris Athenas », pro *cognoscis*. Sed pro vulgata *Calcamus* stant equidem cæteri, et adsentitur Perrotti codex. Apud Mazochium autem in illo exemplo, quo utor, manus docti viri adscripserat *Calcamus.* Neque aliter olim lectum fuisse confirmat inscriptio apud Gruterum, pag. CXLII, 5 : « faciles ergo jam viatores ibunt, tantisque elimatis periculis, rapidas subjecti

Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites,
Et Narsin resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

gurgitis undas calcantes securitati perpetuæ gratias babebunt ». Ita in epigr. in Xerxem, apud Pithœum : « Calcatur Pontus, fluctuat altus Athos ». Claudian. in Ruf. I, 375 : « calcabitur asper Phasis equo, pontemque pati cogetur Araxes ». Ovid. Trist. III, 10, 39 : « Nec vidisse sat est ; durum calcavimus æquor; Undaque non udo sub pede summa fuit ». En.

6. *Narsin;* alii *Narsim*. *Narsen* apud Aringh. En.

7. *Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes*. Sic apud Aringh. Pith. et alios : *frangere viris* apud Camerar. *Flectere mentes* Demsterus profert : *gentes* in vet. cod. Moroni. Forte *ducere mentes*, vel *gentes*, i. e. flectere ; ut apud Horat. Art. Poet. 395, de Amphione : « et prece blanda Ducere quo vellet ». Sic in epigr. Plinii de cera, Epist. VII, 9 : « Sic hominum ingenium flecti ducique per artes Non rigidas docta mobilitate decet ». Ed.

XVII. INCERTI DE TREVERIS *.

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix

* *De Treveris*. Exstat apud Pith. in Prætermissis, p. 484, et p. 605, ed. Lugd. Et vid. Alberti Stadensis Chronicon, pag. 139, in Schilteri Script. Rer. Germ. ubi ultimo versu male et contra metrum legitur, « Profugus insignem qui nostram condidit urbem ». Cui adduntur tres versus inepti : « Treberis huic nomen dans ob factoris amorem, Quæ caput Europæ cognoscitur anteritate. Filius huic Hero patris hæc epigrammata pono ». Recte vero scribitur *Treveri* pro *Treviri*, ut passim apud Tacitum, et in inscriptionibus vetustis apud Gruter. Burm. qui hoc epigramma profert Anthol. lib. III, ep. 20. Idem legitur ad calcem tomi I Operum Bedæ post carmen de Roma, quod supra num. V protulimus, atque non modo tres versus hic a Burmanno ex Alberto Stad. recitatos addit, sed et amplius hos duo extremos, æque ineptos et obscuros : « Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras, Sidere concordi pax est non dissociati ». Nonnulla melius legit hoc exemplar, quam Alberti Stad. *Treveris* pro *Treberis :* pro barbara voce *anteritate* habet *antiquitate :* denique *Filius hujus Hero*. Cæterum commenta, quæ hic traduntur, de antiquissima Treverorum origine, sine dubio ineptissimæ nugæ et fabulæ sunt, sero demum inventæ, quæ si melior ætas credidisset, Ausonius, puto, haud dubi-

Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

tasset eadem in carmine suo *de Treveris* attingere. Speciosius fortasse fuisset, Treveros a Trojanis temporibus repetere : quippe antiqua jam fama fuit, teste Tacito in Germ., Ulyssem Asciburgium in Germania condidisse, et similia prodit Amm. Marcellinus, lib. XV, cap. 9 : « Aiunt quidam, paucos post excidium Trojæ, fugientes Græcos ubique dispersos, loca hæc (tractus Transrhenanos) occupasse, tunc vacua ». Atque hoc loco maxime nisus nuper Aug. Gottl. Prauschius in libro, quem inscripsit *Denkmäler von alten physischen und politischen Revolutionen in Deutschland, besonders in Rheingegenden*, Francof. ad Mœn. 1787, Parte I, sect. 3, adseruit *Treveros* a Trojanis ortos, Treverorum et Troum vel Trojanorum parum differre nomina, eorumque nonnullos sub Antenore ex Euganeorum terra in vicinas Helvetiæ et Galliæ regiones irrupisse; atque hinc Treverorum urbem videri decem annis post excidium Trojæ conditam.

3. *Non contenta suis.* Paria de Nino dicit epigramma vetus, in Burm. Anthol. lib. II, 3 : « viribus omnem Pæne Asiam domui terræque marique timendus ». Semiramis, conjux Nini, hic plura dicitur cupiisse, atque adeo regnum extra Asiam proferre voluisse.

4. *Expulit a patrio.* Forte *e patrio.* Hujus *Trebetæ* vel *Trebetis* nullum, credo, in antiqua historia vestigium est. Cæterum lego etiam Æneam Sylvium hoc tradere, Treveros antiquisssimam urbium Europæarum esse, a Trebeta Nini Assyriorum regis fratre conditam et nominatam anno ante J. C. 1496. — Sed vid. nota ad titulum. Ed.

XVIII. DE URBE ALBINGAUNO A CONSTANTIO COMITE INSTAURATA *.

Constantî virtus, studium, victoria, nomen,
Dum recipit Gallos, restituit Ligures,

* *De urbe Albingauno.* Ex Muratorio, t. II, Cl. X, p. 692, ins. 3, edidit Bonada in Carm. ex lapid. antiq. vol. I, Cl. III, p. 262. Recte vero *Albingaunum*, non *Albigaunum* scribi docent notæ Pintiani et Ciacconii ad Pomp. Melam, lib. II, cap. 4, § 105. Burm. *Albingaunum* urbs maritima interioris Liguriæ, ut scribit Tacitus, Hist. II, cap. 15, dicta ab Ingaunis Liguribus, ut docet Strabo, lib. IV, p. 139. Flavio Vopisco in vita Proculi dicitur plur. num. *Albingauni* : « Patria, in-

Mœnibus ipse locum dixit, duxitque recenti
Fundamenta solo, juraque parta dedit.
Cives, tecta, forum, portus, commercia, portas,
Conditor exstructis ædibus instituit.
Dumque refert orbem, me primam protulit urbem,
Nec renuit titulos limina nostra loqui.
Et rabidos contra fluctus, gentesque nefandas
Constantî murum nominis opposuit.

quit, Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis ». Constantius Comes, qui instauravit, incertum habeo, utrum fuerit Constantius Chlori filius e Theodora, an ille maritus Placidiæ, Valentiniani III pater. —Hæc urbs primu *Albium Ingaunum* vocabatur; et erat aliud Ligusticum oppidum *Albium Intemelium*. Nunc sunt *Vintimiglia* et *Albenga*. Ed.

7. *Dumque refert orbem*; h. e. dum virtute sua restituit orbem Rumanum, recepta Gallia et a Barbaris defensa.

8. *Limina nostra loqui*; h. e. permisit, ut portæ nostræ urbis titulos rerum ejus gestarum præferrent.

10. *Constantî murum nominis*. Acumen inest satis elegans, quod se ad versum 8 refert. Quum murum validum, portu bene munito, rabidis maris fluctibus opposuit, tum simul, nomine et titulis Constantii muro ei impositis, famam et terrorem sui nominis gentibus nefandis, quasi firmum et constans munimentum, opposuisse videtur. *Constantem Myconum*, i. e. stabilem et firmis radicibus nixam Petronius supra dicebat ep. VII de Delo.

DE

P. T. VARRONE ATACINO

EJUSQUE CARMINIBUS ANTIQUITUS MEMORATIS.

Carminibus geographicis hactenus propositis Varronis Atacini fragmenta adjungenda censui, quia, quod sæpius jam professus sum, plura ejus scripta, quorum tituli a Veteribus servati sunt, rem geographicam spectasse videntur. Et quamquam fragmenta ejus neque multa numero reperiuntur, neque omnia terræ aut gentis alicujus notitiam adtingunt, colligendas tamen, quotquot reperire potui, reliquias eas putavi, ut ex iis memoriam Poetæ Geographi fere intermortuam quodammodo excitarem. Præcipue quidem et certa cum fide excerpi fragmenta tantum ea potuerunt, quæ nomine Varronis Atacini ornata memorantur, et versibus concepta poetam auctorem produnt; sed mihi non est dubium, quin multo major eorum numerus, licet occultius incertiusque, a Veteribus referatur, siquidem plura loca, ad Geographiam pertinentia, quæ nudo Varronis nomine citantur, neque verba ipsa auctoris, aut versus, sed rem tantum atque sententiam referunt, haud immerito pro Atacini Varronis reliquiis haberi possunt. Multum enim offecisse ejus celebritati puto alterius Varronis, Marci, illustrius et omnigena eruditione scriptorumque multitudine celebratius nomen, ut, quum hic sæpe simpliciter Varro citaretur, idemque aliis in locis Geographiam spectantibus cum Atacino fieret, sæpius tamen

MarcusVarro, ut notior, intelligeretur, et nomen etiam Publii, discriminis nota, subinde per negligentiam librariorum omitteretur. Quippe in iis etiam locis, ubi versus citantur, qui manifesto sunt Varronis Atacini, nudum Varronis nomen adpositum reperitur, ut a Servio ad Virg. Georg. I, 375, et II, 404.

Sed recensenda jam nobis sunt, quæ a Veteribus laudantur, P. Terentii Varronis scripta, ut pleraque esse geographica ostendamus. In quibus quidem recensendis dudum præivit nobis Dav. Ruhnkenius V. C. (1), qui, quæ ad poemata hujus Varronis, eorumque fragmenta pertinent, rectius ac luculentius, quam adhuc factum erat, exposuit, quibus tandem addendi nonnulla, vel amplius declarandi locus et facultas erit.

I. Primo autem loco haud dubie nominanda est Varronis Atacini *Chorographia*, quæ ipso nomine suo geographicum opus significat, et a Victorino Grammatico, Prisciano, Isidoro et aliis laudatur. Observavi quondam ad carmen Licentii (huj. operis tom. III, pag. 416 et 420. Ed.) hoc ipsum opus ab eo *Varronis Iter* vocari, et primis ejus carminis versibus partem argumenti, quod Chorographia continebat, exponi. Unde intelligimus, Varronem in eo opere non solam regionum terræ, sed cælestium etiam, et sphæræ universæ, descriptionem dedisse, orbesque pariter siderum et planetarum, ac terrarum hunc orbem peragrasse; videturque hanc descriptionem ita instituisse, ut aliquem sive Deum, sive hominem divinitus edoctum, forte Pythagoram, induceret, mente atque animo in stellatas cæli regiones sublatum, omnes siderum orbes lustrasse, quemadmodum in Somnio Scipionis factum Cicero, cap. 4 seq. narrat. Talem enim speculatorem ostendere primo statim fragmento videtur:

Vidit et ætherio mundum torquerier axe.

(1) In Epist. Crit. II in Callim. et Apollon. Rhod. Homeri hymno in Cererem adnexa, pag. 199 seq.

Orbem terrarum autem, ejusque fines et regiones similiter peragratas, cætera fragmenta haud obscure significant. Et nisi frequens mentio terrarum, gentium, fluviorum mariumque facta in carminibus Varronis fuisset, vix videretur caussam habuisse Plinius, cur libris Historiæ Nat. III, IV, V et VI, quibus res Geographicæ tractantur, Varronem Atacinum inter auctores suos recenseret. Testem etiam hujus rei puto esse Licentium, paullo ante nominatum. Qui quum pluribus locis sui carminis populorum, fluminum et marium mentionem fere intempestive, et adfectata geographiæ scientia, ingerat, satis aperte prodit, talia ei recentem memoriam libri Geographici Varronis suggessisse, quem studiose tum se legisse in principio carminis fatetur.

II. Sed majorem propemodum notitiam gentium et terrarum dedisse Varro Atacinus videtur in magno opere, quod *libros Navales* inscripsit, quosque inprimis Vegetius, de Re milit. lib. V, cap. 11, ex eoque Joannes Saresberiensis, Policrat. lib. II, cap. 2, p. m. 44, laudat. Sunt quidem, et in his ipse J. A. Fabricius, Bibl. Lat. lib. I, cap. 7, p. 127 edit. Ern., qui eos libros M. Varroni, Romano, adscribant; sed me dudum idoneis rationibus evicisse reor in Prooem. ad Halieut. (huj. op. t. I, part. I, p. 209. Ed.) Varroni Atacino omnino vindicandos esse. Etenim, quod Vegetius et Joannes Saresb. locis citt. scribunt, Varronem in iis libris sollicitos nautas instruxisse, atque inter alia tradidisse, aves etiam et pisces signa prodere futuræ tempestatis, ejus rei vestigium in iis ipsis versibus satis manifestum adparet, quos Servius ad Virg. Georg. I, 375 e Varrone Atacino profert, quosque ipsi inter fragmenta ejus proponemus. Et Varronem poetam a Vegetio indicari, non alterum, Romanum, hoc magis inde intelligas, quod eum Vegetius jungit Virgilio, atque ambos ejusdem rei auctores citat; Servius autem l. c. adductos e Varrone versus tam similes Virgilianis uno in argumento esse ostendit, ut adfirmet Varronem et Virgilium sequutos esse Aratum. Multo luculentius de libris Nava-

libus Varronis testimonium nobis reperire videmur in elogio, quod Publio Varroni poetæ tribuit Ovidius ex Pont. lib. IV, eleg. ult. v. 21:

Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina cæruleos composuisse Deos.

Docti viri, qui ad Ovidium commentati sunt, fatentur, non alium hic poetam, quam Varronem Atacinum intelligi, quem nisi designasset Ovidius, sane mirandum magnopere esset, vatis tam nobilis et celebrati memoriam, tot inter alios ævi ejusdem poetas memoratos, prætermissam esse. Elogium vero, quod Varroni a Nasone tribuitur, tale est, ut omnino poeta intelligendus sit, qui operum suorum præcipuum universæ rei maritimæ et navali exponendæ dicaverit, ita quidem, ut in eo Deorum marinorum potius, quam Apollinis et Musarum ope usus videretur. Latius hoc patet elogium, quam ut de Argonauticis Varronis possit intelligi, quæ scio alias multum laudari. Sed qui laudant, strictius ea significant, Jasonem, vellus aureum, Argo, Colchos nominant (vide Propertii, Ovidii et Statii loca inter testimonia): hic generatim *mare velivolum* et navigatio laudatur, expeditio Argonautica nullo verbo adtingitur. Atque hujus expeditionis duces et auspices habebantur Pallas et Juno, quæ igitur videri debebant carmen poetæ, qui eam descripsisset, composuisse, non Dii cærulei. Hi universi maris sunt præsides, navigationem et cursum maritimum regere et tueri dicuntur; quippe et, *velivolum mare* ubi dicitur, universum illud, quod terræ opponitur, non singulare alicujus profectionis, significatur, ut apud Virgilium, Æn. I, 223:

.... Jupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes.

Verba igitur Nasonis, quibus poema Varronis describit, eo ducere videntur, ut *velivoli maris vatem* putemus eum, qui

cursum per universum mare instituit, simulque naturam maris, tempestatum caussas, et navigandi artem exponit; et quia harum rerum potestatem Dii marini habent, propterea ab his doctus ductusque dici potest. Tale opus quin dignum *librorum Navalium* titulo sit, nemo non videt (1). Et tam vastum hoc opus fuerit necesse est, ut plures libros, et plurium regionum mariumque descriptionem contineret. Quare mihi facile persuadeo, quem Solinus, cap. 11, citat librum Varronis *de Litoralibus*, ipsum illud opus, aut partem ejus esse. Nempe memorat Solinus, Varronem ibi adfirmasse, suis adhuc temporibus sepulcrum Jovis in Creta visitatum esse, et eodem capite, ex eodem, ut puto, Varronis libro refert, Icarum Cretem ad insulam Icaron, procurrentibus saxis inhospitam, periisse naufragio, et de exitu hominis impositum nomen loco. Hinc intelligitur, Varronem in Litoralibus, dum mare peragrat, insulas maris præcipue adtigisse, quemadmodum Avienus fecit, qui Oram maritimam descripturus, insularum etiam mentionem promittit, Or. marit. vs. 52. Sunt quidem, qui librum eum de Litoralibus non alium esse putent, quam illum *de Ora maritima*, a Servio sæpius laudatum, qui prosa scriptus fuit, et Marci Varronis fuisse censetur. Ego vero, quantum ex Servii locis intelligere licet, alium potius et diversum existimaverim, neque tam geographicum, quam physicum opus fuisse, quod rerum naturalium expositionem teneret, quæ in oris maritimis evenire et observari solent, iisque vicinæ aut conjunctæ sunt. Confer Servii locos ad Virg. Æn. I, 112; V, 19; VIII, 710. Unde librum

(1) Recentiorem aliquem poetam Latinum inveni simile opus simili titulo inscripsisse. Exstant C. Erasmi Michaelis Læti de Re nautica libri IV ad illustrissimam fortissimæ gentis Venetæ Rempublicam. Basileæ 1573, in-4. In principio profitetur opus se ordiri Latinis poetis intentatum : « Magna sequor, Latiisque nihil tentata Camenis, Nec prius Ausonio perfecta poemata versu ». Sed nimirum ille, Varronem talis operis auctorem olim exstitisse, non cognoverat.

de Æstuariis, quem Varro ipse de Ling. Lat. lib. VIII, pag. 105, edit. Dordr. 1619, a se scriptum esse perhibet, eumdem cum Ora maritima, aut ejus partem fuisse crediderim. Æstuaria enim ad oram maritimam pertinent.

III. Alius liber haud dubie geographicus, et qui pars librorum Navalium, aut Chorographiæ haberi possit, Varroni tribuitur, Europa inscriptus. Laudat eum A. Gellius, Noct. Att. lib. X, c. 7, et Festus in voc. *Tutum*. Quamquam vero et hic sunt, quæ dubiam reddere Varroni Atacino possessionem hujus libri queant, adesse tamen mihi rationes fateor, quæ pro eo militent. Dav. Ruhnkenius V. C. partem eum fuisse Chorographiæ judicat. Poeticum librum fuisse, indicare videntur verba a Festo ex Europa citata: *Tutum sub sede fuissent*, quæ sunt hemistichium versus hexametri. Quod vero maxime movet me, ut Varroni Atacino vindicem, illud est, quod in Europa mihi opus videre videor, ingenio et studiis Varronis inprimis dignum, qui quum Græcarum literarum summopere studiosus, plurium Græcorum poetarum opera imitatus sit, Apollonii Argonautica tantum non converterit latine, et Arati multa carminibus suis expresserit, plane mihi videtur Europam quoque carmine descripsisse, quam videbat singularibus Græcorum libris ante se descriptam esse. Scilicet Mnaseæ Patrensis librum exstitisse, cui titulus fuerit Εὐρώπη vel Εὐρωπιακὰ, testantur Athenæus, lib. IV, pag. 158; Ælianus, de Anim. XVII, cap. 9; Harpocration in voce Ἱππία Ἀθηνᾶ· Germanici scholiastes, p. m. 147; Fulgentius, Mythol. II, cap. 19; Suidas in Πραξιδίκη. Ejusdem Mnaseæ Periplum citat Athenæus, lib. VIII, p. 331, et librum II de Asia eodem libro, pag. 346. (Conf. Vossius, de Hist. Græc. lib. I, cap. 21, et Henr. Valesius, Emendat. lib. V, pag. 134.) Hi autem Mnaseæ libri prosa oratione scripti videntur. Poeticum opus de Europa condidit Nicander, idque Εὐρώπειαν inscriptum fuisse, ex loco a se emendato Athenæi, Deipnos. lib. VII, atque e Stephano, qui versus aliquot ex eo opere repetit in voce

λίθοις, probat Jan. Rutgersius, Var. Lect. lib. II, cap. 18, pag. 188. Plura etiam Geographica Nicandri a Veteribus laudari, ut Siciliam, Bœotica, Ætolica, Colophonia, docet G. J. Vossius, de Hist. Græc. lib. IV, cap. 14. Tam celebribus et magnis Geographiæ auctoribus Græcis, non dubium est, quin excitatus sit P. Varro ad suscipiendum simile de Europa opus, qui « annum agens XXXV, ut Hieronymus memorat, Græcas literas summo studio didicit », eo fine, opinor, ut suis in libris perscribendis Græcorum usum caperet. Et quum Plinius iis in libris, quibus orbis terræ partes et regiones percenset, inter auctores suos Varronem Atacinum quidem, non Mnaseam vel Nicandrum, nominet, quorum tamen celebratissima iis in rebus opera exstabant, credo eum Græcis istis auctoribus uti noluisse, quod eos sciret in opere Varronis contineri.

IV. Sed in quo maxime et Græcum poetam expressit, et nomen consequutus est Varro, opus est *Argonauticorum*, quod quantam veteris Geographiæ partem continere debuerit, sciunt, qui fabulam expeditionis Argonauticæ ex Apollonio Rhodio et Val. Flacco tenent. Tribuunt hoc opus Varroni Atacino quum alii poetæ, quorum verba inter Testimonia adducemus, tum Probus Grammaticus ad Virgilii Georg. I, 14, et lib. II, 126, qui libros ejus IV, ut Apollonii, testatur fuisse. Nempe celebratissimum Veteribus hoc opus Varronis est, cujus titulo et descriptione eum poetam sæpissime designare solent. Vulgo autem existimatur id totum ex Apollonio Rhodio expressum, h. e. versionem meram ejus Argonauticorum fuisse, et in testimonium vocari solet Quintilianus, qui lib. X, cap. 1, 87, ait: « Atacinus Varro in iis, per quæ nomen est adsequutus, interpres operis alieni, non spernendus ». Sed in his verbis non video solum opus Apollonii nominari: pluribus in scriptis, per quæ nomen sit adsequutus, dicitur interpres alieni operis fuisse. Igitur testari videtur Quintilianus, non solum Apollonium in Argonauticis, sed, quæ superius mea conjectura fuit,

plures poetas, Geographos præsertim, suis in carminibus sequutum esse. Neque ipsum Apollonium ita credo expressisse Varronem, ut nihil aliud, quam verteret latine: imitatus est et vertit frequenter, ut carminis ejus reliquiæ docent, sed tam libere vertit et imitatus est, ut multis in locis suo uteretur ingenio. Hoc enim dignum erat nomine poetæ, quod, credo, non tam insigne et celebre consequutus esset, siquidem in Argonauticis non alium, nisi obsequentem interpretem egisset. Et alii poetæ, qui Varronem præcipue a libris Argonauticis laudant, nullam tamen significationem versi ex Græco operis addunt, quod si pro nuda versione habuissent, non illud, opinor, inter monumenta poetarum ævi sui retulissent. Itaque imitatum fuisse Apollonium in Argonauticis dico in tantum, ut plerumque ductum ejus sequeretur, plura etiam loca, ut bonus interpres, verteret, quemadmodum cum Arato fecisse fragmentum adhuc superstes docet; sed auctoritate Quintiliani credo, alios etiam poetas Græcos eum ad alia carmina condenda adhibuisse. Dignum observatu est, Probum Grammaticum ad Virgil. Georg. I, 14, opus Varronis vocare *Corpus Argonautarum*. Quod sane ita sonat, ac si illud non sola Apollonii Argonautica, latine conversa, sed plures poetas ejusdem argumenti, aut alius navigationis auctores, complexum sit. Quo pacto fieri potuit, ut corpus hoc ab aliis *librorum Navalium* titulo adpellaretur, atque inde P. Varro elogium amplissimum, quod ei Ovidius, Pont. IV, 16, 21, tribuit, mereretur (1).

(1) Hæc tamen non ita adfirmo, ut pro ea ratione depugnare velim. Scio enim *corpus* subinde Romanis pro libro, vel volumine dici. Cicero, Epist. ad Quintum fratrem, II, 13: « Sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora), an utrosque, nescio ». Et idem ad Div. V, 12, 12: « videtur mihi modicum quoddam corpus (i. e. volumen) confici posse ». Quamquam pro opere, plures libros, eosque varios, continente facere videtur Suetonius, de Gramm. VI: « composuit variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis ».

V. Et hactenus quidem recensuimus ea poemata Varronis Atacini, quibus locum inter poetas Geographos meruit. Sed ut eum descriptum demus totum, jam reliqua, quibus inclaruit, poematum genera commemorabimus. *Satiras* eum scripsisse, sed parum feliciter, Horatius auctor est, Serm. I, 10, 46:

> Hoc erat experto frustra Varrone Atacino
> Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
> Inventore minor.

Ad ea verba hæc Acronis adnotatio est: «Varro quidem tentavit Satiram scribere, et scripsit, et ideo non edidit». Sed, judice cl. Ruhnkenio, si Varro Satiras suas suppressit, nulla Horatio de illis judicandi facultas fuit. Verius igitur est, in eruditorum manibus fuisse, ut scholiastes Cruquianus scribit, et res ipsa declarat. Cæterum Satiras has Varronis Atacini Lucilianas fuisse, quas ipse Horatius æmulatus est, non Menippeas, quas M. Varro inprimis celebravit, ex adducto Horatii loco facile intelligitur (1). Neque tamen propterea existimem, Varronianas Satiras hunc Atacinum non attigisse. Quippe mihi nonnullis indiciis deprehendisse videor, pluribus eum rebus alterius Varronis exemplum sequutum esse, et nonnulla scriptionum et materiarum genera exsequutum esse, quæ cum M. Varrone communia habeat. Hoc ipsum de Geographicis rebus statuendum est, et fortasse inter Satirarum Varronis fragmenta sunt nonnulla, quæ præsertim hexametro scripta sunt, quæ Atacino debeantur.

VI. Heroicum opus composuit P. Varro *de bello Sequanico*, cujus librum II citat Priscianus, lib. X, p. 877 Putsch. In hoc maxime Julii Cæsaris res gestas et laudes persequu-

(1) Poteram igitur in Dissertatione, quam Poetis minoribus Satiricis præmisi (huj. vero op. t. II, pag. 11. Ed.), Varronem Atacinum inter auctores Satiræ Lucilianæ referre, nisi tum eorum maxime rationem habere voluissem, qui post Horatium scripsissent.

tus esse videtur. Bellum enim Sequanicum est, quo Julius Cæsar ferocissimos Galliarum populos, Arvernos, Bituriges, Carnutas, Sequanos, duce Vercingetorige conjuratos adversus se, et ad pristinam libertatem recuperandam erectos, contractis legionibus subito adortus est, et præcipuas eorum urbes, Avaricum, Gergoviam, Alesiam, ingentibus pariter operibus et propugnantium copiis munitas expugnavit. Quod bellum describit Florus, lib. III, cap. 10, 20 seq. et ipse Cæsar, Belli Gall. libro VII.

VII. Post opera, quæ hactenus commemoravimus, erudita et gravia, Publ. Varro etiam levioribus et jucundioribus Musis se dedit. Memoratur ejus *Leucadia*, Elegiarum sive Amorum liber, qui aliorum laudem tulit, et post Argonautica scriptus est. Testis Propertius, lib. II, 25, 85:

> Hæc quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
> Varro Leucadiæ maxima fama suæ.

Et Ovidius, Trist. II, 439, eum *veneris suæ furta* eo in libro descripsisse testatur. Lusisse etiam subinde epigrammatibus, reliquum eorum exemplo est, de Licini tumulo scriptum, quod inter ejus fragmenta recitabimus. Possunt etiam nonnulla exstantia hodie, sed perperam Varroni attributa, memorari. Fragmentum Ποντικῶν, quod sub nomine C. Julii Solini vulgo editur, forte Varronis Atacini esse conjecimus (hujus op. tomo I, part. I, pag. 209. Ed.), quod nunc lectorum judicio permittimus. Fragmentum bene longum carminis astronomici *de defectu Lunæ*, quod Scaliger, Catalect. lib. II, pag. 239; Pithœus, pag. 402 ed. Paris. et pag. 532 ed. Lugd. et ex his Burmannus, Anthol. Lat. lib. V, n. 46, vel simplici titulo *Astronomica*, vel sub nomine Fulgentii ediderunt; fuerunt alii, qui Varronis Atacini esse censerent. (Vid. Vossius, de Poet. Lat. pag. 64.) Quorum quidem sententiam quum C. Barthius, Advers. XXXVII, 20, improbavit, tum recentissime P. Burmannus, in notis ad carmen illud, ex sententia P. Wesselingii et Gerardi

Meermanni demonstravit, Sisebutum, Gothorum in Hispania regem, qui sæculo VII vixit, auctorem esse. Ad Ovidii Ibin, v. 319, interpres vetus Boessianus hoc distichon de Nicocle, Sicyonis tyranno, in exsilium acto, sub nomine Varronis adfert:

> A patria fugiens Nicocles, quæ prima malorum
> Sunt duo, morte perit frigoris atque famis.

Quod Varronis nomine fortasse non indignum videri posset, nisi mala fides illius interpretis nota esset, qui plures, et pessimos quidem, versus passim nomine veterum optimorumque poetarum pronuntiare non est veritus.

De ætate et persona Publii Varronis pauca sunt, quæ dicere queamus, et fere non alia, quam quæ Hieronymus in Chronico ad annum III Olymp. CLXXIV prodidit, natum esse vico Atace in provincia Narbonensi, et postea annum ætatis XXXV agentem Græcas literas summo studio didicisse. Quæ, sicut alia ejus generis, e Suetonii libro de Poetis ducta esse, vidit Jos. Scaliger. Cognomen igitur Atacini, secundum Hieronymum, a vico Atace habuit; sed alii, in quibus ipse Scaliger, et Harduinus, in Indice auctorum, qui a Plinio adpellantur, probabilius judicant, id a fluvio Atace ducendum, quem Plinius, lib. III, sect. 5, Sequester de Flum. et alii memorant, Avienus, Or. marit. v. 588, Attagum nominat. Auctor inprimis est Porphyrion, qui ad Horat. Serm. I, 10, 46, adnotat: « Terentius Varro Narbonensis, Atacinus ab Atace fluvio dictus ». Quin ipsa Narbona, monente Harduino, colonia Atacinorum est adpellata, teste Pomponio Mela, lib. II, cap. 5: « Sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit, nunc et nomen et decus est, Martius Narbo ». Patria igitur Varronis Atacini fortasse ipse Narbo fuit, qui portum habebat nobilissimum, in quem commerciorum caussa classes ex toto orbe, et omnibus Oceani et maris interni partibus conveniebant,

ad ipsamque urbem fluvio Atace subvehebantur, ut prædicat Ausonius, Urb. carm. XII. Hac igitur natura et situ patriæ, et frequentissimis commerciis, adductus haud dubie est Varro, ut notitiam caperet partium et regionum orbis terræ, animumque ad scribenda talia carmina adpelleret, quibus et scientia navigationis traderetur, et ipse maritimas terræ partes quasi navigando obiret. Ex eadem ratione duco perscriptum ab eo bellum Sequanicum. Hoc enim ad populos pertinebat patriæ suæ vicinos, in eoque vel militaverat ipse, vel præcipuas res gestas tamquam e propinquo spectaverat. Quod autem hoc bellum, a Julio Cæsare magna cum gloria gestum, scripsit, atque idem Horatium et Ovidium, ut ex horum testimoniis patet, ætate paullum antecessit, hinc adfatim elucet, floruisse eum maxime Cæsaris et Triumvirorum tempore. Belli civilis breve aliquod monumentum reliquit in epigrammate de Licini, Catonis et Pompeii tumulo, e quo tamen, utrum Cæsarianis, an Pompeianis partibus addictus fuerit, vix colligatur. Notandum denique, quod Hieronymus in Varrone fuisse dicit, insigne Græcarum literarum studium. Hanc enim caussam fuisse arbitror, cur et argumenta aliquot librorum tractanda susciperet, a Græcis occupata, et in carminibus suis plurima Græcorum poetarum loca imitaretur. Quod vero per eam rationem pluribus in libris suis interpres magis operis alieni, ut Quintilianus scribit, quam auctor ipse fuit, hinc evenisse reor, ut, præsertim in rebus geographicis, ab aliis scriptoribus, qui Græcis uterentur, parcius testis citaretur, ab Avieno, qui in Ora marit. plures Græcos adpellat, ne nominaretur quidem. Cæterum ut memoriam Varronis Atacini, quoad fieri possit, plenam atque integram servemus, juvabit, veterum scriptorum testimonia, quotquot de eo agunt, hic congesta subjicere.

DE

P. TER. VARRONE ATACINO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. HORATIUS, Serm. I, 10, 46.

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor.

Acron ad h. l. « Varro quidem tentavit Satiram scribere, et scripsit, et ideo non edidit ».

Schol. Cruq. « Varro Atacinus et alii multi conati sunt scribere Satiras, quas non satis laudabiliter ediderant. » Item : « Varro Atacinus dictus est, ab Atace fluvio Narbonensi ».

II. PROPERTIUS, lib. II, eleg. 25, 85.

Hæc quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima fama suæ.

Maxima fama scribendum censuit Marklandus. Editi habent *maxima flamma*, alii *maxima cura*, quomodo et legit Gyraldus in Histor. poet.

Ad Varronis Argonautica Heinsius etiam hoc referebat Propertii, lib. II, eleg. 19, v. 31 : « Jam tibi Jasonia nota est Medea carina, Et modo servato sola relictà viro ».

III. OVIDIUS, Amor. I, 15, 21.

Varronem primamque ratem quæ nesciet ætas,
Aureaque Æsonio terga petita duci?

IDEM, Art. Am. III, 335.

Dictaque Varroni fulvis insignia villis
Vellera, germanæ, Phryxe, querenda tuæ.

IDEM, Trist. II, 439.

Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas,
Non potuit veneris furta tacere suæ.

IDEM, ex Pont. lib. IV, 16, 21.

Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina cæruleos composuisse Deos.

IV. VELLEIUS PATERC. lib. II, cap. 36.

Quis ignorat, floruisse hoc tempore auctores carminum, Varronem ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui forma minorem Catullum?

V. PAP. STATIUS, in Genethl. Luc. Silv. II, 7, 77.

Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui per freta duxit Argonautas.

VI. QUINTILIANUS, lib. X, cap. 1, 87.

Atacinus Varro in iis, per quæ nomen est adsequutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.

VII. FL. VEGETIUS, de Re milit. lib. V, cap. 11.

Aliquanta ab avibus, aliquanta a piscibus significantur;

quæ Virgilius in Georgicis divino pæne comprehendit ingenio, et Varro in Navalibus libris diligenter excoluit.

Varronem Atacinum hic intelligendum, monet ad eum locum Scriverius.

VIII. LICENTIUS, Carm. ad Augustinum, vs. 1 (quod a nobis editum est huj. op. t. III, p. 420. Ed.)

Arcanum Varronis Iter scrutando profundi,
Mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum, etc.

Et vers. 22 :

At mihi, qui nimium curis gravioribus angor,
Dulcia quique animæ, sed dulcia pabula quæro,
Varronis responsa latent.

De Varronis Chorographia sermonem esse, ostendimus ibi in notis.

IX. HIERONYMUS in Chronico, ad annum III Olymp. CLXXIV.

P. Terentius Varro vico Atace in provincia Narbonensi nascitur; qui postea XXXV annum agens, Græcas literas cum summo studio didicit.

X. SIDONIUS APOLLINARIS, Epistol. lib. IV, 3.

Cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius; Plinii, vel avunculus, vel Secundus, compositi in præsentiarum rusticabuntur.

Vir cl. Dav. Ruhnkenius in Epistola Critica II in Callim. et Apoll. Rhod. pag. 199, eleganti conjectura hic legendum censet : « cui Varrones, vel Atacinus, vel Reatinus »; nititurque loco Symmachi, Auctar. Epist. I : « Scis Terentium, non Comicum, sed Reatinum illum, Romanæ eruditionis parentem, etc. »

Alia loca Veterum, præsertim Grammaticorum, quibus Varronis fit mentio, occurrent inter Fragmenta Varronis mox recensenda.

XI. JOANNES SARESB. Policrat. lib. II, cap. 2, p. 44.

Sed et aves et pisces futurorum certissime produnt signa, quæ Virgilius et Lucanus divino comprehendunt ingenio; sed et Varro in libris Navalibus, dum sollicitos instruit nautas.

XII. ANG. POLITIANUS, in Nutric. pag. 538 Operum, Basil. 1553, postquam Argonautica Orphei, et Apollonium Rhodium laudavit:

Hujus in Ausonio vestigia pulvere Varro
Pone legit, linguæ haud opulens, ut barbara Narbo,
Ut quem parvus Atax Latiæ transcripserit urbi.
Atque idem imparibus proprios exponit amores
Leucadiamque suam numeris, succedere magno
Auruncæ quondam frustra conatus alumno.

Egerunt præterea de Varrone Atacino P. Crinitus, de Poet. Lat. cap. 32; Lil. Gyraldus, Hist. Poet. Dial. IV, pag. 202; Vossius, de Hist. Lat. lib. I, cap. 16, et de Poet. Lat. p. 21; J. N. Funccius, de Vir. æt. Ling. Lat. cap. 5, § 9, p. 312, et Dav. Ruhnkenius V. C. loco sæpius adlegato.

P. TER. VARRONIS ATACINI

VARIORUM CARMINUM

FRAGMENTA.

I. EX CHOROGRAPHIA*.

VIDIT et ætherio mundum torquerier axe,
Et septem æternis sonitum dare vocibus orbes,

* Hoc et duo sequentia fragmenta Scaliger in Astron. vet. poetar. fragm. pag. 162, ex eoque P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. V, ep. 48, conjuncta et connexa ediderunt, quasi unum carmen esset. Ego vero separanda et seorsum ponenda singula duxi, quia non aliter apud Veteres, unde producuntur, exstant, neque singulis ea connexio argumenti esse videtur, ut conjungi debeant. Cæterum, quia de his fragmentis non alia habeo dicere, quam quæ Burmannus jam adtulit, hujus quidem adnotata subjiciam.

1. *Vidit et ætherio.* Egregii bujus fragmenti versus quinque adfert Marius Victorinus, lib. I Artis Grammat. pag. 2503, ed. Putsch. et p. 77, ed. Commel. post Terentianum Maurum. Sed in utraque editione perperam versu quarto legitur *Lætitia stat tunc longæ gratissima Phœbi. Dextera consimiles*, etc. Edidit sub P. Terentii Varronis Atacini nomine Scaliger, lib. II Catalect. p. 244, et in Astron. vet. poet. Fragm. loc. cit. qui primos versus sic distinxit, ut exhibui, probante Ciofano ad Ovid. Metam. XV, 522; sed quarto in versu *quæ maxima Divis Lætitia stat* vitiosam procul dubio lectionem sequutus est. Recte enim Janus Rutgersius in Venus. Lect. cap. 3 corrigendum mouuit, *quæ maxima Divum Lætitia est: at tum longe gratissima Phœbi Dextera*, etc. Vid. Voss. de Art. Gr. II, cap. 6, pag. 180; et sic legit ac distinguit Hieron. Commelinus in præfat. ante Terentium, Heidelb. 1587 a se editum. Eadem hæc emendatio etiam in mentem venerat Jacobo Tollio, qui hanc notam codici suo alleverat: « Conjeceram jamdudum legendum esse *Lætitia' st:*

Nitentes aliis alios : quæ maxima Divis
Lætitia est : at tum longe gratissima Phœbi
Dextera consimiles meditatur reddere voces.

at tum, indicaveramque cl. Grævio, cui tamen probare non poteram, objicienti *stare* Latinis poetis pro *esse* sæpe usurpatum, et brevem syllabam positione produci : quæ quum vera esse non ignorarem, adeoque hæsitarem, confirmavit me Ger. Jo. Vossius, feliciter ita hunc locum jam aliis emendatum adsereus, Art. Gramm. lib. II, cap. 6, cui nunc innitor » : idem quoque Tollius, v. 6, pro *zonis accingitur orbis* conjecerat *incingitur*. Totum vero carmen explicandum opinor ex doctrina Pythagorica et Platonica, quæ statuebat animam mundi ex numeris fabricatam, et quemdam cælestium corporum esse concentum; ut operose exponit Macrob. in Somn. Scip. lib. II, cap. 1 ad 4, qui de terra quinque zonis distincta agit, cap. 5 ad 7, et de gemino Oceani ambitu, quo terra omnis circumfluitur, cap. 9, quæ optimam huic fragmento lucem adfundunt. Et de hac cælesti harmonia vide Veterum loca prolata ab Henr. Lindenbrog. ad Censorin. de Die Nat. cap. 13. Burm. Respexit ad hunc locum Varronis Licentius, Carm. ad August. v. 7 seq. ubi vid. adnot. nostr.

II. EX EADEM.

At quinque ætheriis zonis accingitur orbis;
Ac vastant imas hiemes, mediamque calores.

1. *At quinque ætheriis.* Hi versus sub Varronis nomine adferuntur (ab Isidoro Hispal. libro de Natura rerum, cap. 10) et in Scholiis ad Bedæ librum de Temporum ratione, t. II Oper. pag. 112, ed. Colon. (in Glossis ad cap. 32 Bedæ Presbyteri de Temp. rat. tom. II Operum, p. 133, ed. Colon. 1617) sed hac scripturæ diversitate : « Et quinque ætherius zonis accingitur orbis. At vastant imas hiemes, mediamque caloris : Sic terræ extremas inter, mediamque coluntur, Quam Solis valido nunquam ut auferat igne ». Producuntur etiam in Salemonis, Episcopi Constantiensis, Glossario antiquissimo in *Zona*, ipso fine : sed ubi *A quinque* et *ima hiemis : sic terre ;* et versu quarto *Quam solis valido nunquam adserat ignes* vitiose legitur : ibidemque paullo ante hi versus exstant : « Quinque tenent cælum zonæ, quarum una corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igne » ; ut adfert ipse Beda, cap. 32, sub poetæ veteris nomine, sed nullo auctoris indicio ; veteris certe poetæ sunt, nam leguntur apud Virgilium, Georg. lib. I, 233 ; et sic in illo Glossario emendandum esse probat Firmici locus, Astrolog. lib. I, cap. 4, de zonis, ubi iis-

Sic terræ extremas inter, mediamque coluntur,
Qua Solis calido nunquam rota ferveat igne.

dem fere verbis, ex Marone desumptis, « Harum zonarum quæ media est, coruscei Solis incensa luminibus, et sempiterni ardoris adustione torrida, ignito colore perpetui ruboris inficitur »; quinta nempe zonarum cæteris est ardentior. Ovid. Metam. I, 45: « Utque duæ dextra cælum, totidemque sinistra Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis ». Burm. Apud Isidorum, de Nat. Rer. cap. 10, hæc diversitas lectionis reperitur: Primo versu *At quinque ætherius*; tertio *mediaque coluntur*, vitiose; quarto *Quam solis valido nunquam vis auxerat igne*. Plures differentias Jo. Grialus recenset in not. ad hoc caput, p. 591 Operum.

3. *Extremas inter*, sc. partes. Ed.

III. EX EADEM.

Ergo inter Solis stationem, ac sidera septem
Exporrecta jacet Tellus: huic extima fluctu

1. *Ergo inter*. Hunc versum cum tribus sequentibus ex Prisciano, tamquam ex M.Ter.Varronis Orthographia, edidit H. Stephanus inter Fragmenta Poet. vet. p. 333, et merito quidem suspectum habet titulum *Orthographia*; sed cujus loco restituendum esse *Chorographia*, versus ipsi ultro eum potuissent admonere. (Recte expressit Putschius in Priscian. lib. III, p. 609. Eumdem errorem *chorographiæ* in *orthographiam* mutatæ errasse librarium in subscriptione Excerptorum Chorographiæ Julii Honorii, notat Wernsd. t.V, p. 668. Ed.) Ultimum versum *Clauditur Oceano*, etc. ex Sosipatro Charisio, pag. 45 et 111 Putsch. eodemque Prisciano, libro VII, p. 759, collocavit Stephanus inter Fragmenta Varronis Atacini, pag. 366. Illum adferunt veteres isti Grammatici, ut observent *mare* pro *mari* positum, more antiquo: utinam et præcedentem servassent, qui forte, quoniam ultimo versu Africa indicari videtur, si conjecturæ liberiori locus sit, sic posset suppleri: « Huic extima fluctu Oceani, interior Neptuno cingitur ora: Quippe Asia hinc, illinc Europa; sed Africa tellus Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo »; ut Asiam Europamque Oceano cingi innuat, quomodo Avienus, Descript. Orb. v. 220: « Pontus enim nostræ sinus est amplissimus undæ, Hic Asiæ ab læva præcingitur, Europamque Excipit ». Africam vero claudi seu terminari dicit Oceano, ab occasu nempe, Libyco mari a septemtrione, Nilo flumine ab oriente. Vide Pomponium Melam, lib. I, cap. 2 et seqq. Prisciani Perieg. v. 8, 14 et seqq. et Stobæi Eclog. Phys. lib. I, p. 73, ed. Canter. Henrico igitur Stephano si Marii Victorini locus tunc in promptu

Oceani, interior Neptuno cingitur ora.
Qu. . . . . Europa . . . .
Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

fuisset, duas fragmenti hujus partes non separatis exhibuisset lucis. Burm. Locus Avieni supra a Burmanno adductus plane huc non pertinet, nec de Oceano, sed de Pontu Euxino agit. Meliore jure huc adducere poterat Descr. Orb. vs. 18 cum seqq. aut vers. 267 seq. ubi videantur Schraderi notæ. Cæterum in versu tertio hujus fragmenti notes discrimen in usu nominis *Oceani* et *Neptuni*: nam Neptuno significant poetæ mare internum, sive mediterraneum.

IV. EJUSDEM EX EADEM.

SITUS VENTORUM.

Omnivomo Oceano Hyperion fulgurat Euro.
Arctæo plaustro Boreas bacchatur ab Æno.

* Protulit Scaliger, Catalect. vet. poet. lib. II, pag. 245, et in Astronom. vet. poet. fragm. p. 162; P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. V, ep. 49. Nemo autem, unde petitum hoc fragmentum sit, indicavit. Varronem de situ ventorum egisse, refert Seneca, Natur. Quæst. lib. V, cap. 16: «Quidam, inquit, ventos duodecim faciunt. Quatuor enim cæli partes in ternas dividunt, et singulis ventis binos suffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat: nec sine caussa. Non enim eodem semper loco sol oritur, aut occidit, etc.» Hoc ordine, quo a Varrone factum esse dicitur, ventos collocat et describit carmen de duodecim ventis, supra pag. 493. Ed. ut, si non ab ipso Varrone, Atacino vel Rumano, certe ad hujus doctrinam compositum esse videatur. W.

1. *Omnivomo Oceano*. Hoc fragmentum obscurissimum et sine dubio corruptum, ex eadem Varronis Chorographia a Scaligero ibidem adjicitur. An primo forte versu legendum *Omnivago Oceano?* secundo *Arctoo plaustro*, et tertio *Hesperio Zephyron* (um) *sed Orion volvit ab astro, Furvo acrique Noto*, etc. vel *Udo acrique Noto*: nam id perpetuum Noti epitheton. Vid. Bentleius ad Horat. Carm. IV, 5, 9. Præterea pro *bacchatur ab Æno* scribendum est *Boreas bacchatur ab Hæmo*: in Hæmo enim Thraciæ monte præcipue Boream regnare fingunt poetæ. Valer. Flacc. lib. II, 515: «Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hæmi Tollitur, et volucres Riphæa per ardua nubes Præcipitat, piceo necdum tenet omnia cælo»; ut legendum vere conjecit patruus meus, pro *Hebri*. Statius, Theb. VII, 42,

Hesperio Zephyro sed Orion volvitur Istro.
Fulvo, acrique Noto vaga Cynthia proruit Afro.

ubi Martis domum describit: « Thraecom Cyllenius arva subibat, Atque illum Arctoae labentem cardine portae Agmioa nimborum, primique Aquilonis hiatus Io diversa feront ...... ubi mille furoribus illi Ciogitur adverso domus immansueta sub Haemo ». Germanicus Arateis, v. 242: « Threiciom Boream petit alter, et sodit Stridentes auras, niveus quas procreat Haemus »: sic lege, non *niveas*; et hinc Boreae sedes Thraciae passim adsignatur: de qoo Barth. Advers. lib. VI, c. 9. Buam. Secuodo in versu hojus fragmenti fortasse lectom est et legeodum *Actaeo plaustro*, idque se anctoritate qoadam Veterum tuetur. Nam Bootem nonnullis veterum Astrologorum esse Icarium Atheniensem, mouet N. Heinsius, Advers. lib. I, c. 12, p. 122. Itaque in Senecae Medea, v. 315, *Attica plaustra* legit pro *Arctica*, simolque advocat Val. Flaccum, qui lib. II, 68, « et Actaeus oiteat qua luce Bootes ». Conf. not. Schrad. ad Avieui Descr. Orb. v. 697.

V. EX EADEM, UT VIDETUR, CHOROGRAPHIA.

DE ARUNDINE INDICA.

Indica non magna minus arbore crescit arundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,

1. *Indica non magna*. Non vitiosa modo, sed et diversa scriptura hujos fragmenti est in exemplo Originum Isidori, qood est in Operibus ejus per Jacobum *du Breul* editis, et in eo, quod dedit Dioo. Gothofredus, inter Auct. Ling. Lat. Primo versu legnnt ambo *Indica non magnum in arbore crescit arundo*; secundo *Illius et lentis*; tertio *du Breul* in Oper. *Dulcia qui nequeant succo concedere mella*, et Gothofr. in Auct. L. L. *Dulcia cui nequeunt succo concedere mellis* ». Salmasios in Exercit. Plin. pag. 716, et Is. Vossius in Observ. ad Pomp. Melam, pag. 270, primum versum sic citant ex Isidoro: *Indica non magna nimis arbore crescit arundo*. Pro eo tameo mavult Salmasius *Indica nam magna nimis arbore*, quod reprehendit Vossius, et scribendum putat *non magna minus*. In tertio vero utrique legunt: *Dulcia cui nequeant succo contendere mella*, plane diverse ab editis, qui verbum *concedere* habent. Quisquis ille fuerit, qui primus volgatam lectionem mutavit, et *contendere* reposuit, videtur ille verbum *concedere* contrarium habuisse sensui et scopo auctoris, qui omnino voluit, arundinis Indicae succum pari aut majore adeo dulcedine esse, quam mellis. Sed idem sensus emergat, si retento verbo *concedere*, et ductu

Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Isidorus, Hispal. Originum lib. XVII, cap. 7: « In Indicis stagnis nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum suavissimum succum bibunt. Unde et Varro ait: *Indica non magna*, etc. »

editionum duarum, quæ *qui nequeant*, et *mellis* habent, versus sic constituatur: *Dulci qui nequeat succo concedere mellis*. Cæterum fragmentum hoc ita repræsentavi, uti id emendatum voluit Vossius. Ac ne quis parum verisimile existimet, arundinis Indicæ mentionem a Varrone in Chorographia factam esse, Dionysius etiam in Periegesi, vs. 1127, ex eoque Priscianus, vs. 1026, de Indiæ fecunditate et opibus loquens, ejus meminit, item calami aromatici in Arabia, v. 937. Unde credibile est, neque Græcos illos, quos usurpavit Varro, eam arundinem in descriptione. Indiæ neglexisse. Conf. quæ notavimus ad Prisc. Perieg. v. 1026. — Et Schrad. ad Avien. Descr. Orb. v. 1330. ED.

VI. Valerius Probus, Grammaticus, ad Virg. Georg. II, 126: « Pars Parthorum Media est adpellata a Medo filio Medeæ et Ægæi, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit ».

* Etsi hoc loco non verba, nec versus poetæ a Grammatico adducuntur, res tamen et sententia exponitur, quam Varro in Chorographia attigit, ubi de Parthia et Media egit. In Chorographia, inquam, hæc Varronem tradidisse existimo, etsi a Probo ut auctor Argonautarum citatur. Nam res ipsa sic comparata est, ut vix in alio quam Geographico opere locum habuisse videatur, quippe etiam Dionysius, Perieg. v. 1020 seq. et ex eo Avienus, vs. 1217 seqq. hanc de Medorum ortu a Medea opinionem protulit, et Probus, ubi Varronem auctorem Argonauticorum adpellat, non librum, ubi ista dixerit, indicat, sed auctorem tantum a præcipuo suo opere describit, ut ab altero Varrone distinguat. Sæpius hoc fit a priscis scriptoribus, ut Varronem Argonauticorum auctorem laudent, licet re ipsa de alio ejus libro loquantur. Sic Ovidius, Trist. II, v. 439: « Is quoque Phasiacas Argo qui duxit in undas, Non potuit Veneris furta tacere suæ ». Sane liber Varronis, in quo Veneris suæ furta descripsisse dicitur, non fuit is, qui hoc loco significatur, de Argonautis, sed alius, quem Leucadiam inscripsit. Doctiss. Ruhnkenius, qui Apollonii Argonautica diligenter excussit, in Diss. Crit. II, p. 201 fatetur, tale quid de Mediæ numine Apollonium nec dixisse, nec per operis sui rationem dicere potuisse, ideoque id a Varrone additum existimari debere. Ego vero libentius existimem, in alio libro Varronis, non in Argonauticis, hoc dictum esse.

VII. Feta feris Libye.

Philargyrius ad Virg. Georg. III, 175 : « Antiqui *fetum* pro *gravido* solent ponere, ut Varro Atacinus : *Feta feris Libyæ* »; et ipse Virg. « Scandit fatalis machina muros, Feta armis ». Eadem profert Servius ad eum locum Virgilii.

1. *Libye* legendum esse, non *Libyæ*, monet Burmannus ad Ovid. Pont. IV, 16, 21, et J. Rutgersius, Var. Lect. VI, 15, p. 595. Expressum hoc hemistichium cl. Ruhnkenius, Epist. Crit. p. 226, observat ex Apollonii lib. IV, vs. 1562, ubi Λιβύη θηροτρόφος vocatur. Sed quamvis dictionem eam non negem Varronem ab Apollonio, cui multum adsueverat, mutuatum esse, credo tamen ejus usurpandæ locum potissimum in Chorographia et descriptione Africæ fuisse.

VIII. EX LIBRIS NAVALIBUS, UT VIDETUR *.

Tum liceat pelagi volucres tardæque paludis
Cernere inexpleto studio certare lavandi,
Et velut insolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et bos suspiciens cælum, mirabile visu,
Naribus aerium patulis decerpsit odorem:
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Servius ad verba Virgilii, Georg. I, 375 seqq. « *Aut bucula cælum Suspiciens patulis*, etc. Hic locus omnis de Varrone

* Recitat hoc fragmentum H. Stephanus in Fragm. veter. poet. pag. 362, et Maittarius in Oper. et Fragm. vet. poet. Lat. vol. II, pag. 1525. Vegetium eo loco, quem inter testimonia produximus, et ex eo Joannem Saresberiensem, hoc fragmentum vere respicere, supra jam observavi in præfatione. Alias etiam antiqui scriptores Varronem, memorant, signa et præsagia futura tempestatis ex solis, lunæ, aeris facie et colore docuisse, ut Plinius, lib. XVIII, c. 35; Scholiastes Germanici, qui item Virgilium citat, pag. 143, inter Astronom. veterum scripta, et Isidorus, de Nat. Rer. c. 38. Quibus in locis si verbis ibi recitatis non ipsa oratio Varronis, sed sensus et sententia refertur, poterunt ea loca de Varrone Atacino accipi, qui de cætero multas Varronis Romani doctrinas scriptis suis poeticis expressisse videtur.

est ; ille enim : *Tum liceat pelagi volucres*, etc. Eodem modo Aratus : Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες, κ. τ. λ. Nam et Varro et Virgilius Aratum sequuti sunt ».

IX. EX IISDEM FORTASSE.

Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem*.

Virgilius eo versu utitur, Georg. lib. II, 404, ad quem Servius adnotat : « Varronis hic versus est ».

* Ruhnkenius V. C. hunc versum cum Apollonii II, 1102 confert, neque tamen eum verbis Apollonii satis respondere putat, adeoque suspicatur, non ex Argonauticis, sed ex alio Varronis carmine sumptum esse. Mihi videtur ex libris Navalibus Varronis sumptus, atque hiemis descriptioni insertus, eo fortasse loco, ubi navigaturos instruens, tempora definivit, quibus mare clausum esset.

X. Ad libros Navales, vel partem Chorographiæ refero, quamvis dubitanter, locos sequentes.

Solinus, Polyhist. cap. 11 : « Varro in opere, quod de Litoralibus est, etiam suis temporibus adfirmat sepulcrum Jovis ibi (in Creta) visitatum ».

Idem, ibidem : « De Sporadibus est Icaros... Hæc inter Samum et Myconum procurrentibus saxis inhospita, ac nullis finibus portuosa, ob inhumana litorum infamis est. Vult ergo Varro Icarum Cretensem ibi naufragio interiisse, et de exitu hominis impositum nomen loco ».

XI. EX EUROPA*.

Aul. Gellius, Noct. Att. lib. X, cap. 7 : « Varro autem quum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tri-

* Dacerius ad Festi locum adnotat, Varronis Europæ solum Festum meminisse. In quo eum falsum esse locus Gellii docet. Sed verba Gellii ita sonant, ac si Europa Varronis prosa oratione scripta fuisset : nam

bus primis ejus terræ fluminibus Rhodanum esse ponit, per quod videtur eum facere Histro æmulum ».

S. Pomp. Festus : « Tutum frequenter dicitur maxime. Varro in Europa : *Tutum sub sede fuissent* ».

de poeta vix dici solet, *quum dissereret de parte orbis*, etc. Et tamen vix aliter Probus Grammaticus in fragmento supra adlato, num. VI, de Varrone poeta : « ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit ». Nempe uterque sic loqui poterat, qui sententiam et rem tantum, non verba poetæ referre volebat.

XII. EX ARGONAUTICIS.

Quos magno Anchiale partus adducta dolore,
Et geminis capiens tellurem Œaxida palmis,
Edidit in Dicta*.

Servius ad verba Virgilii, Ecl. I, 66, « *et rapidum Cretæ veniemus Oaxen*. Oaxen, Philisthenes ait, Apollinis et Anchiales filium. Hunc Oaxen in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominavit, ut Varro ait : *Quos magno Anchiale*, etc. »

Vibius Sequester, de Flum. pag. 60, ed. Hessel. « Oaxes Cretæ, a quo civitas Oaxia. Varro hoc docet : *Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis* ».

Expressa sunt ex his Apoll. Rh. lib. I, v. 1129-1131 : οὕς ποτε νύμφη Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος, ἀμφοτέρῃσι δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησε. De Dactylis Idæis loquitur Apollonius, quos dicit in spelunca Dictæi montis ab Anchiale terram Cretæam palmis adprehendente partu editos. Cretam vero dicit *tellurem Œaxida*, sicut Sequester civitatem in Creta *Oaxiam*, ab Oaxe Cretæ fluvio, quem nominat Virgilius. Angelus Politianus, Miscellan. cap. 37, versus Varronis primus cum loco Apollonii, cujus translationem meram exhibent, comparavit.

XIII. EX IISDEM *.

Desierant latrare canes, urbesque silebant:
Omnia noctis erant placida composta quiete.

Seneca pater, Controvers. XVI, pag. 238: « Glycon de quodam Cæstio, in narratione, inquit, quum fratrem traditum sibi describeret, placuit sibi in hac explicatione una et infelici: Nox erat concubia, et omnia, Judices, canentia sideribus muta erant. Montanus Julius, qui comis fuit, quique egregius poeta, aiebat illum imitari voluisse Virgilii descriptionem :

> Nox erat, et terras animalia fessa per omnes,
> Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

At Virgilii imitationem bene cessisse, qui illos optimos versus Varronis expressisset in melius : *Desierant latrare canes*, etc.

Solebat Ovid. de his versibus dicere, potuisse fieri longe meliores, si secundi versus ultima pars abscinderetur, et sic desineret: *Omnia noctis erant.* Varro quem voluit sensum, optime explicuit. Ovidius in illius versu suum sensum invenit: aliud enim intercisus versus significaturus est, aliud totus significat ».

L. Seneca filius, Epist. LVI, pag. 194: « Quid prodest totius regionis silentium, si adfectus fremunt?

> Omnia noctis erant placida composta quiete.

Falsum est : nulla placida quies est, nisi quam ratio com-

* Ex Argonauticis Varronis hos versus esse, demonstrat cl. Ruhnkenius l. l. p. 218, proferens versus Apollonii, lib. III, 748, 749, e quibus facti sunt Latini : Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην. Varronem, ut Burmanno Secundo videtur, expressit poeta incertus, Anthol. Lat. t. I, p. 643 : « Ecce tacent voces hominum, strepitusque viarum, Et volucrum cantus, turbaque fida canum ». Adscribitur etiam a Burmanno locus Ovidii, Trist. I, 3, 27 : « Jamque quiescebant voces hominumque canumque, Lunaque nocturnos alta regebat equos ».

posuit : nox exhibet molestiam, non tollit, et sollicitudines mutat. Nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt, quam dies, etc. »

XIV. EX IISDEM.

Cujus ut adspexit torta caput angue revinctum *.

Sosip. Charisius, Instit. Gramm. lib. I, pag. 70 Putsch. « *Anguis* quum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminini, ut Tibullus, *Iratæ detinet anguis iter;* et Ovidius, *mediæ Marsis findantur cantibus angues;* et Varro Atacinus: *Cujus ut adspexit*, etc. »

Nonius Marcellus, cap. de indiscr. gen. p. 191 : « *Angues* feminino genere dici, testis est Plaut. Amphitr. *Devolant angues jubatæ in compluvium duo.* Varro Acinnius (Atacinus): *Cujus ut adspexit*, etc. »

Beda de Orthographia, pag. 2777 Putsch. « *Anguis* quum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminino Ovidius, Varro Atacinus ».

* Hunc etiam versum ex Argonauticis Varronis esse, docel Ruhnkenius, pag. 220, adducto hoc Apollonii, lib. III, v. 1214 : πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο Σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες. Loquitur Apollonius de Hecate adparente.

XV. EX IISDEM.

Quum te flagranti dejectum fulmine Phaethon *.

Quintilianus, Instit. Orat. lib. I, cap. 5, 18 : « Plus exigunt subtilitatis, quæ accidunt in dicendo, vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi quum in

* Sic etiam Manilius, lib. I, 734 : « Phæthontem patrio curru per Signa volantem ». Expressus est versus Varronis, docente Ruhnk. l. c. p. 224, ex his Apollonii, lib. IV, 597, 598, Ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο. Sic Φαέθων apud Aristot. de Mundo, et Cic. de Nat. Deorum, II, 20. Ed.

versus inciderunt, ut διαίρεσις *Europaï :* et ei contrarium vitium, quod συναίρεσιν et συναλοιφὴν Græci vocant, nos complexionem dicimus : qualis est apud P. Varronem : *Quum te flagranti*, etc. »

XVI. EX IISDEM.

Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt *.

Servius ad versum Virgilii, Æn. X, 396: « *Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant;* Ennii est, ut: *Oscitat in campis caput a cervice revulsum, Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* Quem versum, ita ut fuit, ad suum carmen transtulit Varro Atacinus ».

* Ruhnkenius l. l. p. 226, Varronem latine reddidisse hunc versum Apollonii putat, lib. IV, 1525: ὑπὸ χροΐ δύετο κῶμα Λυσιμελές, πολλὴ δὲ κατ' ὀφθαλμῶν χέετ' ἀχλύς. Sed sententia non est eadem, et si, ut Servius adfirmat, ab Ennio hunc versum accepit Varro, non videtur Apollonium respexisse. Cæterum Virgilius etiam alio loco versum Ennii et Varronis imitatus est, Æn. IV, 691: « oculis errantibus alto Quæsivit cælo lucem, ingemuitque reperta ».

XVII. Probus Grammaticus * ad hæc Virgilii, Georg. I, 14 : *et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ,* etc. « Aristæus, monstrante Apolline patre, profectus est in insulam Ceam... ubi post excessum vitæ, imperante oraculo, ab immorantibus eam insulam, relatus in numerum Deorum, adpellatus est Nomius et Ægoros, quod et agresti studio, et cura pecorum armentorumque non mediocriter profuerat hominibus. Traditur hæc historia de Aristæo in corpore Argonautarum, a Varrone Atacino ».

* Hoc in loco Probi Ruhnkenius V. C. l. l. pag. 210, pro *immorantibus eam insulam* legi jubet *immorantibus in ea insula*, pro *Ægoros* denique *Agreus*, quod verum est. Tradita autem historia Aristæi a Varrone duce Apollonio, qui multa de Aristæo narrat lib. II, v. 508 seqq. et IV, 1132 : ad quæ loca conferendus etiam Scholiastes.

XVIII. E BELLO SEQUANICO.

Deinde ubi pellicuit dulcis levis unda saporis.

Priscianus, lib. X, pag. 877, ed. Pustch. « Invenitur etiam *adlicuit* et *pellicuit* ». Piso, Hist. I : « Cujus unius præmio multorum adlicuit animos ». P. Varro belli Sequanici libro II : « Deinde ubi pellicuit, etc. »

XIX. EPIGRAMMA DE LICINI TUMULO *.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,

* Hujus Licini, seu Licinii, prædivitis liberti Augusti, meminerunt Seneca, Epist. cxix et cxx; Persius, Sat. II, 37, et ejus schol. Juvenalis, Sat. I, 109, et ejus schol. Martialis, VIII, 3, 6; Sueton. Aug. c. 67; Dio Cass. lib. LIV; Sidon. Apoll. Epist. V, 7. Hunc tamen alii Augusti, alii Claudii libertum dicunt, nescio an duorum nomina confundentes. W. Prius distichon alii cuidam epigrammati perperam adnexum sub nomine Varronis Atacini ediderunt Scalig. Catalect. lib. I, p. 185; Delrius ad Senec. Herc. Œt. p. 182, et Pithœus Epigr. vett. lib. III, p. 89; qui tamen in notula jam odoratus est, separandum esse. Et separatum solumque edidit Fabricius in Monum. ant. pag. 135, ut epitaphium *Tonsoris*, Licini scilicet, recte. Est enim hoc epitaphium in Licinium, Augusti tonsorem et libertum ditissimum, cujus magnificentissimum sepulcrum fuit in via Salaria. Vide ejusdem Fabricii Romam, pag. 216; licet Gronovius de Pecun. vet. pag. 559, Licinum, Augusti procuratorem in Gallia, hic intelligi velit. Sed de priore capiendum esse, firmat Scholiastes Persii, apud quem illud legi notaverat Scriverius, et alii etiam monuerunt, ad Sat. II, v. 36, ubi Varroni tribuitur, et non invenustum epigramma dicitur, quamquam inepte Licinum Crassum vocet, et ex duobus unum faciat, et in loco Persii Licinius Stolo, non vero hic Licinus tonsor, intelligatur; vide Casaub. pag. 203. — Heinsius ad *Martialem* remittit in suo exemplari: puto eum indicasse locum ex lib. VIII, epigr. 3: « Et quum rupta situ Messalæ saxa jacebunt, Altaque quum Licini marmora pulvis erunt »; ubi marmoreum Licini tonsoris tumulum intelligendum ex hoc versu patet: nam fallitur Domitius, qui de ædibus Licini marmoreis exponit: idem Domitius de hoc Licino etiam capiebat alterum ejusdem Martialis versum, lib. III, epigr. 32, ubi et hoc epigramma adfert. Cæterum uno distiche auctius illud producit Grangæus ad Juvenal. Sat. I, v. 109, ex Catalectis Petronii, hunc in modum: *Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato nullo, Pompeius parvo.* (Cætera, uti supra proposuimus.) Ita certe leguntur in Petronii et aliorum vetustis Epigr. a Bineto collectis et editis Pictavii an. 1579, cum inscriptione *Terentii Varronis Atacini*; et

Pompeius nullo: credimus esse Deos!
Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem,
Pompeium tituli: credimus esse Deos!

v. 1, *Marmoreo Licinus tumulo jacet, et Cato parvo, Pompeius nullo*, etc. Putabam aliquando secundum illud distichon ab aliena manu adsutum esse, etc. (Rationes, quas hic adducit Burmannus, sane leviculæ sunt.) Sed nunc muto sententiam, et utrique locum esse dandum opinor; modo prius distichon per interrogationis notam in pentametro exhibeatur; et alterum ei respondeat dempto interrogandi signo, ut edidit Binetus. Vide Dorleansium ad Tacit. Ann. XIV, pag. 723. Burm. qui hoc epigramma protulit Anthol. Lat. lib. II, 37.

2. *Pompeius nullo*. Voss. codicis, et schedarum Scaligeri lectionem, *at Cato nullo, Pompeius parvo*, quamvis probet Burmannus, equidem probam veramque existimare non possum: nec dicta ex aliis Epitaphiis Pompeii collata a Burmanno huc quidquam faciant. Interim confer. locus Lucani, lib. VIII, 713, «Pompeio raptim tumulum Fortuna paravit, Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro».

2. *Credimus esse Deos!* In aliis legitur: *Quis putet esse Deos?* ut habet margo Pithœi (et Scholiastes Persii), licet *credimus* sit in duobus codd. MSS scholiastæ Persii, quod adstrui posset ex Ovidio, Amor. lib. III, 3 init. «Esse Deos, i, crede; fidem jurata fefellit»; alterum defendi posset ex eodem lib. III, Amor. el. 8, in morte Tibulli, «Sollicitor nullos esse putare Deos, etc.» Burm.

3. *Saxa premunt Licinum*, i. e. supprimunt et tegunt terra, ut totus lateat, terræ filius, cui non sit, ut alias dici solet, terra levis. *Levat Catonem fama*, h. e. super terram ad sidera tollit: quomodo Virgilius, Æn. I, 370: «fama super æthera notus».

4. *Pompeium tituli*, scil. maximorum honorum, rerum per orbem terrarum gestarum, victoriarumque complurium tituli, qui tot monumentis publicis, ad perpetuam ejus gloriam conditis, inscripti sunt. Sic Propert. IV, 11, 38: «Sub quorum titulis Africa tonsa jacet». Ovid. Her. IX, 1: «Gratulor Œchaliam titulis accedere nostris».

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS VOLUMINIS QUARTI.